EIUSDEM AUCTORIS

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS

I. **De Principiis,** ed. 3ª, in-8º, 786 p.

II. **De Virtutibus Moralibus,** ed. alt. in-8º, 1029 p.

III. **De Sacramentis,** ed. alt. in-8º, 1024 p.

OPUSCULA PASTORALIA

I. **Quaestiones de Castitate et Luxuria,** ed. 4ª, in-8º, 132 p.

II. **Quaestiones de Embryologia :**

A. Series prima : **De Embryologia et de Ministratione Baptismatis,** ed. alt. in-8º, 88 p.

B. Series altera : **De Embryologia et de Sterilisatione,** in-8º, 105 p.

III. **Quaestiones de Variis Poenitentium Categoriis,** ed. alt., in-8º, 187 p.

IV. **Quaestiones de Poenitentiae Ministro eiusque officiis,** ed. alt., in-8º, 137 p.

V. **Quaestiones de Partibus Poenitentiae et de dispositionibus poenitentis,** ed. alt., in-8º, 142 p.

VI. **Quaestiones de Variis Peccatis in sacramentali confessione medendis,** in-8º, 155 p.

MARIOLOGIA

TRACTATUS

DE

BEATISSIMA VIRGINE MARIA MATRE DEI

ATQUE

DEUM INTER ET HOMINES MEDIATRICE

QUEM IN USUM SCHOLARUM ET CLERI

EDIDIT

BENEDICTUS HENRICUS MERKELBACH, O. P.

PARISIIS

TYPIS DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.

Attente perlegimus et libenter approbamus opus cui titulus : « Tractatus de Beatissima Virgine Maria Matre Dei atque Deum inter et homines Mediatrice » ab Adm. R. P. Mag. Fr. Benedicto Henrico Merkelbach O. P. conscriptum. Praefatum opus magnae utilitatis studentibus et omni Clero iudicamus.

Die 7 mensis Februarii 1939

Fr. Bertrandus-M. Bonte, O. P., S. Th. L.

Fr. Humbertus-M. Bisschop, O. P., S. Th. L.

IMPRIMI POTEST :

Fr. A. M. VAN DEN WILDENBERG, S. Th. M.
prior provincialis
Bruxellis, die 7 Februarii 1939.

IMPRIMATUR :

Lutetiae Parisiorum
die 7 martii 1939
V. DUPIN, vic. gen.

MATRI MARIAE

QUAE EST

CAUSA NOSTRA LAETITIAE

PROLOGUS

Quaestionibus mariologicis consulimus, tum in Seminario Leodiensi, ubi ab anno 1908 *ad* 1917 *tradebamus theologiam dogmaticam, tum anno* 1921 *et sequentibus, quando eramus inter membra commissionis, ab Em. Dom. Cardinali Mercier institutae ad inquirendum de Mediatione B. Virginis universali eiusque definibilitate, dein etiam commissionis pontificiae, ab Exc. et Ill. Dom. Nuntio apostolico ad eumdem finem in Belgio deputatae.*

Postmodum toti fuimus in docendis et edendis quaestionibus practicis, moralibus et pastoralibus, atque in scribenda Summa Theologiae Moralis.

Quibus iam peractis, voluimus redire ad quaestiones mariales, et nostri propositum est tradere brevem, claram, methodicam et syntheticam expositionem, omnium principalium quaestionum quae theologiam spectant marianam; ita ut scholarum studentibus possit esse in usum addiscendae de B. Matre Dei et Mediatrice sufficientis scientiae, et simul clero sit norma in praedicationibus, qua vera et sana doctrina, certo aut solide fundata et bonis argumentis innixa, discerni valeat a piis opinionibus cum labili fundamento, a meris possibilitatibus sine ulla verisimilitudine, vel et a rationibus debilibus. Hisce praeclarissima Virgo non eget ad gloriam suam, cui agnita ac patentia sui privilegia sufficiunt abundantissime.

Modestum opus dedicamus B. Matri Dei, quae in antiqua

ecclesia civitatis nostrae Tungrensis, prima cis Alpes, uti fert traditio, B. Mariae Virgini consecrata, a saeculis pie veneratur sub vocabulo: Causa Nostrae Laetitiae. Velit Beatissima Mater opus nostrum benedicere, atque Mediatrix afferre auxilium, ac lumen mentis quo melius cognosci, ardorem cordis quo intensius amari colique dignius ipsa valeat.

Scribebam, in festo Conceptionis immaculatae B. Mariae Virginis, die 8a Decembris 1938.

AUCTOR.

MARIOLOGIA

INTRODUCTIO.

1. **Mariologia** est pars scientiae theologicae, ex principiis revelatis disserens de Matre Dei-Redemptoris qua tali, et de omnibus aliis ad eam pertinentibus. Dicitur :

1° *Pars scientiae theologicae.* Scientia enim illa, quae agit de Deo, consequenter agit necessario de matre Dei, si quaedam sit ; unde mariologia non est scientia ab omnibus aliis perfecte distincta, nam omnia quae ex principiis revelatis nota sunt, sub una ratione considerantur, in quantum sunt divinitus revelata [1], in ordine ad Deum [2].

2° *Ex principiis revelatis disserens.* De matre Dei, supernaturalibus utpote dignitate, missione ac privilegiis dotata, non habemus sufficientem cognitionem, nisi revelatione ipsius Dei. Pertinet ergo mariologia ad scientiam theologicam, quae principiis revelatis innititur et ex iis hauritur ; et quidem ad tertiam partem theologiae, scil. ad doctrinam de Verbo Incarnato et Redemptore, cum qua intime connectitur et ad quam immediate sequitur. Hinc mariologia est pars organica Dogmaticae, ut videre est apud S. Thomam, *Sum. Th.* III, q. 27 et seq.

3° *De matre Dei* praecise *qua tali.* Theologia enim omnia considerat in ordine ad Deum ; hoc autem quod B. Virgo sit mater Dei, est relatio ad Deum ipsi Virgini propria et specifica, qua ab omnibus aliis distinguitur ; porro dicitur *Dei-Redemptoris*, quia, in ordine praesenti, Deus Filius humanam naturam a matre non assumpsit, nisi in carne passibili et mortali ad nos redimendos. Hoc ergo quod Maria est mater Dei-Redemptoris, est ratio, fundamentum et radix omnium aliarum eius ad Deum

1. S. THOMAS, *Sum. Th.*, I, q. 1, a. 3.
2. *Ibid.*, a. 7.

relationum, et omnium eius supernaturalium praerogativarum, ac relationum ad nos ; unde additur in definitione : *et de omnibus aliis ad eam pertinentibus.*

Quod enim Maria sit omnino immaculata, plena gratia et gloria, virgo perpetuo servata, Christo consociata, Nova Eva, mater nostra spiritualis, mediatrix Deum inter et homines, rationem et fundamentum habet in hoc quod sit destinata vel facta mater Dei. Ergo, dicendo : de matre Dei-Redemptoris, tota doctrina mariana et omnia privilegia Mariae sufficienter indicantur sub hac praecise ratione qua in scientia sacra veniunt consideranda. Est ergo mariologia : *scientia de matre Dei,* et quidem in ordine praesenti, *Dei-Redemptoris.*

Divina itaque maternitas B. Virgini est summum dignitatis, excellentiae et supernaturalis elevationis, ratio, fons ac mensura sanctitatis et gratiarum in praeterito et futuro, basis omnium relationum ad nos, fons quoque ac potestas eius erga nos dilectionis, atque apud nos fundamentum perpetuae gratitudinis, devotionis et amoris. Hinc divina maternitas determinat eius essentiam, et est fons ac mensura eius sanctitatis, proprietatum, privilegiorum ac potestatis, centrum omnium praerogativarum ipsius.

2. **Momentum doctrinae marianae,** eiusque utilitas in theologia neminem fugit, tum speculativa, tum practica. Et quidem :

A. *Speculativa :* 1° Per se, tum a) quia mariologia est complementum necessarium doctrinae de mysteriis Incarnationis et Redemptionis, quae exinde perfectius intelliguntur et plenius ; tum b) quia necessaria est ad intelligendum opus creationis, praedestinationis, et gubernationis, cum B. Virgo sit prima creatura super omnes alias elevata : sicut ergo theologia profundas investigationes instituit de natura, operationibus, ministerio angelorum, quanto magis attentionem meretur praebere divinae matri quae est quasi novus et specialis mundus, utpote pertinens ipsa sola ad specialem et distinctum ordinem in universitate rerum.

2° Per accidens quoque, ut contra Protestantes qui partes B. Virginis minuunt, contra Graecos separatos qui pleniorem et magis evolutam mariologiam ut novitatem abnegant, et contra Rationalistas qui legendarium eius

characterem affirmant, ostendamus doctrinam marianam catholicam ex ipsa revelatione divina ortum habere, ac interpretationem theologicam non esse huius alterationem, aut extraneam quamdam importationem, sed rectam explicationem et normalem evolutionem doctrinae revelatae.

B. *Practica* quoque, quia recta intelligentia doctrinae marianae necessaria est ad cultum matris Dei et nostri, et ad nostra erga eam debita pietatis officia : honoris, gratitudinis ac imitationis. Unde post ipsius Dei unius ac trini, atque Verbi Incarnati cognitionem, nulla alia est dignior et utilior.

Mariae scil. est realis et universalis, sicut eminens, positio, in ratione divinae Providentiae, in dogmate Ecclesiae et in vita societatis fidelium[1].

Ad rem Suarez[2] :

« Ego, post ipsius Dei ac Christi cognitionem, nullam aut utiliorem, aut viro theologo digniorem esse existimo. Neque intelligo cur de gratia angelorum, deque illorum meritis ac statu viae, ac denique de eorum gloria, ceterisque scientiae et gratiae donis et ministeriis seu officiis tam accurate theologi disputent ; de angelorum vero regina eiusque dignitate, gratia, scientia, meritis ac singulari felicitate, longe maiori diligentia disserendum non sit, cum haec doctrina et per se dignior ac iucundior, et ad pietatem magis sit accommodata, et — ut Aristoteles dixit — melius sit de rebus altioribus vel pauca coniectare quam inferiores certitudine etiam mathematica cognoscere, eo vel maxime quod maior ac certior cognitio potest de gratia et gloria B. Virginis, quam Angelorum, ex principiis fidei ratiocinando, colligi ».

3. **Fontes doctrinae marianae** sunt iidem ac theologiae : innititur enim revelationi tamquam fonti proprio et principali, secundario et subordinate rationi humanae, quae illam declarat, illustrat, defendit et in ulteriores conclusiones deducit. Ut in theologia fundamentali, inde

1. SCHEEBEN, *Handbuch der Kath. Dogmatik,* Freib. in Br., 1882, l. V, n. 1523. Mariologia Doctoris Scheeben, neerlandice versa a H.-B. VAN WAES, edita fuit cum adnotationibus et introductione EUG. DRUWÉ, sub titulo : *M. J. Scheeben, Systematische Mariologie,* Brussel, 1938.

2. *In III^m S. Th.,* t. XIX, de mysteriis Christi, praefatio.

a Melchiore Cano[1], explicari consuevit, decem sunt loci theologici ex quibus doctores sacri doctrinas et argumentationes hauriunt : septem proprii qui auctoritatem divinae revelationis praebent, et tres extranei, subsidiarii et communes qui in humana ratione fundantur.

A. *Loci theologici intrinseci et proprii* continent vel testantur divinam revelationem; quorum alii sunt primarii et in se infallibiles : sive obiectivi seu constitutivi, qui ipsas veritates revelatas continent, et ideo obiectum doctrinae sacrae constituunt, scil. Traditio divina et Scriptura sacra ; sive subiectivi et directivi, qui veritates revelatas custodiunt et infallibiliter proponunt fidelibus eosque in fide dirigunt, scil. Ecclesia credens, Summus Pontifex et Concilium oecumenicum ; alii secundarii qui de se non praebent argumentum infallibile, sed solum in quantum doctrinam aliunde infallibilem manifestant : Patres et Theologi.

1° *Traditio divino-apostolica*, quae in Nova Lege est essentiale organum ore transmittendi et perpetuo servandi doctrinam revelatam authentico Ecclesiae magisterio, quaeque continet universam revelationem ; unde quocumque tempore se prodat in universa Ecclesia, infallibiliter demonstrat doctrinam certam et a Deo apostolis revelatam, et ab iis transmissam.

2° *Scriptura sacra*, sensu litterali intellecta, vel sensu spirituali et mystico ; non autem sensu accommodatitio, qui non est sensus Scripturae : potest tamen manifestare traditionem divinam aut doctrinam certam, si communiter sit adhibitus vel ab Ecclesia probatus.

3° *Ecclesia credens*, quae infallibiliter fidem custodit et proponit : sive doctrina sua ordinaria et praedicatione quotidiana ; sive praxi, ad quam spectant Ecclesiae vita, pietas fidelium quae doctrinam meditatur et explanat, liturgia in orationibus et cyclo festivitatum, ars quoque christiana quae sensum fidelium variis sub formis exprimit.

4° *Summus Pontifex*, qui docet veritates revelatas vel

1. *De locis theologicis*, l. I, c. 3.

hisce connexas easque definit ; aut errores contrarios damnat.

5° *Concilium oecum nicum*, item definiens et damnans ; concilia vero particularia non praebent argumentum infallibile, nisi solemniter a S. Pontifice fuerint probata, aut universaliter recepta.

6° *Patres* in consensu moraliter unanimi, si ipsam divinam traditionem vel Ecclesiae doctrinam sacram testantur ; quod si aliud in doctrina sacra tradant unanimiter, ab iis recedere non esset nisi temerarium.

7° *Theologi* doctrinam Ecclesiae testificantes, aut conclusiones exinde deducentes : eodem modo et iisdem conditionibus ac pro Patribus dictum est.

B. *Loci extranei, subsidiarii et* aliis scientiis *communes*, sunt :

1° *Ratio humana*, quae veritates revelatas intelligere et penetrare conatur, easque illustrare et explicare, comprobare ac defendere, cum aliis veritatibus comparare, ad novas conclusiones perducere, atque ad unitatem redigere, totum in unam ordinando scientificam synthesim.

2° *Scientiae rationales seu auctoritas sapientium*, quibus adiuvatur ratio ad praedictum finem.

3° *Humana historia* quoque, praesertim Ecclesiae, ad haec auxilium praebet.

4. Modus procedendi strictus et rigorosus adhibendus est in usu fontium et in argumentationibus.

Et quidem :

1° Scriptura interpretanda est iuxta regulas hermeneuticae.

2° Traditio divina constare debet ex consensu magisterii moraliter unanimi seu ex universalitate doctrinae in universa Ecclesia : sive a) *theologice*, quia consensus quocumque tempore (quadantenus durante) habitus eo ipso probat doctrinam esse ab apostolis traditam ; sive b) *historice*, testimonia allegando et descendendo ab origine Ecclesiae aut a tempore apostolorum ; sive c) *praescriptione*, ascendendo ad originem, quatenus constat doctrinam certo tempore traditam non potuisse antea humanitus introduci. At sedulo distinguendum est inter id quod habetur ut a Deo vel apostolis traditum, et humanas traditiones, con-

siderationes, aut inventa, quae simul possunt transmitti aut addi.

3° Quoad decreta Conciliorum et Pontificum : distinguendum inter obiectum directum definitionis, et argumenta allata, quae *ordinario* non directe definiuntur, et hac ratione non cadunt sub infallibilitate, licet cum auctoritate proponantur ; distinguendum quoque inter argumenta quae formaliter proferuntur, v. g. ex Scriptura vel antiquis Patribus desumpta, et verba Scripturae vel Patrum quae mere inserviunt expositioni et doctrinae expositae adaptantur.

4° Item distinguenda sunt decreta irreformabilia et quadantenus universalia, et reformabilia vel mere particularia : haec non praebent argumentum infallibile, nisi postea accedat consensus universalis Ecclesiae. Sic inter decreta et acta Pontificum distinguenda sunt : constitutiones dogmaticae, litterae apostolicae aut encyclicae, verba dicta vel scripta enuntiantia favores, indulgentias, preces aliaque eiusdem generis, acta Congregationum Romanarum quae non speciali modo sed simpliciter a Pontifice approbata sunt. Quandoque haec omnia permiscentur et confunduntur, atque afferuntur sine delectu, ac si eiusdem essent valoris.

5° Similiter pro Ecclesia credente, distinguendum inter id quod credit ut revelatum et de fide, aut tenet ut certum, et id quod habet ut sententiam piam aut probabilem : quae regula quoque valet de Ecclesiae praxi, liturgia et precibus.

6° Quoad Patres et Theologos, distinguendum est inter id quod tradunt ut doctrinam Ecclesiae, et declarationes eorum mere humanas, opiniones et explicationes personales : in primo casu, directe constat de veritate doctrinae, si eorum consensus sit moraliter unanimis ; secus, nonnisi indirecte, si aliter constet aliquem referre vel testari totius Ecclesiae doctrinam.

7° Argumenta rationis, ut habeantur vere certa, deducenda sunt iuxta strictas regulas logicae.

8° Quantum ad scientias auxiliares, auctoritas sapientium ponderanda est iuxta valorem argumentorum, aut iuxta praecellentes qualitates ; et in afferendis historiae documentis et testimoniis, adhibenda methodus critico-historica.

5. **Divisio Mariologiae.** — Mariologia complectitur quatuor partes, prout B. Virgo spectetur in relatione ad Deum, in seipsa, in relatione ad nos, aut nos in relatione ad ipsam.

A. *Summatim* partes ita ordinantur :

I[a] est de B. Virgine Maria in ordine ad Deum et Christum, secundum quod est mater Iesu, mater Dei, et mater

Redemptoris ac Nova Eva : spectata tum realiter in ordine temporis, tum in praedestinatione divina.

II[a] est de B. Virgine in seipsa, sive quantum ad animam, sive quantum ad corpus.

III[a] est de B. Virgine in ordine ad nos, quo mater est nostra, mediatrix Deum inter et homines, et regina totius universi.

IV[a] est de nostris relationibus ad ipsam, seu de officiis nostri cultus.

Cum enim Mariologia sit intime connexa cum doctrina de Verbo Incarnato et Redemptore, quam supponit et ad quam immediate sequitur, conveniens est eam dividere et ordinare ad modum Christologiae. Haec autem primo dicit de ipsa unione hypostatica, — dein de consectariis unionis hypostaticae ac de coassumptis perfectionibus et defectibus, — dein de missione Christi mediatoris ac redemptoris atque de variis eius muneribus, — denique de cultu ipsi debito. Ita doctrina mariana agit de ipsa matre Dei, — de privilegiis matris Dei seu de consectariis divinae maternitatis, — de functionibus ac missione matris Dei, — de cultu matris Dei.

B. *Distinctim magis et sigillatim :*

I[a] pars tractat tum A. de matre Dei in ordine temporis : 1° Maria est vera mater hominis Iesu ; 2° Maria est vera mater Dei-hominis : a) de veritate divinae maternitatis, b) de excellentia maternitatis divinae ; 3° Maria est vera mater Dei-Redemptoris et adiutrix ; — tum B. de matre Dei in aeterna Dei electione et praedestinatione.

II[a] pars est de matre Dei in ordine ad seipsam, tum quoad animam, tum quoad corpus :

A. In ordine ad animam, seu de B. Virginis sanctitate : I. de sanctitate negativa : 1° de immunitate a peccato originali seu de immaculata conceptione : a) de veritate conceptionis immaculatae ; b) de intrinseca ratione immaculatae conceptionis ; 2° de immunitate a peccato actuali etiam minimo ; 3° de immunitate a concupiscentia inordinata. — II. de sanctitate positiva : 1° de plenitudine gratiae, qua Maria fuit dotata, tum a) secundum se ; tum b) comparative ad gratiam aliorum ; tum c) compara-

tive ad gratiam omnium simul ; 2° de ratione qua ex plenitudine gratiae est operata : a) de exercitio virtutum ; b) de scientia virtutum directiva ; c) de merito, quod est effectus exercitii virtutum.

B. In ordine ad corpus, seu de B. Virginis incorruptione : I. in vita praesenti, i. e. de virginitate, tum 1° ante partum ; tum 2° in partu ; tum 3° post partum ; — II. post hanc vitam seu de gloriosa B. Virginis assumptione : a) de morte ; b) de ipsa assumptione in coelum ; c) de exaltatione in coelis.

IIIª pars agit de matre Dei in ordine ad nos : 1° mater Dei est nostra mater spiritualis; 2° est mediatrix Deum inter et homines : a) de mediatione in generali et secundum se ; b) de mediatione, ut adiutrix ad ipsum opus redemptionis ; c) de mediatione, ut advocata perpetua ad applicandum fructus redemptionis ; d) de exercitio et efficacia mediationis ; e) de mediationis universalitate ; 3° mater Dei est omnium angelorum et sanctorum regina, imo totius universi.

IVª pars agit de nostri ordine et relationibus ad matrem Dei, seu de officiis nostri cultus ; ubi quaestio est de ipso cultu hyperduliae.

Posset insuper dici de specialibus formis huius cultus, scil. a) de praecipuis festis ; b) de principalibus quibusdam orationibus ; atque c) de aliquibus devotionibus notioribus. Sed haec ad theologiam minus spectant.

Nolumus tradere bibliographiam generalem, tum quia tam ampla est ut non possemus esse completi ; tum quia timeremus quosdam praeterire, etiam meliores, aut utiliores forsan omittere. Nihilominus occasione data, in nonnullis quaestionibus specialibus, pro opportunitate quaedam utiliora aut recentiora magis indicabimus scripta, quin tamen velimus ea esse omnium meliora, aut utiliora, vel et praecipua. Quamvis multa perlegimus, omnia tamen inspicere sane impossibile est.

PRIMA PARS.

DE B. VIRGINE IN ORDINE AD DEUM ET CHRISTUM SEU DE IPSA MATRE DEI.

A. DE MATRE DEI IN ORDINE TEMPORIS.

6. **Materia tractanda.** — *Dogma fidei* est B. Virginem Mariam esse veram matrem Verbi Incarnati seu Dei-hominis, et hoc constituit maximum eius privilegium. Quod tria continet :

1° esse veram matrem hominis Iesu ;
2° esse veram matrem Dei-hominis ;
3° esse veram matrem Christi seu Dei-Redemptoris.

QUAESTIO PRIMA.

MARIA EST VERA MATER HOMINIS IESU.

7. **Doctrina fidei.** — Ut Maria possit dici et esse mater Dei, oportet quod sit vera et naturalis mater humana, hominis scil. Iesu, qui est Filius Dei incarnatus. Non enim est mater Iesu ut est Deus, seu ipsius divinitatis. Ergo non potest esse nisi mater Dei-hominis, seu quoad naturam eius humanam. Unde conditio omnino requisita ut B. Maria sit vera mater Dei, est quod sit vera mater illius hominis qui vocatur Iesus.

Porro huic adversantur :

1° Illi qui negant veram humanam naturam seu realitatem corporis Christi : Docetae, saec. I et II, tribuentes ipsi corpus mere apparens seu phantasticum ; quos

impugnant Ignatius Ant., Polycarpus et alii Patres primorum saeculorum.

2º Illi qui negant Christum conceptum de Virgine Maria, sed Christo tribuunt corpus coeleste et aëreum, vel psychicum aut pneumaticum, quod per Virginem transivit, ut Valentiniani saec. II et III.

3º Illi qui absque ulla relatione Christi ad Virginem Mariam praedicta affirmant, ut Apelles saec. II ; item Marcion asserens Christum subito in statura corporis perfecta apparuisse. Quam relationem Christum inter et Virginem negant quoque plures Anabaptistae saec. XVI.

Contra quos omnes fides docet B. Mariam Virginem humanam Christi naturam vera et propria generatione propagasse, seu Christum Filium Dei concepisse et parturiisse.

Constat ex Symbolo Apostolico dicente, in forma sua primitiva : « qui natus est de Spiritu sancto et Maria virgine », in forma vero posteriore : « qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine » ; et ex Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano : « qui incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine » (graece : ex Spiritu sancto et Maria virgine) ; et ex Concilio Chalcedonensi, c. 6 : « docemus Iesum Christum... genitum... ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem » ; et ex Symbolo Athanasiano : « Iesus Christus... homo est ex substantia matris in saeculo natus ». Cfr. etiam Conc. Eph., can. 1 et 2 ; Const. II, can. 2 et 3 ; Lat. (a. 649), can. 2 et 3, et Const. III contra Monothelitas ; ep. S. Leonis ad Flav. ; Innoc. III, prof. fidei pro Waldensibus ; Conc. Flor., decr. pro Iacobitis.

8. Testimonium Scripturae. — Scripturae id docent :

1º *Indirecte*, dum in V. T. annuntiatur Messias ut *semen mulieris* (Gen. III, 15), *semen patriarcharum* (Gen. XXII, 18 ; XXVI, 4 ; XXVIII, 14), *semen ex lumbis David*, et *filius David* (Ps. CXXXI, 11 ; Ierem. XXIII, 5 ; XXXIII, 15 ; Is. XI, 1, 10), *ex virgine concipiendus et partûriendus* (Is. VII, 14) ; — et in N. T. dicitur *filius hominis* (Mt. XVI, 13 ; XVII, 21 ; XX, 18 ; Mc. VIII, 39 ; IX, 30 ; Lc. VI, 5 ; IX, 22 ; XXIV, 7), quod aegre intelligeretur nisi humanam naturam ex homine per generationem assumpsisset ; insuper vocatur *filius David et Abrahae* (Mt. I, 2 ; IX, 27 ; XXI, 9 ; Lc. I, 32), *semen Abrahae* (Gal. III, 16 ; Hebr. VI), *radix et genus David* (Apoc. V, 5 ; XXII, 16), *factus ex semine David secundum carnem* (Rom. I, 3 ; Act. II, 30 ; II Tim. II, 8), *ex patribus secundum carnem* (Rom. IX, 5), *factus ex muliere* (Gal. IV, 4). Ex quibus sequitur Mariam esse *veram* eius matrem.

2º *Directe* ex Evangeliis quae affirmant humanam filiationem Iesu atque humanam maternitatem Mariae :

a) Disertis verbis dicit Angelus : « Ecce *concipies in utero* et *paries* filium, et vocabis nomen eius Iesum » (Lc. I, 31). Unde Christi generatio sic erat : « Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est *in utero habens* de Spiritu sancto... Angelus Domini apparuit in somnis, dicens : Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est : Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum » (Mt. I, 18-21). Hinc « factum est, cum... impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum » (Lc. II, 6-7).

b) Unde Maria dicitur *mater Christi* (Mt. I, 18 ; II, 11, 13, 20 ; XII, 46 sq. ; Mc. III, 31 sq. ; Lc. I, 43 ; II, 33, 51 ; Io. II, 1, 3, 12 ; XIX, 25-27), et hic *filius Mariae* (Mt. I, 21, 23, 25 ; Lc. I, 31) et *fructus ventris eius* (Lc. I, 42), quia de ea nascitur (Mt. I, 16 ; Lc. I, 35).

c) Cuius ratio indicatur in epistola ad Hebr. II, 11 (IV, 15) : *Qui sanctificat et qui sanctificantur ex uno* (Adam) *omnes sint*.

9. Testimonium Traditionis manifestum est, tum ex Symbolis et Conciliis supra citatis (n. 7), quae profitentur Christum conceptum de Spiritu sancto et de Virgine ; tum ex Patribus, qui Christum esse filium Mariae unanimiter disertis verbis docent, et quidem ab initio : ita v. g. Ignatius, discipulus S. Ioannis, Iustinus, Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Hippolytus, Origenes, et dein omnes. In specie affirmant :

a) Mariam Christum aut Deum concepisse, gestasse, peperisse, parturiisse, vel ipsum ex ea natum esse.

Ita Ignatius, ad Eph. XVIII, 2 ; ad Smyrn. I ; Iustinus, apol. I,

32 ; dial. 100 ; Aristides, apol. XV, 2 ; Irenaeus, adv. haer., III, 4, 16, 19-20 ; dem. ap., c. 32-33 ; Tertullianus, de praescr. 13 ; de carne Ch[l]. 17, c. 5 ; adv. Prax., c. 27 ; Hippolytus, hanc doctrinam tribuens Callisto, Phil. IX, 12, et ipse similem asserens, Phil. X, 33 ; contra Noët. 17 ; de Antich°. X, 45 ; et apud Theodoretum, Eranistes 1 ; Origenes, hom. 7 in Luc. ; c. Cels. I, 35 ; ps.-Clem., ep. ad Virg., 6.

b) Christum de Spiritu sancto et de Virgine genitum aut natum esse.

Sic Ignatius, ad Eph. VII, 1, 2 ; Iustinus, dial. 64, 68, 100 ; Aristides, ap. 15 ; Hippolytus apud Theodoretum, Eranistes 1 ; Clemens Alex., Strom. V, 3, 14 ; Paed. I, 6 ; III, 1 ; Origenes, de Princ. praef. 4 ; in Ioh. XXXII, 9 ; c. Cels. I, 34 ; VII, 17.

c) Christum esse de genere nostro secundum carnem, ex radice Iesse et stirpe David.

Ita Ignatius, ad Rom. VII, 3 ; ad. Eph. XVIII, 2 ; XIX, 3 ; XX, 2 ; ad Smyrn. I, 1 ; Iustinus, dial. 100 ; apol. I, 32 ; apol. II, 6 ; Irenaeus, adv. haer. III, 21 ; Tertullianus, adv. Prax., c. 27 ; Clemens Alex., cohort. I, XI ; Origenes, c. Cels. II, 32.

d) Ipsum secundum carnem esse ex stirpe Abraham.

Clemens Rom., I ad Cor. XXXII, 2 ; Iustinus, apol. I, 32 ; dial. 48 ; Irenaeus, adv. haer. III, 19, 22 ; Hippolytus, Phil. X, 33 ; Tertullianus, de carne Ch[l]. X, 4.

e) Contra Docetas argumentantur, tum ex realitate Christi passionis, et mortis :

Ignatius, ad Smyrn. I, IV ; Irenaeus, adv. haer. III, 16, 18 ; Tertullianus, de carne Ch[l]., 5 ; adv. Marc. III, 8.

tum ex eo quod Christus sit verus filius Mariae :

Irenaeus, dem. apol., c. 38-39 ; adv. haer. III, 22 ; Tertullianus, de carne Ch[l]., 2, 6, 19-22 ; adv. Marc. III, 8 ; Hippolytus, c. Noëtum, 17, 18 ; Origenes, c. Cels. V, 61 ; hom. 17 in Luc., fragm. in ep. ad Tit.

et nominatim ex Apostolo asserente factum ex muliere :

Irenaeus, adv. haer. IV, 33 ; V, 1 ; Origenes, in ep. ad Rom. II, 10 ; Tertullianus, de carne Ch[l]., 19-21.

et ex Evangelio, speciatim ex vocabulo « filius hominis » :

Irenaeus, adv. haer. III, 16, 19, 22 ; Tertullianus, de carne Ch[l]., 5.

10. Convenientia rationis suadet idipsum omnino congruere Redemptori et Mediatori. Si Christus non esset conceptus et natus ex Virgine Maria, non esset e nostro genere, ex nostra natura humana lapsa : solum enim ab Adam descendere potest, quia carnem habet ex sua matre, B. Virgine. Atqui ad implendam Redemptionem, seu ad humanitatem lapsam erigendam, convenit Christum assumere humanam naturam, quae in Adamo lapsa fuerat, seu potius carnem sumere ex ea ; nam, ut ait S. Thomas, III, q. 31, a. 1 : « Christus humanam naturam assumpsit, ut eam a corruptione purgaret. Non autem purgatione indigebat natura humana, nisi secundum quod infecta erat per originem vitiatam, qua ab Adam descendebat. Et ideo conveniens fuit ut carnem sumeret ex materia ab Adam derivata, ut ipsa natura per assumptionem curaretur ».

Multas convenientias istius facti ostendit S. Thomas[1] :

A. *Decebat quod Christus carnem assumeret ex Adam*, q. 4, a. 6 : « Sicut Augustinus dicit, de Trin. l. 13, c. 18, « poterat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adae, qui suo peccato obligavit genus humanum ; sed melius iudicavit ut de ipso quod victum fuerat genere assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum ». Et hoc propter tria :

I° quidem, quia hoc *videtur ad iustitiam pertinere*, ut ille satisfaciat qui peccavit. Et ideo de natura per peccatum corrupta debuit assumi id per quod satisfactio esset implenda pro tota natura.

II°, quia hoc etiam *pertinet ad maiorem hominis dignitatem*, dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum.

III°, quia per hoc etiam *Dei potentia magis ostenditur*, dum de natura corrupta et infirma assumpsit id quod in tantam virtutem et dignitatem est promotum ».

1. Pro doctrina mariana S. Thomae, praeter commentatores, inspici potest MORGOTT, *Die Mariologie des H. Thomas v. Aquin*, Freib. i. Br., 1878.

Ergo conveniens fuit ad plenam pro peccato satisfactionem, et maiorem hominum dignitatem, et divinam potentiam ostendendam, ut ex Adam humanam naturam assumeret Deus[1].

B. *Decebat quod Christus carnem sumeret de femina*, q. 31, a. 4 :

« Licet Filius Dei carnem humanam assumere poterit de quacumque materia voluisset, convenientissimum tamen fuit ut de femina carnem acciperet.

I° quidem, quia per hoc *tota humana natura nobilitata* est. Unde Augustinus dicit, in lib. 83 Quaest., q. 11 : « Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conveniens erat ut feminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de femina natus est ».

II°, quia per hoc *veritas incarnationis adstruitur* (scil. verae carnis seu realis corporis). Unde... Augustinus dicit in ep. ad Volus. 137, al. 3 : « Si omnipotens Deus hominem ubicumque formatum non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris, nec

1. Similiter S. BONAVENTURA, in III, d. 12, q. 1, a. 1 : « Dicendum, quod absque dubio Dei Filius potuisset carnem assumere aliunde quam de massa corrupta, sive aliunde, quam ex his qui processerunt de genere Adam ; magis tamen congruebat quod de genere Adae carnem assumeret. Et licet multae sint congruentiae, quae nos latent, iuxta multiformitatem sapientiae Dei, tamen secundum verba et dicta Sanctorum, quatuor possunt rationes congruentiae assignari :

I^a est propter *conservandam rectitudinem iustitiae*, ut videlicet eiusdem generis esset satisfactor et praevaricator. Nam si alterius generis esset, non attribueretur eidem generi satisfactio, cui est offensio ; ac per hoc non recte servaretur iustitiae rectitudo, quae ab illo genere requirit emendam, in quo reperit praecedentem offensam.

II^a est propter *manifestam dulcedinem misericordiae*, ut videlicet ipse Dominus, qui ab homine contemptus fuerat tamquam ab adversario et inimico, ipse idem generi humano uniretur in Christo in unitatem personae ; in quo manifestatur mira Dei condescensio in hoc, quod ipse genus humanum sibi inimicum coniungere voluit in indissolubile vinculum, iuxta illud quod dicitur ad Rom. V, 8 : Commendat autem charitatem suam Deus...

III^a ratio est ad *declarandam ordinationem sapientiae*, quae quidem ordinatio nullo potest infringi vitio. Decreverat enim Deus et ordinaverat, ut genus humanum totum multiplicaretur et disseminaretur ex uno, propter repraesentationem illius universalis principii, quod Deus est ; nec hoc per peccatum infringi debuit ; et ideo, Christus, mediator Dei et hominum, homo verus, non aliunde, sed de massa totius generis humani debuit formari.

IV^a vero ratio est ad *conservandam altitudinem humanae naturae*, quam Deus in tanta dignitate condiderat, ut nulli generi creaturae, sed soli Deo esset obnoxia. Si ergo non modicum est obnoxia Redemptori, decens est, ut Redemptor aut solum esset Deus, aut si haberet in se genus naturae creatae, hoc esset de genere illius massae, quae ortum habet a lumbis Adae ».

hominem verum suscipere ullo modo crederetur[1] ? et dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit ? Nunc vero inter Deum et hominem mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret ».

III°, quia per hunc modum *completur omnis diversitas generationis humanae*. Nam primus homo, productus est ex limo terrae sine viro et sine femina, Eva vero producta ex viro sine femina, alii vero homines nascuntur ex viro et femina. Unde hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex femina sine viro ».

C. *Decebat quod Christus carnem sumeret ex virgine*, q. 28, a. 1 :

« Quod Christus sit conceptus ex virgine, conveniens est propter quatuor :

I°, *propter mittentis dignitatem conservandam*. Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens ut alium patrem haberet quam Deum ; ne Dei dignitas transferretur ad alium.

II°, hoc fuit *conveniens proprietati ipsius Filii qui mittitur*. Qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur ; quinimo cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur. Quia igitur caro sic fuit a Verbo Dei assumpta ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur.

III°, hoc fuit *conveniens dignitati humanitatis Christi*, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur, secundum illud Io. I, 29 : *Ecce Agnus Dei*, scil. innocens, *qui tollit peccatum mundi*. Non poterat autem esse quod in natura iam corrupta ex concubitu caro nasceretur sine infectione originalis peccati. Unde Augustinus dicit, in libro de Nuptiis et Concupiscentia, l. I, c. 12 : Solus nuptialis concubitus ibi non fuit, — scil. in matrimonio Mariae et Ioseph, — quia in carne peccati fieri non poterat sine ulla carnis concupiscentia, quae accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato.

IV°, *propter ipsum finem incarnationis Christi*, qui ad hoc fuit ut homines renascerentur in filios Dei, *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo* (Io. I, 13), i. e. ex Dei virtute. Cuius rei exemplum apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde Augustinus, in libro de s. Virginitate, c. 6 : Oportebat caput nostrum, insigni miraculo, secundum corpus nasci de

1. Si Christus e coelo descendisset cum corpore formato, dubitari posset de realitate corporis ; quod si corpus coeleste habuisset, inutiliter transiret per Mariam.

virgine, ut significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura ».

II. Natura maternitatis. — Maternitas, aeque ac paternitas, implicat efficientiam activae generationis. Ad generationem tres requiruntur conditiones[1] :

1° *Origo viventis a vivente:* ita Christus naturam et vitam humanam habet a viva matre humana.

2° *Principio coniuncto*, i. e. consubstantiali, seu ex propria substantia generantis. Maria materiam dedit, a qua formatum est corpus Iesu, sicut aliae matres praebent substantiam corporis filiis suis et disponunt ad conceptionem : « materiam ministravit et operata est ante conceptionem... praeparando materiam, ut esset apta conceptui[2] ».

3° *In similitudinem naturae*, ita ut actus generationis natura sua tendat ad exprimendam naturam generantis in generatum : communicant mater et filius in eadem natura propter actum generationis, cuius finis est formare similem generanti in natura. Et in hoc functio Mariae est omnino similis illi quam habent aliae matres, in quibus totus processus de se tendit ad communicandam similitudinem naturae.

Porro actio generativa Mariae convenit, sub ratione speciali quae convenit matri. Ad quod intelligendum, oportet animadvertere maternitatem differre a paternitate, quia efficientia matris est *subordinata*. Generatio materna essentialiter consistit in concursu praestito alteri principio determinativo existentiae novi entis viventis. Unde mater essentialiter se habet ut principium determinabile principio determinativo subordinatum.

Mater tria munera habet : conceptionis, gestationis et parturitionis.

1° Maternitas *essentialiter* est in eo quod, ex propria substantia carnis, processu vitali physice formavit cellulam, scil. ovulum, quod determinatione ab extrinseco recepta potest in sinu matris fecundari et transformari in em-

1. S. Thomas, I, q. 27, a. 2.
2. S. Thomas, III, q. 32, a. 4.

bryonem corporis humani, quod exigit ut ab anima rationali informetur. In ipsa fecundatione se habet passive ; sed ovulo iam a principio activo fecundato, etiam active mulier concurrit, quatenus vires vitales ovuli, aeque ac seminis virilis fecundantis, partes habent activas in formatione et evolutione ovuli fecundati. Ita secundum placita scientiae biologicae[1].

2° *Consequenter* mater foetum evolvendum conservat in utero, et propria substantia, scil. sanguine suo, nutrit ope placentae, qua foetus ipsi adhaeret et cuius intermedio fit respiratio, circulatio et nutritio, quae defectu organorum sufficientium aliter est impossibilis. Evolutio in sinu matris est nativitatis praeparatio.

3° *Denique*, evolutione perfecta, mater parit ita ut ex utero nascatur foetus et in lucem edatur.

B. Virgo vere et proprie generavit Christum secundum naturam humanam :

1° Non solum physice, sed et *voluntarie*, praebuit et ministravit materiam principio determinativo ab extrinseco, quod non fuit principium humanum, semen virile a viro immissum, sed principium divinum : ipse Spiritus Sanctus cuius influxu ovulum fuit fecundatum et trans-

1. Iam sustineri nequit doctrina Aristotelis asserentis elementum femineum in generatione esse *mere* passivum, quam sententiam secuti sunt S. Thomas et multi Scholastici, non tamen omnes, cum S. Bonaventura, Scotus et quidam alii adhaeserint sententiae Galleni. Elementum quidem masculinum seu sperma active provocat et determinat transformationem ovuli ac conceptionem, et elementum femineum istam transformationem passive subit, etsi videatur ad eam quadantenus active concurrere, attrahendo caput zoospermatis ; nihilominus utrumque elementum eodem modo active concurrit ad formationem novi entis, seu novae cellulae, viribus scil. vitalibus propriis.

S. Thomas tres actus distinguit : 1° praeparatorium, quo materia conceptionis praeparatur ut sit apta conceptui et successive ad locum debitum generationis adducatur ; 2° essentialem, quo fit ipsa conceptio seu formatio embryonis ; 3° subsequentem, quo foetus successive nutritur et evolvitur usque ad partum. In 1° et 3° actu mater habet partes activas, in 2° vero se habet mere passive, ait S. Thomas, III, q. 32, a. 4 et q. 33, a. 1.

Iamvero dicendum, quod non solum in praeambulo seu in formatione ovuli eiusque descensu in locum debitum, scil. oviductum et uterum, aut in sequela seu in ministratione nutrimenti et evolutione foetus, sed etiam in essentia conceptionis seu in ipsa formatione et organisatione embryonis, mater, ac proinde Maria, habet partes activas seu active concurrit.

formatum in embryonem corporis humani. Non quasi Spiritus sanctus produceret semen, sed quatenus virtute sua praestitit quod virtute seminis effici solet, et eumdem effectum ac semen contulit[1] materiae a B. Virgine praeparatae. Ita B. Virgo, ministrando ovulum, praeparavit materiam ut esset apta conceptui[2]. Unde Patres docent non solum *in* Maria, sed *de* ea et *ex* ea Christum esse conceptum. Et S. Thomas, III, q. 31, a. 5 : « Ad naturalem modum generationis Christi pertinet quod materia de qua corpus eius conceptum est, sit conformis materiae quam aliae feminae subministrant ad conceptionem prolis ».

2° Consequenter Maria corpus Christi evolvendum in utero servavit et sanguine suo nutrivit. Formatio scil.

1. « Divini seminis instar », ait S. Ioannes Damascenus, *de Fide orth.*, l. 3, c. 2. — Cfr. S. Thomas, c. G. IV, 45.

2. Quodsi Patres dicant Christum formatum ex purissimo *sanguine* Mariae, est locutio metaphorica qua sanguis, principium nutritivum carnis viventis, ponitur loco substantiae maternae : simili modo Scripturae, in generatione paterna, sanguinem ponunt loco seminis virilis. Adhibetur iste modus loquendi, tum ad affirmandum quod corpus Christi ex substantia B. Virginis fuit formatum, quae a sanguine fuit praeparata, seu ex ovulo de illa substantia sumpto ; tum ad excludendum omnem impuritatem corruptionis et concupiscentiae, unde dicitur : ex sanguine *purissimo*.

Alii dicunt : de *carne* Mariae, i. e. de eius substantia, quia ovulum provenit de viva substantia B. Virginis, non quod actu ad eam pertineat, sed quod ex substantia eius fuerit formatum. Eodem modo dicitur Christus sumpsisse carnem seu corpus ex B. Virgine, quia materiam ex ea sumpsit, scil. ovulum, ex quo caro seu corpus fieri potest.

Nonnulli dicunt esse de *semine* mulieris, et recte, dummodo hoc nomine intelligatur principium generationis femineum, ut habet S. Thomas I, q. 115, a. 2, ad 3 ; quod de facto est ovulum. At nullatenus dici potest Christus conceptus ex eo quod ab antiquis theologis vocabatur semen mulieris, seu ex humore vulvo-vaginali, quia nec est necessarium ad generationem, imo nec verum semen esse iam est scientifice certum. S. Thomas, sequens sententiam Aristotelis, illud iam habet ut non necessarium generationi, et dicit non adhibitum in conceptione Christi, tum quia est aliquid imperfectum, tum quia cum concupiscentia resolvitur, quod B. Virgini non convenit. « Semen feminae non est generationi aptum, sed est quiddam imperfectum in genere seminis, quod non potest perduci ad perfectum seminis complementum propter imperfectionem virtutis femineae. Et ideo tale semen non est materia, quae de necessitate requiratur ad conceptum, sicut Philosophus dicit, de Generatione Animalium, l. 1, c. 19. Et ideo in conceptione Christi non fuit ; praesertim quia, licet sit imperfectum in genere seminis, tamen cum quadam concupiscentia resolvitur, sicut semen maris. In illo autem conceptu virginali concupiscentia locum habere non potuit » III, q. 31, a. 5, ad 3.

corporis Christi non fuit omnino perfecta ab initio, ita ut statim posset nasci, sed fuit embryonaria.

3° Illud quoque parturivit, ita ut ex Maria vere natum sit et via ordinaria in lucem editum.

12. Causa efficiens generationis humanae Christi, remota est consensus B. Mariae Virginis ; proxima : ministerialis, B. Virgo materiam praebens, et portans, et parturiens ; principalis : Spiritus sanctus corpus formans, et animam infundens ac uniens Verbo. Hinc conceptio Christi est miraculosa simul et naturalis, sub diverso respectu : ex parte matris est naturalis, ex parte operationis Spiritus sancti est miraculosa. Ut S. Thomas habet, III, q. 33, a. 4 : « Si enim consideremus id quod est ex parte materiae conceptus, quam mater ministravit, totum est naturale. Si vero consideremus id quod est ex parte virtutis activae, totum est miraculosum. Sed quia unumquodque magis iudicatur secundum formam quam secundum materiam, et similiter secundum agens quam secundum patiens, inde est quod conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa et supernaturalis, sed secundum quid naturalis ».

Spiritus sanctus dicitur causa per appropriationem ; cui attribui solent opera amoris, gratiae et sanctitatis, non exclusis Patre et Filio. Ut ait S. Thomas, III, q. 32, a. 1 :

« Conceptionem corporis Christi tota Trinitas est operata. Attribuitur tamen hoc Spiritui sancto, triplici ratione :

I° quidem, quia hoc *congruit causae incarnationis*, quae consideratur *ex parte Dei*. Spiritus enim sanctus est amor Patris et Filii... Hoc autem ex maximo Dei amore provenit ut Filius Dei carnem sibi assumeret in utero virginali. Unde dicitur Io. III, 16 : Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.

II°, quia hoc *congruit causae incarnationis ex parte naturae assumptae*. Per hoc enim datur intelligi quod humana natura assumpta est a Filio Dei in unitatem personae, non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia, quae Spiritui sancto attribuitur... Unde Augustinus dicit, in Enchir., c. 40 : Iste modus quo est natus Iesus Christus de Spiritu sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso primo

exordio naturae suae, quo esse cepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui Filius Dei.

III°, quia hoc *congruit termino incarnationis*. Ad hoc enim terminata est incarnatio, ut homo ille qui concipiebatur, esset sanctus et Filius Dei. Utrumque autem horum attribuitur Spiritui sancto. Nam per ipsum efficiuntur homines filii Dei..., ipse est etiam Spiritus sanctificationis... Sicut ergo alii per Spiritum sanctum sanctificantur spiritualiter, ut sint filii Dei adoptivi, ita Christus per Spiritum sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset Filius Dei naturalis. Unde... angelus annuntians ex hoc quod praemiserat : *Spiritus sanctus superveniet in te*, concludit : *Ideoque et quod nascetur ex te, Sanctum vocabitur, Filius Dei* ».

Nihilominus tres personae divinae effecerunt conceptionem et incarnationem Christi una communi actione, producentes simul corpus Christi et illud unientes soli Verbo ; sed id singulis attribuitur diverso sub respectu. Missio attribuitur Patri qui nobis dedit Filium suum incarnandum, Verbo ipsa assumptio carnis quam sibi univit, Spiritui sancto formatio corporis et naturae humanae quae assumitur a Filio (ib. ad 1 et 2).

Spiritus sanctus ne tamen dicatur Pater Christi secundum carnem. Conceptio Christi non est facta ex ipsa substantia Spiritus sancti, nec est in natura eius specifica seu in similitudinem naturae, nec est propria personae Spiritus sancti sed ipsi communis cum aliis[1].

13. Corollaria. — Itaque :

1° Verae maternitati Mariae non obstant :

a) influxus supernaturalis Spiritus sancti. Manet Maria principium efficiens subordinatum Spiritui sancto qui locum sumit viri.

b) persona divina genita. Generatio formaliter respicit naturam, terminus eius est nova quae efficitur natura, ut ait S. Thomas[2] : indifferens est an persona genita iam exstiterit vel non, dummodo incipiat esse in aliqua natura.

1. Ulteriores considerationes videri possunt apud S. THOMAM, III, q. 32, a. 3.

2. III, q. 35, a. 1 : intelligas terminum *formalem quo ;* nonnumquam subiectum, scil. hypostasis vel persona, ab aliquibus vocatur terminus *totalis qui* seu *completus*. En littera S. Doctoris, l. c. : « Nativitas potest

c) virginitas. Ex ipsa matre seu ex substantia eius formatur filius : carnem enim et sanguinem Deo incarnando Maria subministravit, eodem modo ac aliae matres filiis suis.

2° At verae maternitati obstaret, si Maria tantum concepisset Christum de suo sanguine immediate e corde sumpto, quod Caietanus asserit fuisse damnatum ; vel in pectore aut in corde, non in utero, ut muliercula quaedam narratur in visione suspecta intuitam esse : tum quia B. Virgo non esset mater eodem modo ac aliae matres, tum quia nec materia ista, nec istud organum sunt apta conceptui. Ceterum in Evangelio formaliter legitur : Ecce *in utero* concipies... Lc. I, 31. Cfr I, 41 ; II, 21 ; Mt. I, 18, 23.

3° Maria erga Iesum omnia praestitit quae aliae matres erga suos filios : eum concepit, in utero gestavit, formavit et nutrivit sua substantia (per placentam), peperit tempore debito manens tamen virgo, lavit, pannis involvit, et in praesepio reposuit, lacte suo aluit, in brachiis tenuit, amplexus est et osculatus, curis multis enutrivit, vestibus texit, familiaritate materna cum eo conversatus est.

4° Maria, ut mater, quamdam superioritatem et auctoritatem in Iesum habebat : verum ius ad amorem, reverentiam, cultum specialem, nam lege naturali tenebatur Christus, ut homo, ad officia amoris et pietatis.

5° Mariae nihilominus stricte non competebat ius ad obedientiam filii. Vi unionis hypostaticae Christus erat simpliciter superior matri suae, etiam secundum naturam humanam, et persona perfecte independens. Quamvis enim Christus, secundum naturam humanam, sit subiectus Patri et legi naturali[1], non tamen de necessitate tenebatur ad officium naturale obedientiae erga matrem, sed a potestate matris poterat emancipari. Etenim :

attribui alicui dupliciter : uno modo sicut *subiecto* (seu toti supposito cui omnia attribuuntur, et quod proinde est terminus totalis), alio modo sicut *termino* (formali). Sicut subiecto quidem attribuitur ei *quod* nascitur : hoc autem proprie est hypostasis, non natura. Cum enim nasci sit quoddam generari, sicut generatur aliquid ad hoc *quod* sit, ita nascitur aliquid ad hoc quod sit. Esse autem proprie est rei subsistentis, nam forma quae non subsistit, dicitur esse solum, quia *eâ aliquid est :* persona autem vel hypostasis significatur per modum subsistentis (*quod* est), natura autem significatur per modum formae, *qua* aliquid subsistit. Et ideo nativitas, tamquam subiecto nascenti (seu toti supposito ac termino totali) proprie attribuitur personae vel hypostasi, non naturae ; sed sicut termino (formali) attribuitur nativitas naturae. Terminus enim generationis et cuiuslibet nativitatis est forma : natura per modum formae significatur ».

1. S. THOMAS, III, q. 20, a. 1.

a) « Cum obedientiae ratio ex eo desumatur, quod sicut ex ipso ordine naturali divinitus instituto, inferiora in rebus naturalibus necesse habent subiici motioni superiorum, ita etiam in rebus humanis, ex ordine iuris naturalis et divini, tenentur inferiores superioribus suis obedire [1], patet Christum qui, secundum humanam naturam, superiorem se neminem agnoscebat, non debuisse Matri quantum ad obedientiam de iure subiici, qui pariter legibus Caesaris aut iussis summi Sacerdotis non tenebatur, cum ipsis, etiam secundum humanam naturam, superior existeret [2] ».

b) Officium obedientiae debetur a filio, non ut filio, sed ut imperfecto qui se et actus suos nondum regere potest; unde officium cessat cum maioritate aut emancipatione. Sed Christus, utpote etiam in natura humana perfectissimus, seipsum et actus suos regere erat aptissimus, cui perfecta scientia inde ab initio competebat, tum beata, tum per se infusa.

Attamen voluntarie obedivit Christus, et, ad probandum amorem et reverentiam, et in exemplum obedientiae nostrae, secundum voluntatem Patris, voluit non solum de facto, sed et de iure esse subditus B. Virgini et S. Ioseph, in omnibus temporalibus et domesticis circa se in tenera aetate (Lc. II, 51), non autem in rebus spectantibus ad mandatum Patris (ib. 49).

6° Christi ex B. Maria « conceptio tria privilegia habuit : scil. a) quod esset sine peccato originali ; — b) quod esset non puri hominis ; — c) item quod esset conceptio virginis ; et haec tria habuit a Spiritu sancto. Et ideo dicit Damascenus, de Fide orth., l. 3, c. 2, quantum ad 1um, « quod Spiritus Sanctus supervenit Virgini purgans ipsam », i. e. praeservans ne cum peccato originali conciperet ; — quantum ad 2um dicit : « et virtutem susceptivam Verbi tribuens », i. e. ut conciperet Verbum Dei ; — quantum ad 3um dicit : « simul autem et generativam », ut scil. manens virgo posset generare..., sicut aliae matres hoc consequuntur ex semine viri » S. Thomas, III, q. 32, a. 4, ad 1.

14. Animadversiones de momento conceptionis Christi a B. Virgine.

1° *Ad fidem* pertinet incarnationem Verbi peractam fuisse ipso momento conceptionis, seu quo constituta est natura humana, corpore et anima constans, quia

1. S. THOMAS, II-II, q. 104, a. 4.
2. LÉPICIER, *Tractatus de Bma Virgine Maria Matre Dei*, p. 1, c. 3, a. 2. n. 7. Ubi addit : « Quapropter excludenda est, tamquam veritati minus consentanea, illa quorumdam piorum auctorum sententia, tradentium Christum, antequam ad mortem proficisceretur, Matris licentiam formaliter quaesivisse ».

natura humana numquam fuit in se subsistens persona, sed semper fuit assumpta a Verbo Dei ; nec aliud assumpsit Verbum praeter naturam humanam, secus duplex esset incarnatio et unio hypostatica. Ceterum Verbum factum est homo, non autem homo factus est Verbum. Cfr. S. Thomas, III, q. 33, a. 3.

2° *Certum* est momento conceptionis corpus Christi animatum fuisse anima rationali. Nam « ad hoc quod conceptio ipsi Filio Dei attribuatur, ut in Symbolo confitemur dicentes : *Qui conceptus est de Spiritu sancto*, necesse est dicere quod ipsum corpus Christi, *dum conciperetur*, esset a Verbo assumptum. Ostensum est autem... quod Verbum Dei assumpsit corpus, mediante anima, et animam, mediante spiritu, id est, intellectu [1]. Unde oportet quod in primo instanti conceptionis corpus Christi esset animatum anima rationali » S. Thomas, III, q. 33, a. 2.

Circa momentum autem praecisum quo corpori humano unitur et infunditur anima rationalis, animadvertendum duplicem dari sententiam :

a) Omnes fere antiqui, et plures recentiores, assignant momentum quo embryon, ex aliis vitalibus principiis evolutus, organisationem sufficientem acquisivit ut formaliter ab embryone animali distinguatur et vita diversa donetur, quod fieri videtur versus finem tertii mensis : iuxta regulam enim generalem, omnis forma essentialiter connexa est cum activitate, unde non infunditur nisi materia sit proxime disposita et sufficienter apta ad exercitium activitatis quae est propria huic formae.

b) E contra recentiores fere omnes dicunt id fieri primo instanti conceptionis, i. e., secundum placita scientiae embryologicae hodiernae, quando zoosperma virile unitur ovulo femineo, et una ex ovulo sic fecundato cellula viva constituitur [2].

Iamvero, si istae sententiae conceptioni Christi applicentur, neutra est sine difficultatibus, sed maiores sunt in prima. Ad tuendam scil. incarnationem qualis de facto locum habuit :

a) Auctores primae sententiae debent statuere diversum modum conceptionis pro Christo ac pro aliis, et dicunt cum

1. III, q. 6, a. 1-2.
2. Ista sententia tamen nullatenus est certa, quod ceteroquin plures theologi agnoscunt. Vide *Dict. de Théol. cath.*, art. *Animation* ; et *Revue Eccl. de Liège*, sept. 1907.

S. Thoma, III, q. 33, a. 1 et 2, Spiritum sanctum non tantum supplevisse virtutem seminis virilis, sed etiam miraculose foetum formasse non diuturniore successione evolvendum, sed ab initio in forma humana et externa specie hominis sat perfecta dispositum, qui ab initio sit capax exercitii vitae intellectualis; — sub minoribus tamen dimensionibus formatum fuisse quam corpus quod exigit infusionem animae iuxta processum naturalem normalis evolutionis, ita ut, ordinario addunt, evolutione posteriore lentius procedente, in utero B. Virginis circiter manserit per tempus ordinario requisitum, ut corpus acquirat dimensiones et dispositiones convenientes ad nativitatem.

Ratio est quia, secundum Symbolum, Filius Dei conceptus est a Spiritu sancto; atqui si Verbum non uniretur naturae humanae durante initiali conceptione, scil. tempore actionis miraculosae Spiritus sancti, non posset dici ipse Filius *a Spiritu sancto* conceptus, nec B. Virgo *eum* concepisse; posset tunc dici Spiritus sanctus active concepisse corpus, non ipsum Filium Dei; et B. Virgo posset dici Filium Dei active gestasse, eius corporis augmentum subministrasse, non vero concepisse : deest scil. nexus inter primam conceptionem et Verbum, et concursus Spiritus sancti B. Virgini praestitus non attingeret ipsum Verbum. Iamvero Verbum non unitur corpori nisi mediante anima rationali. Unde durante initiali conceptione, i. e. tempore actionis miraculosae Spiritus sancti adfuit anima rationalis, ac proinde corpus ad animam rationalem recipiendam sufficienter dispositum.

Confirmatur : Differentia est cum generatione naturali hominis, quod parentes in materia producunt dispositionem quae evolvitur ita ut in fine exigat infusionem animae; et ideo vere concipiunt filium, quia eorum actio per se terminatur ad hominem. Sed nulla dispositio vel evolutio naturalis exigere potest unionem hypostaticam Verbi, et ideo, si Filius Dei non uniretur ab initio, agente adhuc Spiritu sancto, iam nullo modo dici posset de Spiritu sancto vel ex B. Virgine conceptus [1].

b) E contra, ad tuendum dogma incarnationis, auctores alterius sententiae, stricte possunt in evolutione foetus non statuere modum conceptionis miraculosum, seu diversum ab illo qui est in aliis hominibus; nam ab initio anima iam adest, ac proinde divinitas [2]. Ita tamen dicendo, non vitant omnem difficultatem. Antiquiores enim theologi per saecula tamquam principium theologicum admiserunt, Filium Dei 1° congruenter non posse uniri nisi naturae humanae sat perfectae; 2° eum

1. VAN CROMBRUGGHE, *De Verbo Incarnato*, Gandae, 1909, l. 1, c. I, a. 3, § III de tempore unionis, schol. 1.
2. Ita v. g. POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik*, II, Paderborn, 1903; GUTBERLET, *Der Gottmensch Jesus Christus*, Regensburg, 1913; A. JANSSENS, *De Heerlijkheden van het goddelijk Moederschap*, Brussel, 1928.

habuisse ab initio conceptionis usum intellectus humani perfectum atque liberi arbitrii, et quidem secundum triplicem scientiam beatam, infusam et acquisitam. Haec vero non possunt convenire uni cellulae ovuli fecundati, quae nullam similitudinem habet cum corpore humano organisato.

Forsan dicent : dum adsit anima rationalis, usus intellectus et liberi arbitrii adesse potest secundum scientiam beatam aut infusam, quae non indiget organo corporis. At Scholastici etiam admittebant ab initio scientiam acquisitam, ut videre est apud S. Thomam, III, q. 34, a. 2, ad 3; et semper manet alterum inconveniens : Verbum decenter non posse uniri uni cellulae ovuli fecundati. Quodsi ista inconvenientia vitare velint, recurrere oportebit ad modum miraculosae conceptionis quo ab initio formetur embryon humanus perfectior quam naturaliter fieri soleat, fere sicut aiunt auctores primae sententiae.

3° *Communissima sententia* est conceptionem Christi, seu initialem formationem embryonis humani « in qua *principaliter* ratio conceptionis consistit », non decurrisse per durationem temporis, sed factam fuisse in uno instanti. Cuius ratio duplex affertur a S. Thoma, III, q. 33, a. 1 :

a) « Tanto enim aliquod agens *citius potest* materiam disponere quanto maioris virtutis est; unde agens infinitae virtutis potest in instanti materiam disponere ad debitam formam ».

b) « Ex parte personae Filii, cuius corpus formabatur. Non enim erat congruum ut corpus humanum assumeret, nisi formatum. Si autem ante formationem perfectam aliquod tempus conceptionis praecessisset, non posset *tota* conceptio attribui Filio Dei, quae non attribuitur ei nisi ratione assumptionis. Et ideo in primo instanti quo materia adunata (scil. ovulum) pervenit ad locum generationis, fuit perfecte formatum corpus Christi et assumptum. Et per hoc dicitur ipse Filius Dei conceptus, quod aliter dici non posset ».

c) Ceterum, ita sensu obvio loquuntur Concilia et Patres, dum aiunt carnem *simul* conceptam, animatam et unitam Verbo; nec aliam carnem fuisse formatam quam carnem Christi; nec carnem Christi sine divinitate conceptam priusquam assumeretur [1]. « Simul caro, ait Ioannes

1. Cfr. S. IOANNES DAMASCENUS, *de Fide orth.*, l. III, c. 2 et 11; S. GREGORIUS M., *ep. ad Quir. ep. Hib.*; S. FULGENTIUS, *de Fide ad Petrum*,

Damascenus[1], simul Dei Verbi caro, simul caro animata anima rationali et intellectuali[2] ».

Haec sententia, spectatis placitis scientiae hodiernae experimentalis, non est sine difficultate. Secundum illam scientiam, mater partes habet activas, non solum in praeparatione ovuli, et in pleniore evolutione embryonis, sed etiam in ipsa huius formatione et organisatione ; maternitas scil. essentialiter consistit in eo quod embryon successive formetur et organisetur ex ovulo desumpto a matre, quae ad hoc materiam non solum subministrat, sed et virtutem praebet, ita ut formatio et organisatio embryonis simul fiat ab utroque elemento, virili et femineo, tum active, quia utrumque est causa efficiens sua vi intrinseca organisationem cellularem producens, tum passive, quia pars materiae ex utroque transit in embryonem eumque constituit. Iamvero talis formatio et organisatio non potest naturaliter fieri in instanti ; sed est cum motu locali. Et si quis applicare vellet dictum S. Bonaventurae, qui tenebat matrem active concurrere : « Quia non decebat, carnem Christi formari successive,... ideo Spiritus sanctus sua infinita virtute perduxit illam materiam ad actum completum. Et per hoc in nullo Virgini derogatur, si Deus sua virtute acceleravit, quod in aliis matribus successive perduxit ad esse[3] » ; quamvis Deus accelerare posset, tamen a scientiae naturalis cultoribus difficulter admitteretur quod, si in instanti fieret sine motu locali, sufficienter salvaretur ratio maternitatis qualis de facto existit.

Ceterum argumenta supra allata, licet magni valoris, non videntur omnino efficacia. Nam :

a) Concilia, et plures saltem Patres, intelligi possunt latiore sensu de conceptione naturae humanae, scil. de momento infusionis animae eiusque unione cum corpore : dicunt scil. contra Nestorium, partes *naturae humanae*, scil. animam ra-

c. 18 ; S. Maximus, *ep. ad Ioan. Cubic.* ; S. Leo M., *ep.* 35 *ad Iul. Caens.*, c. 3 ; Iustinus, *prof. fidei* in Conc. V (Const. II) ; S. Sophronius Hier., *ep. syn. ad Serg.*, lecta et approbata in Conc. VI (Const. III) : « non caro antequam caro Verbi ».

1. L. c.

2. Doctrina in animadversionibus factis exposita, tota invenitur, sed ordine inverso, apud S. Thomam, III, q. 33, a. 1, 2 et 3. Ne tamen idem gradus certitudinis tribus articulis tribuatur, opportune notat L. Janssens, *De Deo-Homine*, II, Mariologia, in S. Thomam, III, q. 33, Freib. in Br., 1902, p. 435 : Isti tres articuli « se tenent ad modum gradationis ascendentis. Doctrina articuli tertii simpliciter de fide dicenda est (vide supra, 1º). Doctrina articuli secundi non est quidem de fide, sed theologice certa (utpote deducta et connexa ; vide 2º). Doctrina articuli primi ab aliquibus ut prorsus certa exhibetur, sed non video huic affirmationi sat solidum subesse fundamentum. Quare placet magis ut solummodo dicatur probabilissima » ; hinc lege quae sequuntur.

3. III *Sent.*, d. 4, a. 3, q. 1.

tionalem et corpus aptum ad eam recipiendam eaque informatum, non praeexistere ; non fuit *caro humana* formata quae non fuit caro Christi, sed simul concepta caro *humana*, anima rationalis infusa et Deo unita. At de carne foetus qui nondum esset homo, non expresse loquuntur : de iis scil. quae statum perfectae formationis praecedunt, plerumque nihil dicunt. Quodsi quidam Patres ulterius videantur admittere instantaneam formationem corporis, non tamen probantur in hoc esse unanimes, aut locuti tamquam testes fidei.

b) Item primum argumentum est de mera decentia aut de sola possibilitate, cum Deus sit ens liberum, et aliter agere possit, ut notat in hunc locum Caietanus.

c) Secundum argumentum quidem est de facto, sed posita decentia, ait Caietanus, non assumendi nisi corpus formatum. Ceterum non omnes convincit ; nam, secundum nonnullos, ad hoc quod Filius Dei dicatur a Spiritu sancto conceptus, non stricte requiritur quod in primo instanti iam adsit, sed quod conceptio continuata de facto terminetur ad eum. Passiones enim, sicut actiones, tribuuntur, non naturae, sed supposito seu personae, et ideo conceptio de facto terminata ad personam Verbi ipsi tribuitur. Licet igitur non sufficeret quod Filius Dei adveniret conceptione peracta, et Spiritus sancti operatione iam terminata, sufficere tamen videri poterit quod Filius adsit in fine miraculosae operationis Spiritus sancti, et in fine cooperationis quam B. Virgo Spiritui sancto largitur, ut Filius Dei dicatur a Spiritu sancto et B. Virgine conceptus. Sic simul essent et in instanti : terminata formatio embryonis, — eius animatio ab anima rationali, — et unio cum Verbo ; sed ipsa formatio embryonis aliquam successionem implicaret et motum localem.

De hac re definitivam sententiam ferre pertinet ad Ecclesiam ; an ita dici possit, nolumus iudicare, sed quaestionem modeste proponimus, et sapientioribus relinquimus decidendam[1].

4º Ad determinandum momentum praecisum historicum conceptionis et nativitatis Christi, nihil certi ex documentis

1. Scotus, quid hac in re senserit, legimus in libello *Resolutionum I. Duns Scoti super* 3 *l. Sent.* : « Corpus Christi non prius tempore fuit organisatum et complete effigiatum per ultimam formam corporeitatis immediate disponentem ad animam intellectivam, quam fuerit animatum, quia nec aliter in nobis contingit. Quantum autem attinet ad transmutationes praecedentes inductionem formae corporeitatis ultimae, quae sunt primo motus localis, quo materia defertur ad locum convenientem generationi, nempe ad matricem, deinde alteratio, qua materia disponitur ad formam corporis organici : dubium est, an praecesserint tempore incarnationem Verbi, vel fuerint in eodem instanti factae, in quo Verbum sibi talem univit naturam : hoc autem solus novit Spiritus sanctus et tota Trinitas, quae hoc mysterium operata est... »

revelationis deduci potest. Ex iis quae narrantur in Evangelio Lucae videtur constare incarnationem factam fuisse ante visitationem Elisabeth, quae Mariam vocat *matrem Domini*, licet aliquis aestimaverit ita vocari posse dummodo sit mater Domini proxime futura. Imo generatim dicunt esse factam circa momentum quo Virgo consensit verbis Angeli. Sed materia B. Virginis iam antea potuit aliquatenus praeparari, ita ut conceptio annuntiata : *Ecce concipies Filium...*, intelligenda sit de ultima formatione et de adventu Verbi : filius enim concipitur dum animatur.

Quantum ad nativitatem Christi nihil stricte deduci potest ex verbis : *impleti sunt dies ut pareret* (Luc. II, 6). Haec enim, quamvis suggerant nativitatem factam esse tempore consueto, scil. post novem circiter menses, ita tamen possunt intelligi ut de facto tempus parturiendi advenerit, quod signis partus imminentis constare potuerit.

5° Similiter nequit argumentum deduci ex Ecclesiae doctrina, nempe ex eo quod festum Annuntiationis B. Virginis, ac conceptionis vel et incarnationis Christi, novem praecise mensibus celebretur ante festum Christi nativitatis, quia Ecclesia per hoc non intendit momentum incarnationis mathematice definire, sed festum posuit circiter secundum tempus ordinarium gestationis legibus communibus requisitum, quod, iuxta scientiam experimentalem, non est novem mensium solarium, sed decem lunarium seu 280 dierum[1].

Ceterum formatio corporis Christi miraculose fieri potuit, ita ut perfectius formaretur et citius evolveretur, sicut tenuerunt multi et plures adhuc tenent ; quae sententia non est damnata nec improbabilis. Quo casu, tempus gestationis nullatenus requireretur novem mensium.

---

1. Vide Antonelli, *Medicina Pastoralis* (ed. 5ª, 1932), III, de Bapt., n. 390.

QUAESTIO SECUNDA.

MARIA EST VERA MATER DEI.

Articulus I.

DE VERITATE MATERNITATIS DIVINAE.

15. **Docet fides catholica** B. Virginem non solum esse matrem hominis Iesu, qui simul est Deus, sed esse, et quidem *proprio* sensu, *veram* matrem Dei : vere Deum genuit, concepit, et peperit, ita ut non solum sit *Deipara* sed et *Dei genitrix* seu *Theotócos*. Dicitur :

a) *Vere genuit* eum cuius mater dicitur, quia non solum per eam transiit, sed carnem ex eius substantia accepit, ut supra explicatum fuit.

b) *Deum*, i. e. personam divinam. Non est Maria mater divinitatis seu naturae divinae : id dicere esset haereticum ; sed personae divinae : non qua talis, i. e. secundum naturam eius divinam, aut characterem divinum, et nativitatem aeternam, sed secundum substantiam carnis et humanitatem, ac nativitatem temporalem.

c) *Proprio sensu* seu in sensu composito, ita ut subiectum quod generatur sit Deus seu persona divina, et non persona humana quae postea facta est Deus. Unde *stricto* sensu est mater Dei, quia filius momento generationis est Deus, et non sensu latiore, sicut mulier vocatur mater Regis, quia genuit filium qui postea factus est rex.

Quodsi, in casu, vero quodam sensu, licet non stricto sed improprio, possit dici mater regis, illa mulier cuius filius factus est rex, eo quod dignitas accidentalis regis relinquit personam intactam, et competere potest eidem personae filii sui ; nullatenus tamen vere posset dici mater Dei, si filius ab ea conceptus postea fieret Deus, quia tunc ipsa persona intrinsece mutaretur, et humana persona genita destrueretur, eiusque loco succederet prorsus alia, divina, quae non esset ab hac matre concepta.

Doctrinam catholicam negant plures :

A. *Implicite*, non solum 1° illi qui negant humanitatem Christi realem et terrestrem, aut huius conceptionem,

ut Docetae, Valentiniani, Marcion, Apelles ; et 2° illi qui humanitatem admittentes, negant Christi divinitatem et eum habent merum filium Dei adoptivum, ut Ebionitae, Cerinthus, Paulus Samosatenus ; ac 3° Ariani, qui incarnatum Verbum habebant ut primam et perfectissimam creaturam ; sed et 4° Photinus, qui unionem hypostaticam nonnisi post Christi nativitatem factam proponebat ; imo 5° Eutychiani illi qui dicunt divinam naturam Verbi mutatam esse in humanam, vel novam naturam ex utraque fuisse compositam. Illi omnes consequenter debent asserere Mariam non genuisse Deum.

B. *Explicite :* 1° Illi qui statuunt in Christo duas hypostases seu personas, morali aut accidentali unione coniunctas, non unione reali et personali. Unde Christus est filius Mariae, non Deus et Verbum : Maria est *Christotócos*, vel et *Theodóchos*, i. e. Deifera, non Theotócos ac Dei genitrix.

Ita post Diodorum Tarsensem et Theodorum Mopsuestenum, Nestorius, patriarcha Constantinopolitanus. Prius, de eius mandato aut consensu, dixit in praedicatione Anastasius presbyter : Deus nequit habere matrem ; sed et postea Nestorius ipse id probavit et explicite eamdem doctrinam professus est. Unde B. Virgo nequit vocari, nisi abusive et metaphorice, mater Dei, quatenus Deus in Christo est ut in templo et sic dignitatem communicat filio Mariae. Cui se opposuit S. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus. Nestorium damnavit Concilium Ephesinum (a. 431).

2° Inter Protestantes : Sociniani, et Unitarii.

3° Rationalistae quoque dicentes maternitatem divinam non pertinere ad doctrinam primitivam Ecclesiae ; prius asserunt Mariam solum habitam fuisse feminam eminentem, dein virginem concipientem, denique tandem Dei matrem.

Iamvero dogmatica de Dei genitrice doctrina tamquam centralis habenda est in dogmate incarnationis Verbi : continet enim : a) professionem humanae naturae Christi, secus nulla esset Mariae maternitas ; b) professionem divinae naturae Christi, secus filius Mariae de iure non

posset dici Deus ; c) professionem unionis hypostaticae utriusque naturae in unitate personae, secus idem non posset esse simul filius Patris et filius Mariae ; d) professionem huius unionis ab ipsa Christi conceptione, secus non posset mater Christi hominis praedicari et esse mater Dei. Convellit itaque vox Theotócos simul Docetas et Ebionitas, Nestorium, Eutychen et Photinum[1].

Doctrina tamquam dogma fidei fuit explicite definita.

Ita in Concilio Ephesino, primo anathematismo S. Cyrilli Alexandrini a Concilio probato ; ep. Leonis I ad Flav. ; Conc. Chalcedonensi, in def. ; ep. Ioannis II ad Senatores Constantinopolitanos ; Conc. Constantinopolitano II, can. 6 ; Conc. Lateranensi (a. 649), can. 3 ; Conc. Constantinopolitano III, in def. contra Monothelistas ; prof. fidei pro Orientalibus Urbani VIII, confirmata a Benedicto XIV, 16 Mart. 1743 ; et Const. *Cum quorumdam* Pauli IV, 7 Aug. 1555, contra Socinianos, a Clemente VIII, 3 Febr. 1603 confirmata.

16. Testimonium Scripturae. — Multipliciter docetur in Scripturis maternitas divina Mariae : tum directe et in se, sive formaliter et explicite, sive implicite et aequivalenter, tum indirecte seu in alio.

A. *Indirecte* seu *manifesta deductione :*

1° Maria, iuxta Scripturas, est vera mater Iesu Christi, ut supra ostensum est (n. 8). Atqui Iesus vere et proprie est Filius Dei ; Filius autem Dei est vere Deus, ut ex Scripturis probari solet in tractatu de Incarnatione. Sed, si filius Mariae est Filius Dei et vere Deus, Maria vere est mater Dei : ista enim sunt correlativa. Ergo Maria vere est mater Dei. Vel ita : Maria est mater Iesu. Iesus non est nisi persona divina. Ergo Maria est mater personae divinae, seu Dei.

2° Ab Apostolo, ad Rom. IX, 5, dicitur Christus a Patribus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Atqui non est a Patribus secundum carnem, nisi mediante Maria, qui eum concepit et peperit. Ergo B. Maria est mater illius qui est Deus benedictus in saecula.

1. L. Janssens, *De Deo-homine*, II, Mariologia, in S. Thomae III, q. 35, a. 4. Cfr. S. Ioannes Damascenus, *de Fide orth.*, l. III, c. 12.

3° Unde ait S. Thomas, III, q. 35, a. 4, ad 1 : « Licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum, quod B. Virgo sit mater Dei, invenitur tamen expresse in Scriptura quod Iesus Christus est verus Deus (I Io. V, 20), et quod B. Virgo est mater Iesu Christi, ut patet Mt. I, 16. Unde sequitur de necessitate ex verbis Scripturae quod sit mater Dei. Dicitur etiam, Rom. IX, 5, quod ex Iudaeis est *secundum carnem Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Non autem est ex Iudaeis, nisi mediante B. Virgine. Unde ille qui est super omnia Deus benedictus in saecula, est vere natus ex B. Virgine sicut ex sua matre ».

B. *Directe:* 1° *Formaliter et explicite* id dicit Angelus, Lc. I, 31-33, obvio quidem sensu : *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum. Et regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te, Sanctum vocabitur, Filius Dei*[1].

2° *Implicite et aequivalenter.* Dicitur Io. I, 14 : *Verbum caro factum est,* i. e. homo, *et habitavit in nobis;* est autem caro factum ex muliere, nam Gal. IV, 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere,* nativitate temporali, scil. ex Maria, Lc. I, 31. Atqui vere Deus est Verbum, Io. I, 1. Ergo verus Deus factus est caro ex Maria, et ita factus est ex semine secundum carnem (Rom. I, 3). Est ergo Maria mater Dei secundum carnem.

3° Hinc exclamavit Elisabeth, repleta Spiritu sancto, Lc. I, 43 : *Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Dominus (ὁ κύριος) est nomen Dei, scil. Iahveh, ut patet ex immediato contextu, scil. ex v. 45 et 46, imo ex toto capite[2].

1. Licet terminus *Filius Dei,* spectata sola vi nominis, non constaret cum omnimoda certitudine sumendus in sensu proprio, id tamen est omnino indubium ex aliis locis N. T., Christum esse verum et naturalem Filium Dei.

2. Vide v. 6, 9, 11, 15, 16, 17, 25, 28, 32, 38, et 45, 46, 58, 66, 68, 76.

17. **Testimonium Traditionis.** — Maternitas divina Mariae in Traditione praedicatur progressive diversis modis. In quo progressu distingui possunt tria stadia :

1° Initio, ante Conc. Nicaenum, non *praedicatur* explicite, sed *implicite et aequivalentibus terminis:* Maria concepit, genuit, gestavit, peperit Deum ; vel Deus aut Filius Dei est conceptus, natus ex Maria.

Ita in Symbolo, Filius Unigenitus (Patris) profitebatur natus ex Virgine Maria ; — item apud Patres : sic v. g. Ignatius : « Deus est incarnatus ex Maria et Deo » ad Ephes. VII ; « Deus noster Iesus Christus parturiebatur a Maria », ib. XVIII ; — Iustinus : « Christus prius exstitit Filius conditoris omnium, ac Deus, qui genitus est homo per Virginem, eidem nobiscum legi patiendi subiectus et carnem habens » dial. 48 ; cfr. apol. I, n. 63, ap. II, 6 ; — Aristides, ap. XV, 2 ; — Irenaeus : « Angelus nuntiavit Mariae quod gestaret Verbum » adv. haer. III, 16 ; cfr. 19, 21 ; « Deus Filium qui... eam quae esset ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo » III, 4; cfr. V, 19; — Hippolytus: « Deus Verbum e coelis descendit in sanctam virginem Mariam, ut ex ea incarnatus... salvaret Adam qui ceciderat » c. Noëtum, 17 ; — Tertullianus : « De Spiritu sancto concepit ; et quod concepit, id ergo nasci habebat quod erat conceptum et pariendum. Caro autem Deus non est, ut de illa dictum sit, quod nascetur sanctum vocabitur Filius ; sed ille qui in ea natus est, Deus » adv. Prax., c. 27 ; « Concepit Virgo et peperit Emmanuel, nobiscum Deus » de carne Chi., 17 ; — Origenes : « Maria locuta est verbum quod Filius Dei in ventre matris suggesserat » fragm. in ep. ad Tit. ; cfr. c. Cels. I, 35 ; hom. 7 in Luc. ; — Lactantius : « Propheta declaravit nomine (Emmanuel) quod Deus ad homines in carne venturus esset » Div. inst. IV, 12 ; — ps.-Clemens : « Deum gestavit » ep. I ad Virg., 6.

2° Postea, *explicite et formaliter* Maria dicta est *Theotócos, Mater Dei* et *Dei Genitrix.*

a) Prius, ut videtur, cepit vox adhiberi in schola alexandrina saec. III, et ea usa est tamquam tessera doctrinali ad inculcandam realem Christi unitatem.

Certo occurrit apud Alexandrum Alexandrinum († 328), ep. I, 12 ; et probabiliter fuit a Pierio adhibita[1], et ab Origene

1. Id testatur Philippus Sidetes, saec. V.

in comm. ep. ad Romanos[1], licet in versione satis libera Rufini non inveniatur. Adhibetur autem a S. Athanasio, or. III, c. Arian. 14, 29, 33; de inc. Dei Verbi 8, 22; — S. Gregorio Naz., ep. 101 ad Cledon. 1; — Didymo, de Trin. I, 31; III, 16, 41; — S. Gregorio Nyss., ep. 3; or. 5 in res.; — et in Expos. Fidei, I, ab ignoto confecta. Atque ita asserunt contra haeresim Apollinaris.

b) Extra scholam Alexandrinam eadem formula utuntur:

Eusebius Caesar., Vita Constantini, l. III, 43; — S. Cyrillus Hier., cat. X, 19; — S. Epiphanius, Ancoratus, 75; — S. Basilius, hom. 25 de humana...; — S. Proclus, or. 1, c. Nest.; — S. Ephrem, hymn. de B. M. XVIII, 20; or. ad S. Dei matrem.

c) Etiam in Ecclesia latina ita loquuntur:

Et quidem *formaliter*, S. Hilarius, de Trin. II, 25-26; III, 19; X, 16-17; — S. Ambrosius, de Virg. II, c. 2, n. 7; cfr. in Luc., l. II, n. 25; — S. Hieronymus autem et S. Augustinus, licet vocem non adhibeant, tamen *aequivalenter*, clare et indubie rem asserunt: prior in Is. VII, 9, 14 et in Tit. II, 12; alter, de agone Chi., 18, 22; c. Faust. III, 6, 14; c. Iul. op. imp. I, 138.
Unde testatur S. Cyrillus Alex. quod Iulianus apostata carpebat Christianos dicendo: « Vos Mariam Deiparam vocare non cessastis » c. Iul. VIII; testantur quoque Ioannes Ant., ep. ad Nest., ac Theodoretus, l. c. Nest., quod vetustissimi praecones orthodoxae fidei iuxta apostolicam traditionem Mariam Deiparam nominare docuerunt.

3° Denique, celebrato Concilio Ephesino, *doctrina de Maria Dei Genitrice fuit obiectum explicitae fidei catholicae*, atque manifestata fuit per integram vitam christianam.

Ecclesia cecinit illud Sedulii: « Salve, sancta Parens, enixa puerpera Regem, qui coelum terramque tenet per saecula »; in hymnis cantat: « Ave maris stella, *Dei mater* alma »; et « Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine »; ac in antiphona: « Alma Redemptoris mater... Tu quae genuisti... tuum sanctum Genitorem »; in praefatione Missae de B. M. V. idem celebrat; ac in Litaniis Lauretanis, sub invocatione: Sancta Dei genitrix; ac in versiculo: Ora pro nobis, sancta Dei genitrix; denique a saeculo XV deprecari incepit: « S. Maria, Mater Dei, ora pro nobis, peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae », idque a saeculo XVI salutationi angelicae additum invenitur.

1. SOCRATES, H. E., VII, 32.

Doctrinae fidei consonat manifestatio artis christianae, inde a catacumbis[1]. Ita quoque Liturgiae.

In Liturgia S. Petri antiquissima dicitur: « Libera nos, Domine, ab omni malo intercessionibus Mariae Deiparae »; in Liturgia S. Iacobi: « commemorationem agamus SS. D. N. Matris Dei, et omnium Sanctorum, ut precibus eorum misericordiam consequamur »; Liturgia graeca, post consecrationem, habet orationem ad S. Dei Genitricem; pariter Liturgia syriaca post communionem; Liturgia coptica huiusmodi orationem habet dicendam dum sacerdos manibus hostiam tenet; in Liturgia S. Basilii dicitur « Christus homo factus ex Spiritu et Virgine Deipara »; in Liturgia gallica: « meritis et intercessionibus Deiparae », etc.
Quod et de schismaticis verificatur: sic Liturgia ethiopica Maria veneratur ut « Mater Dei »; et in graeco-schismatica et russica, erga « Matrem Dei » devotio est magna valde.

18. Ratio theologica varia afferri potest:

1° *Ex ipso dogmate Incarnationis.* Illa vere est mater Dei, quæ concipit et generat personam quae Deus est. Atqui B. Virgo concipit et generat personam Christi quae Deus est, et quidem Deus est a conceptione, ita ut numquam fuerit homo quin esset Deus. Ergo B. Virgo vere est mater Dei.

Etenim subiectum, seu terminus totalis, generationis: id quod generatur, non est natura, sed persona quae subsistit in natura generata: actiones et passiones sunt suppositorum, et nemo dicitur pater aut mater alicuius naturae, sed huius vel illius personae, quia illius est generari et fieri cuius est esse et subsistere. Ita v. g. mater Petri, licet corpus illius tantum tribuit, merito dicitur generare Petrum ipsum seu personam Petri; unde S. Cyrillus Alex., ep. 1: « Licet illae terrestrium dumtaxat corporum matres fiant, non alteram partem, sed *totum*, quod ex anima et corpore conflatur, parere dicuntur ». Similiter B. Virgo dicitur et est mater personae divinae, scil. *totius*, quamvis non generet divinitatem, nec animam, sed solam carnem, ad animam suscipiendam dispositam.

2° *Ex consectariis incarnationis*, et quidem *directe*. Vi communicationis idiomatum in Deo-homine, de persona divina concreta dicuntur proprietates concretae

1. L. JANSSENS, *o. c.*, p. 465.

humanae, uti sunt pati, mori, nasci et generari ex B. Virgine ; unde verum est dicere : Deus natus est, genitus, passus, et mortuus. Sed, si verum sit quod Deus est genitus ex Virgine, etiam verum est quod B. Virgo est mater Dei ; quia haec sunt correlativa.

Hinc S. Thomas, III, q. 35, a. 4 :

« Omne nomen significans in concreto naturam aliquam, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturae. Cum autem unio incarnationis sit facta in hypostasi..., manifestum est quod hoc nomen *Deus* potest supponere pro hypostasi habente humanam naturam et divinam. Et ideo quidquid divinae naturae vel humanae, potest attribui illi personae, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans naturam divinam, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans humanam naturam. Concipi autem et nasci attribuitur et hypostasi secundum naturam illam in qua concipitur et nascitur. Cum igitur in ipso principio conceptionis (et non post conceptionem) fuerit humana natura assumpta a divina persona,... consequens est quod vere possit dici Deum esse conceptum et natum de Virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicuius mater, quod eum concepit et genuit. Unde consequens est quod B. Virgo vere dicatur mater Dei ».

3° Item *ex consectariis*, sed *indirecte*. Nam, ut pergit D. Doctor :

« Solum... negari posset B. Virginem esse matrem Dei, si vel humanitas prius fuisset subiecta conceptioni et nativitati, quam homo ille fuisset Filius Dei, sicut Photinus posuit ; vel si humanitas non fuisset assumpta in unitatem personae, vel hypostasis Verbi Dei, sicut posuit Nestorius. Utrumque autem horum est erroneum. Unde haereticum est negare B. Virginem esse matrem Dei ».

19. Animadversio. — Ex dictis intelligitur maternitatem divinam non tantum mediate aut indirecte deduci ex principiis revelatis, per modum conclusionis theologicae, sed esse in se, directe et formaliter revelatam, sive aequivalentibus terminis, sive etiam expressis. In Scripturis et Traditione hoc modo enuntiatur, et ideo pertinet ad ipsa dogmata fidei.

Neque dicatur demonstratio divinae maternitatis implicare duplex principium rationis, scil. a) personam, non naturam,

esse subiectum maternitatis ; et b) consequenter, de persona dici posse omnia quae ad eius naturam pertinent ; et ideo esse meram conclusionem. — Nam 1° etiam invenitur expresse enuntiata, in revelatione Scripturae et Traditionis ; 2° dicta principia in ipsa Scriptura et Traditione formaliter implicite affirmantur, quae illis utuntur, et modum loquendi iuxta haec principia adhibent.

20. Obiiciunt. — 1° Ut Maria diceretur mater Dei, deberet generare totum Christum, ac proinde divinitatem.

Resp. Non requiritur ut generet Christum sub omni ratione, sed sufficit ut generet eum qui Deus est secundum substantialem aliquam rationem, in similitudinem alicuius naturae. Patet ex humanis : mulier enim dicitur et est mater hominis ex eo quod genuit eum qui homo est, quamvis nobiliorem hominis partem, scil. animam, non genuerit. Ut ait S. Thomas, comp. theol., c. 222 :

« Si quis dicere velit B. Virginem Dei matrem non debere dici, quia non est ex ea assumpta divinitas, sed sola caro, sicut dicebat Nestorius, manifeste vocem suam ignorat. Non enim ex hoc aliqua dicitur alicuius mater, quia totum quod in ipso est, ex ea sumatur. Homo enim constat anima et corpore, magisque est homo id quod est secundum animam, quam id quod est secundum corpus. Anima autem nullius hominis a matre sumitur, sed a Deo immediate creatur... Sicut igitur cuiuslibet hominis mater aliqua femina dicitur ex hoc quod ex ea corpus eius assumitur, ita Dei mater B. Virgo Maria dici debet, si ex ea assumptum est corpus Dei ».

« Dicendum est ergo quod B. Virgo dicitur mater Dei, non quia sit mater divinitatis ; sed quia personae habentis divinitatem et humanitatem est mater secundum humanitatem » III, q. 35, a. 4, ad 2.

2° Mater debet esse prior et consubstantialis Filio suo. Sed B. Maria nec prior nec consubstantialis est Filio Dei.

Resp. Debet esse prior et consubstantialis ex parte, non ex toto ; unde *dist.* : secundum naturam humanam filii sui, *conc.* ; secundum naturam divinam, *nego.*

Non enim necessarium est in utraque natura matri assimilari ; ut patet ex prima persona SS. Trinitatis, qui vere est Pater Christi, quamvis natura humana ex substantia Patris non sit

genita, et Christus, secundum humanam naturam, ipsi non assimiletur.

3° Mater dat esse filio suo ; Verbum autem a Maria esse recipere non potest.

Resp. B. Maria dedit esse naturae humanae, non esse simpliciter, seu personae divinae.

Persona divina Verbi scil. a matre naturam humanam assumpsit, quo in ea esse et subsistere possit, et ita deinceps in duplici natura subsistat, divina et humana.

4° Filius a matre acquirit, Deus infinitus autem nihil acquirere potest.

Resp. Filius Dei in divinitate nihil acquisivit et in nullo est intrinsece auctus. Sed formavit ex Maria corpus, et creavit animam, et simul homini ita formato, suam personam univit, ita ut homo ille factus acquireret esse et subsistere personae divinae.

Itaque Deus non auctus nec mutatus est, sed homo elevatus fuit ad unionem in esse personae divinae.

5° Mulier est mater, quia non tantum praebet corpus, sed et causat unionem animae et corporis, disponendo corpus ut huius unionis sit capax et aptum. Sed Maria non potest esse causa unionis humanae naturae cum Deo, cum unio hypostatica sit effectus solius omnipotentiae divinae.

Resp. Ut Maria sit mater Dei, sufficit quod pro illo fecerit illud, quod ceterae matres fecerunt pro filiis suis, scil. corpus praebere, illud disponere ad unionem cum anima, et sic esse causam huius hominis ex anima et corpore compositi[1]. Personalitatem ipsam sicut animam mulier efficere non potest, sed nova persona resultat ex infusione animae creatae a Deo ; nihilominus dicitur generare personam et matrem esse filii, quia generari tribuitur subiecto, quod est totum, in casu personae filii.

Igitur si persona divina, loco personae humanae, me-

1. CAMPANA, *Maria nel dogma cattolico*, Torino, 1908, I, c. 1, a. 2, VIII, c ; TERRIEN, *La Mère de Dieu*, l. I, c. 2, II.

diante anima se unit carni a Maria formatae, haec eo ipso dicitur personam divinam generare secundum naturam humanam, et esse matrem eius humanam.

Et sane : a) sicut Iudaei, qui crucifixerunt Iesum, merito dicuntur deicidae, quia mortem intulerunt humanitati, separationem animae et corporis causantes, licet unionem Verbi cum anima aut corpore solvere non potuerint ; ita Maria recte dicitur Dei genitrix, utpote causa corporis eiusque vitae seu unionis cum anima, licet ipsam unionem cum persona divina unita non effecerit.

b) Etsi praedicta sufficiant, addi tamen potest B. Virginem quodammodo esse causam unionis hypostaticae, seu ad eam concurrere. Nam consensus eius postulatus fuit ab angelo, et datus, ut fieret mater Dei ; praebuit igitur Maria corpus Spiritui sancto, ut huius operatione corpus formaretur Verbo incarnando. Actio Spiritus sancti principaliter, subordinate autem sub illa, actio Mariae, ordinabatur ad conceptionem et nativitatem Filii Dei ; licet ipsam incarnationem seu unionem personae Filii cum carne sua efficere non potuerit.

c) Quidam pauci, ulterius progressi, Mariam dixerunt *veram causam physicam instrumentalem* ipsius incarnationis. Sed id non videtur affirmandum. Sane non est causa instrumentalis physica ipsam unionem efficiens, nam nequit dari ulla causa agens in ipsum esse personae divinae ad eam cuidam uniendam ; sed nec physice disponens seu dispositive agens ad unionem, quia non perspicitur quaenam possit esse dispositio, sive in corpore, sive in anima, ipsam unionem postulans et exigens personalem cum Deo. Et secundum S. Thomam[1], non prius corpus aut anima disposita fuit ad hanc unionem, sed ratione et natura prius Verbum univit se animae, et, mediante anima, corpori, quod eodem momento disponebat. Nec ulla apud eum invenitur allusio ad cuiusdam generis causalitatem instrumentalem.

Quodsi Patres quandoque loquantur, aut loqui videantur, de instrumento, possunt intelligi de medio seu instrumento late sumpto, quatenus per Mariam, vel mediante Maria, incarnatio facta est tamquam per medium et *veluti* per instrumentum. Et nonnumquam ita quoque loquuntur Scholastici, voluntariam causam intelligentes, quia ad incarnationem Maria libere concurrit et cooperata est ; at contra eorum mentem esset, si hoc dictum intelligeretur de instrumento stricte dicto.

6° Christus Mariam numquam vocavit matrem ; imo

1. III, q. 6, a. 1, 2 et 5.

quandoque dure ad eam locutus est et veluti ad extraneam, ut v. g. Io. II, 4 : *Quid mihi et tibi est, mulier?*

Resp. Licet non legatur quod Christus B. Virginem matris nomine sit allocutus, illam tamen ut matrem habuit : fuit enim illi subditus (Lc. II, 51) et in cruce moriens eam Ioanni commendavit (Io. XIX, 26-27). Ceterum turbae Mariam matrem Christi constanter agnoscebant et interdum etiam acclamabant (Mt. XII, 47; Mc. III, 31; Lc. VIII, 19, 20; XI, 27); et Ioannes l. c. praemiserat : «Cum vidisset Iesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suae : Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua »; sed et ipsa B. Virgo Iesum non diffitebatur suum filium nominare : *Fili, quid fecisti nobis sic?* (Lc. II, 48).

Quodsi Maria nonnumquam mulieris nomine a Iesu appelletur, recolendum est a) illam appellationem non redolere sensum vulgarem, sed esse quandoque admirantis, aut faventis, aut reverentiam exhibentis, uti in linguis nostris : *madame*, *madonna*, *Frau*, et in ea significatione adhiberi a Christo moriente : *mulier, ecce filius tuus* (Io. XIX, 26). — Ceterum b) discipulus qui refert Io. II, 4, Mariam explicite agnovit ut matrem, dicens : *erat mater Iesu ibi* (v. 1)..., *et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum : vinum non habent* (v. 3). — c) Quantum ad verba : *Quid mihi et tibi?* est modus loquendi, qui in Scripturis variam habet significationem (Iud. XI, 12; II Reg. XVI, 10; XIX, 22; IV Reg. III, 13; IX, 18; II Paral. XXXV, 21; Ioël III, 4; Mc. I, 24; V, 7; Mt. VIII, 29); unde sensus multum dependet a modo quo verba proferuntur, et a circumstantiis in quibus dicuntur. — d) Et quidem diversimode intellecta fuere ab interpretibus : quid ad te? vel quid ad nos? ut adstantes intelligant Iesum in missione Patris a matre non pendere; — aut quid potest nos separare et dividere? — aut : ne sis inquieta, sine me facere, ita ut verba addita sint sumenda in sensu interrogativo : nonne venit hora mea? — e) Quidquid sit, certissime non sunt recusantis et repellentis, ut patet ex contextu, nam dixit Maria ministris : *Quodcumque dixerit vobis, facite* (v. 5).

21. Corollarium. — In Christo, *sicut duae sunt naturae*, divina et humana (Conc. Chalc.), *ita duae nativitates* (Conc. Const. II, can. 2), quia nativitas et generatio comparatur ad naturam ut motus ad terminum; ipsi quoque tribuendae sunt *duae filiationes* : est enim simul

filius Dei ab aeterno secundum naturam divinam; et filius Mariae in tempore secundum naturam humanam.

At quaeritur utrum istae duae filiationes sint duae relationes reales; seu utrum filiatio humana Christi, qua refertur ad matrem, sit relatio realis, aeque ac filiatio divina est realis relatio ad Patrem. Negant generatim theologi, cum S. Thoma, et admittunt solam relationem rationis.

Etenim relatio multiplicatur, non ex parte termini, sed ex parte causae et ex parte subiecti. Iamvero duplex est causa filiationis, nempe generatio et nativitas divina ab aeterno, et humana ex tempore, sed unum tantum subiectum, scil. persona divina. Et ideo « quia subiectum filiationis non est natura aut pars naturae, sed solum persona vel hypostasis, in Christo non est hypostasis vel persona nisi aeterna; non potest in Christo esse aliqua filiatio, nisi quae sit in hypostasi aeterna. Omnis autem relatio quae ex tempore dicitur de Deo, non ponit in ipso Deo aeterno aliquid secundum rem, sed secundum rationem tantum...; et ideo filiatio qua Christus refertur ad matrem, non potest esse realis relatio, sed solum secundum rationem » III, q. 35, a. 5. Aliis verbis, divina persona non potest esse subiectum relationis realis, accidentis creati, ab ipsa realiter distincti, quod in tempore illi inhaerere incipiat, quia divinitas est omnino intrinsece immutabilis. Et, licet in Christo duplex sit causa, scil. duplex nativitas, et nativitas humana temporalis de se apta sit fundare relationem realem, hanc tamen non causat, quia persona divina Christi non est subiectum realis relationis capax. Nihilominus in Christo possunt esse relationes reales ex parte humanitatis, v. g. in corpore eius relatio realis originis, cum sit a Virgine conceptum et natum; nullatenus vero ex parte personae divinae.

Neque dicas : relatione rationis nemo fit realiter filius, sed tantum nominative; Christus autem est realiter filius Mariae. — Resp. Christus est realiter filius Mariae, ob relationem realem Mariae, qua realiter refertur ipsa ad Filium Dei et suum : « Dicitur relative filius ad matrem relatione (rationis) quae cointelligitur relationi (reali) maternitatis ad Christum; sicut etiam Deus dicitur Dominus (aut creator) relatione quae coin-

telligitur reali relationi qua creatura subiicitur Deo : et quamvis relatio dominii non sit realis in Deo, dicitur tamen realiter Dominus ex reali subiectione creaturae ad ipsum. Et similiter Christus dicitur realiter filius Virginis matris relatione reali maternitatis ad Christum » (ibid.).

Hinc Lépicier : « Cum subiectum filiationis non sit natura vel pars naturae, sed proprie hypostasis vel persona, ideo nequit in Christo esse alia realis relatio filiationis praeter filiationem aeternam...: unde... filiatio qua refertur ad matrem, non est in eo realis relatio, sed secundum rationem tantum... Ex hoc sequitur non debere dici, cum Henrico Gandavensi, Christum referri ad matrem relatione reali increata, nec cum Suarez et Scoto, eumdem ad matrem referri mediante relatione filiationis realis creata, ita ut sint duae in Christo filiationes... Prior enim illa relatio increata ad Patrem, quid per se subsistens est, et convenit Christo, non qua homo est, sed qua Deus est, genitus in aeternitate a Patre. Haec autem relatio realis creata, cum sit accidens suppositum immediate afficiens, — exurgit enim ex actione et passione quae sunt singularium subsistentium, — induceret in Christo duplex suppositum, quod esset renovativum haeresis Nestorii : subiectum enim filiationis... non est natura aut pars naturae, sed solum persona[1] ».

22. Annuntiatio maternitatis divinae fieri Mariae ex summa decentia, necessario debebat. Unde Angelus dixit ei : *Ecce concipies in utero et paries filium* (Lc. I, 31). Nam, ut ait S. Thomas, III, q. 30, a. 1 :

« I° quidem, *ut servaretur congruus ordo coniunctionis Filii Dei ad Virginem*, ut scil. prius mens eius de ipso instrueretur quam carne eum conciperet. Unde Augustinus dicit, in lib. de Virginitate, c. 3 : Beatior est Maria percipiendo fidem Christi quam concipiendo carnem Christi, et postea subdit : Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset.

II°, *ut posset esse certior testis huius sacramenti*, quando super hoc divinitus erat instructa.

III°, *ut voluntaria sui obsequii munera Deo offerret*, ad

1. O. c., p. 1, c. 1, a. 1, n. 14-15. Cfr. Van Crombrugghe, *De B. Virgine Maria*, Gandae, 1913, c. 1, a. 1, prop. 1, scholion.

quod se promptam obtulit dicens : *Ecce ancilla Domini*[1].

IV°, *ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium et humanam naturam*. Et ideo per annuntiationem expetabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae »[2].

Conveniens autem fuit matri Dei annuntiari divinae incarnationis mysterium :

A. « *Per Angelum*, unde *missus est Gabriel angelus a Deo* (Lc. I, 26) ; et hoc propter tria :

1° quidem, ut *in hoc servaretur divina ordinatio, secundum quam mediantibus angelis divina ad homines perveniunt ;* unde Dionysius dicit, de coel. hier., c. 4 : quod divinum Iesu benignitatis mysterium angeli primo edocti sunt ; postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transivit : sic ergo divinissimus Gabriel Zachariam quidem docuit, prophetam Ioannem ex ipso venturum ; Mariam autem, quomodo in ipsa fieret thearchicum ineffabilis Dei formationis mysterium.

2° hoc fuit *conveniens reparationi humanae*, quae futura erat per Christum ; unde Beda dicit, in hom. in f. Ann. : Aptum humanae restaurationis principium ut angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam divino, quia prima perditionis humanae fuit causa, cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam.

3° quia hoc *congruebat virginitati matris Dei ;* unde Hieronymus (vel alius auctor) dicit in serm. Assumpt. : Bene angelus ad Virginem mittebatur, quia semper est angelis cognata vir-

1. Item in III Sent., d. 3, q. 3, a. 1 : *Utrum conveniebat Virgini Salvatoris conceptionem nuntiari*, respondet : « Congruum fuit Virgini suam conceptionem annuntiari, tribus de causis :

1°, quia cum mens Deo sit vicinior quam corpus, non decebat ut Dei Sapientia eius uterum inhabitaret, sine hoc quod eius mens cognitionem summae sapientiae resplenderet ; et ideo non decuit eam ignorare quod in ea fiebat, sed oportuit hoc sibi annuntiari.

2°, quia ipsa Virgo futura erat certissima testis inusitatae conceptionis ; unde oportuit quod de magno mysterio per annuntiationem erudiretur.

3°, quia Deus non diligit coacta, sed voluntaria servitia, ut qui obsequuntur, ex ipso ministerio mereantur. Unde cum B. Virgo singulariter et excellenter in Dei ministerium eligeretur, quem in utero portavit, lacte aluit, et brachiis baiulavit, decuit ut consensus eius, angelo nuntiante, requireretur, quem humiliter praebens, ad obsequium se sedulam et promptam obtulit, dicens : *Ecce ancilla Domini* ».

2. Istud punctum confirmavit Leo XIII, encycl. *Octobri mense*, 22 sept. 1891. Iam Augustinus scripsit : « In illo utero virginali coniuncta sunt duo : sponsus et sponsa ; et sponsus Verbum, sponsa caro » tr. 1 in ep. Ioan. ad Parthos, c. 1, n. 2. Cfr. idem, *Enar. in Ps. XLIV*, n. 4 ; *Conf.* IV, 12. Item Proclus, celebrat « thalamum, in quo solo Verbum carnem despondit » or. 1 de Laud. S. M.

ginitas ; profecto in carne praeter carnem vivere, non terrena vita est, sed coelestis [1] » (a. 2).

B. « Angelus annuntians apparuit matri Dei *corporea visione ;* et hoc conveniens fuit :

1° *quantum ad id quod annuntiabatur.* Venerat enim angelus annuntiare incarnationem invisibilis Dei, per quam visibilis fieret ; unde etiam conveniens fuit, ut ad huius rei declarationem invisibilis creaturae formam assumeret, in qua visibiliter appareret ; cum etiam omnes apparitiones V. T. ad hanc apparitionem praeordinentur, qua Filius Dei in carne apparuit.

2° fuit *congruum dignitati matris Dei,* quae non solum in mente, sed in corporeo ventre erat Dei Filium receptura ; et ideo non solum mens eius, sed etiam sensus corporei erant visione angelica refovendi.

3° *congruit certitudini eius quod annuntiabatur.* Ea enim quae sunt oculis subiecta certius apprehendimus quam ea quae imaginamur. Unde Chrysostomus dicit, in Mt. hom. 4, quod angelus non in somnis, imo visibiliter Virgini astitit ; nam quia magnam valde revelationem accipiebat ab angelo, egebat tantae rei eventum visione solemni » (a. 3).

C. Annuntiatio *congruo ordine* per angelum est perfecta. Tria enim angelus intendebat circa Virginem :

1° quidem *reddere mentem eius attentam* ad tantae rei considerationem ; quod quidem fecit, eam salutando quadam nova et insolita salutatione... In qua... praemisit idoneitatem eius ad conceptum in hoc quod dixit : *Gratia plena ;* expressit conceptum in hoc quod dixit : *Dominus tecum ;* et praenuntiavit honorem consequentem, cum dixit : *Benedicta tu in mulieribus.*

2° intendebat *eam instruere de mysterio Incarnationis* quod in ea erat implendum ; quod quidem fecit praenuntiando conceptum et partum, dicens : *Ecce concipies in utero et paries...,*

1. Item in III Sent., d. 3, q. 3, a. 2 : *Utrum annuntiatio debuit fieri per Angelum,* respondet : « Annuntiatio per angelum facta est,... :

1°, quia, ut dicit Hieronymus, angelis est cognata virginitas ; unde decuit ut ad Virginem nuntiandam angelus mitteretur.

2°, quia perditio humana initium sumpsit ex hoc quod diabolus mulierem allocutus est ; unde dicit Beda, in Lc. I : « congruum apparet ad humanae naturae reparationis exordium, ut angelus Virginem alloqueretur ».

3°, quia ille annuntiabatur qui est Rex hominum et angelorum ; et eius nativitas sicut in salutem hominum fuit, ita et in reparationem ruinae angelicae ; et ideo decuit ut tam homines quam angeli huic mysterio ministerium exhiberent... » (qc. 1).

« Quia ergo consensus B. Virginis, qui per annuntiationem requirebatur, actus singularis personae erat in multitudinis salutem redundans, imo totius humani generis, angelus nuntians de ordine Archangelorum esse debuit, et inter eos summus » (qc. 2).

et ostendendo dignitatem prolis conceptae, cum dixit : *Hic erit magnus...,* et etiam demonstrans modum conceptionis, cum dixit : *Spiritus sanctus superveniet in te.*

3° intendebat *animam eius inducere ad consensum :* quod quidem fecit exemplo Elisabeth, et ratione ex divina omnipotentia sumpta » (a. 4) : *Et ecce Elisabeth... et ipsa concepit in senectute sua..., quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Articulus II.

DE EXCELLENTIA MATERNITATIS DIVINAE.

23. **Supereminens dignitas Matris Dei.** — Maternitatem divinam esse dignitatem in ordine supernaturali eminentem, nemo est qui negat, imo qui negare etiam cogitat, et a primo instanti etiam leviter inspicienti manifestum est. Quod non impedit quominus plenius investigemus atque intimius ac profundius scrutemur rationes huius eminentiae, atque eius principia et fundamenta, ac simul varias qualitates, perfectiones, et relationes, quarum est basis et radix, ita ut rectius sentiamus de Dei matre eamque melius cognoscamus, libentius amemus et dignius colamus. Huius recta scil. intelligentia non solum praecipuum fundamentum est nostrae erga B. Virginem devotionis et cultus, sed et multum confert ad connexionem syntheticam eiusdem privilegiorum perspiciendam, et conspectum generalem sibi efformandum totius Mariologiae.

Quapropter consideremus dignitatem matris Dei : 1° in seipsa ; 2° in suis consectariis, ac relationibus ad SS. Trinitatem ; 3° comparative ad alias perfectiones, qualitates et dotes supernaturales.

24. **In seipsa, excellentia et dignitas matris Dei est valde eminens, omnino peculiaris, imo unica, inter omnes creaturarum dignitates.** — Est *certum.* Nam :

1° Perfectio et dignitas creaturae aestimatur et mensuratur per comparationem ad Deum, eius principium : quanto enim intimius et arctius et excellentius unitur Deo, fonti omnis perfectionis, tanto est dignior et excel-

lentior[1]. Atqui mater Dei, et ipsa sola, prae omnibus creaturis, intimius, arctius et specialius unitur Deo : terminatur enim divina maternitas ad ipsum esse divinae personae, quia genuit filium qui revera est Deus. Ergo hac ratione mater Dei habet dignitatem valde eminentem, specialem et unicam.

2° Prima quae inter dignitates eminet omnes, ordinis tam supernaturalis quam naturalis, easque superat, est dignitas Verbi incarnati, quia unione hypostatica homo Christus non solum unitur Deo, sed est Deus secundum propriam personam ; ergo omnia quae ad illam pertinent, ea ratione et sub hoc respectu, dignitatem specialem habent omnino eminentem, qua elevantur super omnes creaturas. Atqui, post illam, dignitas matris Dei omnino proxime ad hanc unionem hypostaticam pertingit, et reductive pertinet ad eumdem ordinem ; quia terminatur ad productionem eiusdem personae, et sic, ait Suarez, in III, q. 27, disp. 1, sect 2, *illam intrinsece respicit et cum illa necessariam connexionem habet*. Ergo dignitas matris Dei est dignitas omnino specialis, et eminet inter alias omnes dignitates.

Et sane, mater Dei physice et moraliter cooperata est incarnationi : *physice* praebuit materiam, quia caro Christi e sua carne sumpta est, et quia activas partes habuit in formatione, organisatione et evolutione embryonis filialis, eodem modo ac aliae matres ; *moraliter*, quia voluntarie filium concepit, peperit et aluit, cum consensum eius angelus expetiverit in hoc, quod fieret mater Dei, et Deus ex ea incarnaretur. Unde est medium ac quasi instrumentum, quo Spiritus sanctus usus est, et cooperatrix totius Trinitatis in magno Incarnationis opere : ita ut unio hypostatica Verbi cum natura humana, in Maria et per Mariam, operante Spiritu sancto, completa fuerit. Hinc Caietanus, in II-II, q. 103, a. 4, ad 2 : *Ad fines deitatis propria operatione attigit, dum Deum concepit, peperit, genuit et lacte proprio pavit.*

3° Dignitas moralis, et valor personae, aestimatur moraliter ex suis operibus et fructibus. Atqui B. Virgo, ut mater

1. S. THOMAS, I-II, q. 98, a. 5, ad 2 ; II-II, q. 186, a. 1.

Dei, dedit fructum infiniti valoris, scil. Christum. Ergo illa dignitas, est aliquo sensu moraliter infinita. Hinc S. Albertus M., Mariale, q. 197 :

« Exaltatur in eo quod non tantum genuit sibi filium coaequalem, sed infinitum meliorem. Quod etiam ex hac parte quodammodo infinitat bonitatem matris : omnis enim arbor ex fructu cognoscitur proprio ; unde si bonitas fructus bonificat arborem, infinita bonitas in fructu ostendit infinitam in arbore bonitatem ».

Tanti magistri discipulus, S. Thomas, philosophice magis idem asserit. Relatio maternitatis divinae formaliter spectata speciem et dignitatem habet a suo termino ; nam *ratio relationis, sicut et motûs, dependet a fine vel termino, sed esse eius a subiecto* (III, q. 2, a. 7, ad 2). Porro maternitas divina, quamvis fundamentum eius sit finitum, scil. humana generatio Verbi, terminatur ad esse infinitum personae Filii. Ergo hac ratione habet dignitatem quamdam infinitam.

« B. Virgo, ait S. Doctor, I, q. 25, a. 6, ad 4, ex hoc quod est mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus, et ex hac parte non potest aliquid fieri melius, sicut non potest esse aliquid melius Deo[1] ».

Hinc in opere *Speculum B. M. V.*, l. 10, legimus : « Mater Domini, mater et virgo, mater est dignissima. Ipsa est, qua maiorem Deus facere non potest. Maiorem mundum posset facere Deus, maius coelum posset facere Deus, maiorem matrem Dei, non posset facere Deus[2] ».

25. Corollaria[3]. — 1° Maternitas est relatio realis fundata in naturali generatione hominis seu personae humanae, et in morali actione qua mater voluntarie cooperatur Deo in productione hominis, qui hac ratione est etiam fructus amoris. Unde Maria est mater divinae personae, quae est homo Iesus, mater divinae personae qua talis, sed secundum naturam humanam : actio scil. Spiritus sancti cui Maria consentit realiter

1. Hunc locum quidam afferunt, ut divinae maternitatis ostendant praeeminentiam omnimodam super omnes creaturarum dignitates, eo quod infinitam quamdam dicatur habere. Sed incassum, nam in ipso eodem loco talis dignitas quoque tribuitur humanitati Christi quae est unita Deo, sicut et beatitudini quae est fruitio Dei. Unde, ad id demonstrandum, recurrendum erit ad alia argumenta et testimonia.
2. Inter opera S. BONAVENTURAE ; probabiliter est CONRADI A SAXONIA.
3. Vide SCHEEBEN, o. c., l. V, c. 3, n. 759 sq., et c. 5, n. 1587 sq.

ad hoc ordinatur et dirigitur ; unde libere cooperatur generationi Dei ut hominis, et sic ipsi unioni hypostaticae. Ideo divinae maternitatis fructus, iuxta theologos, dignitatem infinitam confert matri. Nec solum est dignitas physica, sed et moralis : elementum materiale est quidem physicum ; elementum formale, scil. voluntarium et morale, est in voluntaria cum Spiritu sancto cooperatione.

2° Cum mater Dei sit mater personae ab aeterno existentis, ipse elegit matrem atque se tradidit matri ut eum vestiret carne, et e contra matrem sibi univit ut eam donis suis repleret, ac seipsum ei communicaret, eamque eveheret ad ordinem unionis hypostaticae. Unde mater plus recepit quam dedit. Ipse eam vestivit sua divinitate, tamquam mulierem amictam sole (Apoc. XII, 1), sicut ipsa eum vestivit carne.

3° Hinc Maria iam est sponsa Verbi *ante* quam sit et *ut* fiat mater eius, estque hoc quasi character eius personalis ; at maternitate facta est sponsa pleno sensu, tamquam Nova Eva. Quapropter coniunctio ad Verbum est quodammodo permanens, praecedens scil. et sequens generationem humanam Verbi : ab aeterno Maria ut sponsa praecogitatur, atque sponsa est Verbi electa, destinata et existens inde ab initio suae conceptionis.

4° Sicut Christus homo est unctus et Deo consecratus sua persona, et quidem substantialiter per propriam deitatem, ita Maria est uncta et Deo consecrata divina maternitate, non substantialiter cum sit creatura, sed per deitatem inhabitantem. Esse personae divinae datum est et inditum Mariae, Verbumque divinum matri unitum physice, et ideo corporaliter inhabitans, atque hac ratione ipsa est sponsa Verbo coniugata.

5° Hinc Bernardus, serm. 12 de praer., n. 9 : « Quam familiaris facta es, Domina, quam proxima, imo quam intima fieri meruisti ; quantum invenisti gratiam apud eum. In te manet et tu in eo : et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis et vestit ille te gloria suae maiestatis. Vestis solem nube, sole ipsa vestiris... » Iam ante dixerat, n. 3 : « Iure Maria sole perhibetur amicta, quae profundissimum divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili, videatur immersa ».

26. In suis ad Deum relationibus spectata et consectariis, quarum est fundamentum et basis, divina maternitas specialem importat affinitatem atque peculiares relationes ad tres personas S.S. Trinitatis. — *Certum* est. B. Virgo, ut mater Dei, habet consanguinitatem in primo gradu lineae rectae

cum Filio Dei secundum naturam humanam, et ideo ex ipsa sua maternitate specialem cum divina Filii natura habitudinem ac propinquitatem contrahit, ac proinde cum tribus SS. Trinitatis personis. Id S. Thomas vocat *affinitatem*[1], qua B. Virgo quasi ingreditur in familiam divinam. Haec affinitas quoque est fundamentum multarum gratiarum et privilegiorum, et *ex istis donis connexis* novae *relationes* intimae oriuntur cum Deo, quae tribus personis attribuuntur per appropriationem. Nimirum :

A. *Quantum ad affinitatem*, B. Virgo Maria :

1° Cum Patre hanc contrahit affinitatem specialem, quod est mater illius qui est Filius Patris, et qui generatur a Patre in sinu eius, cum Pater indesinenter generet Filium ubique et ubicumque iste sit. Unde, aliquo modo participat fecunditatem Patris, quae consistit in eo quod Pater de sola sua substantia, modo omnino virginali, solus et sine simplicitatis corruptione, Unigenitum suum generat ; B. Virgo autem huic fecunditati est consociata, nam eumdem filium generat in tempore quem Pater ab aeterno generat, et quidem ex sola sua substantia, modoque virginali, sola et sine integritatis corruptione. Pater scil. generat Filium secundum naturam divinam, dum mater eumdem generat secundum naturam hu-

1. II-II, q. 103, a. 4, ad 2. Quod commentans CAIETANUS, ait : « Iunctio secundum carnalem consanguinitatem ad humanitatem assumptam a Verbo Dei, vocatur in littera *affinitas ad Deum*, ita quod consanguinei Christi, in quantum homo, sunt affines Dei ea ratione, qua Deus deitatis est nomen, quae nulli est consanguinea ; sed natura humana ab extra ad deitatis fines attingit, quasi uxor ab extra adveniens in thalamo uteri virginalis, et ideo genitrix illius affinis Deo constituta dicitur. Non omnibus tamen huiusmodi affinibus hyperdulia debetur... sed soli B. Virgini, quae sola ad fines deitatis propria operatione attigit, cum Deum concepit, peperit, genuit et lacte proprio pavit ». Igitur, sicut affinitate uxor per matrimonium assumitur in familiam mariti, ita mater Iesu affinis fit divinitati Filii sui, et consequenter toti Trinitati ; at multo intimius, nam consanguinei mariti vinculis sanguinis quidem ipsi uniuntur, sed manent individui separati, dum deitas Mariae Filium intrinsece constituit. Ita Maria intime unitur Deo, et ea ratione tribus divinis personis. Vel etiam : si quis adoptaret parentes, ingrederetur in familiam eorum. Verbum non adoptat sed naturalem matrem sumit. Ergo ista ingreditur in familiam Verbi.

Ratio valet de sola Virgine, non de consanguineis, nec de B. Ioseph : hi solum accidentaliter et extrinsece coniuncti sunt Dei Filio ; sola Maria per se, intrinsece, atque propria operatione Deum attigit.

manam. Unde a Dionysio carthusiano Maria dicitur[1] : « comparentalis Patri aeterno, i. e. parens eiusdem Filii cuius ille est Pater ». Sicut ergo Pater respiciens Christum dicere potest : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui* (Mt. III, 17 ; XVII, 5), ita et Maria. Vel etiam : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Ps. II, 7 ; Hebr. I, 5 ; V, 5).

2° Cum Filio hanc contrahit affinitatem specialem, quod mater sit non tantum hominis Iesu, sed et Verbi incarnati, et tanta est unio inter matrem et filium, ut merito dici possit : « caro Dei caro est Mariae », cum a Maria originem habeat : infans enim, secundum substantiam, quodammodo est unum cum matre, sicut fructus cum arbore.

3° Cum Spiritu sancto affinitatem specialem contrahit, eo quod est mater illius qui naturam divinam tradit Spiritui sancto ; unde Spiritus sanctus in sinu Mariae indesinenter procedit a Filio, qui illum producit ubique et ubicumque ipse sit.

B. *Quantum ad relationes speciales*, mediantibus donis connexis, exortas :

1° B. Virgo est *filia primogenita et praedilecta Patris* (cui tamquam primo principio praedestinatio solet attribui), utpote ante alias creaturas, non quidem tempore, sed in electione et praedestinatione intenta, una cum Christo, tamquam finis earum, exemplar, centrum et coronatio, atque destinata ad hoc ut speciali et peculiari titulo per gratiam deificetur, quam sola possidebat tantam quod electa et digna inventa sit mater Filii sui ; ac *cooperatrix in missione ad Incarnationem*. Hinc est, post Christum et una cum Christo, exemplar nostrae filiationis adoptivae atque praedestinationis.

2° Est *socia intima Filii*, qui ipsi perfectam charitatem erga seipsum inspiravit, sicut ipse vehementer eam dilexit ; et cui coniuncta fuit ipsa :

a) *Toto vitae decursu*, per familiarem conversationem : quem in utero gestavit, aluit, fovit, in praesepio reclinavit,

1. *De Laude vitae solitariae*, a. 29 : *Expositio hymni. Ave Maris Stella.*

vestivit, cuius lateri adhaesit, et quocum oravit, ieiunavit, comedit, sanctis operibus vacavit.

b) *In passione* quoque ipsi adhaesit, eosdem dolores ac ipse cum eo patiendo in corde, ac oblatione, orationibus et meritis *cooperata est Redemptioni*.

c) Unde *in gloria* ipsi coniuncta remanet per beatitudinem et exaltationem.

3° Est eminentiore modo *sacrarium Spiritus sancti*, qui ipsi inhabitat excellentius ad sanctificandum, atque datur ad opera supernaturalia eminentiora in ipsa implenda : incarnationem, maternitatem divinam, et plenitudinem gratiae, quae, cum sint opera bonitatis et amoris divini, tribuuntur Spiritui sancto. Imo, ante et prius quam nos, ipsa est templum Spiritus sancti, qui non inhabitaret nobis, nisi prius in ipsa speciali modo fuisset, cum vita spiritualis nostra proveniat ex eius maternitate. Hinc Angelus : *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te, Sanctum vocabitur, Filius Dei* (Lc. I, 35).

Unde inter Spiritum sanctum et Mariam, sensu morali et mystico, relationes exsurgunt analogicae ad illas quae sunt inter sponsum et sponsam : mutua de se invicem traditio, arctissima amoris coniunctio, bonorum communicatio, scil. vitae divinae per effusionem gratiae. Et ideo analogice, sensu morali et mystico, Maria a modernis vocari solet per excellentiam *sponsa Spiritus sancti*, et eius *cooperatrix in opere Incarnationis et Sanctificationis*.

Aliae relationes ad divinas personas, exsurgunt mediante mysterio redemptionis cui Maria cooperata est, ut postea dicetur[1].

1. De relationibus B. Virginis ad SS. Trinitatem, cfr. SCHEEBEN, *Handbuch der Kath. Dogmatik*, l. V, n. 766 sq. et 1614 sq. ; L. JANSSENS, *De Deo-homine*, diss. de excellentia maternitatis divinae ; TERRIEN, *La mère de Dieu*, l. II, ch. 3-5 ; LÉPICIER, *De Bma Virgine Maria, matre Dei*, p. 1, c. 3, a. 3 ; CAMPANA, *Maria nel Dogma cattolico*, l. I, c. 1, a. 4 ; MERKELBACH, *Mater Dei*, in *Rev. Eccl. de Liége*, 1913 ; *Maria en de H. Drievuldigheid*, in *De Standaard van Maria*, 1921 ; VAN CROMBRUGGHE, *Tractatus de B. Virgine Maria*, 1913 ; *De divina maternitate B. M. V.*, in *Coll. Gand.*, 1927 ; A. JANSSENS, *De Heerlijkheden der Moeder Gods*, 1928, II, n. 5 ; BITTREMIEUX, *Relationes B. M. V. ad personas SS. Trinitatis*, in *D. Thomas* (Pl.), 1934 ; *Marialia*, XII : *Maria's betrekkingen tot de H. Drievuldigheid*, 1936 ; ALASTRUEY, *Mariologia*, 1934, I, p. 2, c. 4, a. 1.

C. Quandoque Maria etiam nominatur *complementum SS. Trinitatis*[1], non intrinsecum sane ac essentiale, sed extrinsecum et accidentale, non eo sensu quod Trinitas in se indigeat quodam complemento vel et compleri possit, cum sit infinite perfecta et fons totius perfectionis, sed quia de facto SS. Trinitas B. Virgine usa est, quasi instrumento, ad perficiendum opus excellentissimum Incarnationis eamque speciali et eminentiore modo sibi univit; ipsa vero cooperata est Trinitati in opere Incarnationis, consequenter quoque in Redemptione et Sanctificatione : sic ipsi ab extrinseco *passive addita* fuit Trinitati. *Addidit* quoque *active*, nam per B. Matrem Dei a) novae relationes ad extra exsurgunt : Patri auctoritas in Filium; Filio incarnato generatio temporalis; Spiritui sancto fecunditas quantum ad Christum incarnatum; b) atque, mediante ipsa, nova opera ad extra : Patri missio Filii ad nos ac eius traditio; Filio meritum Redemptionis et gratia; Spiritui sancto effusio et dispensatio gratiarum; c) toti vero Trinitati gloria externa qua plenius revelatur. Unde Richardus a S. Laurentio[2] : « per ipsam, et in ipsa et ex ipsa... gloria Patri, Filio, Spiritui sancto ».

Haec dicta sint theologice ; nam, propter difficultatem ea intelligendi, prudentia monere potest ne B. Virgo complementum SS. Trinitatis invocetur coram populo, vel ne iste titulus formaliter praedicetur, ad vitandos scil. errores possibiles.

27. Animadversiones. — 1° Solent moderni B. Virginem vocare *filiam Patris, matrem Filii, sponsam Spiritus sancti.* Non ita apud Patres et antiquiores theologos, qui melius eam dicunt *sacrarium* vel *tabernaculum*, per excellentiam, *Spiritus sancti,* et abstinent a dicendo sponsam, ne fideles putarent Spiritum

1. Ita scripsit HESYCHIUS HIEROSOLYMITANUS (c. 450) : ὅλον τῆς τριάδος τὸ πλήρωμα, serm. 5; sed in sensu valde diverso, cum nihil aliud significare intenderit, nisi quod SS. Trinitas tota complete inhabitat Virgini, mediante Christo. At plures theologi, postea, verba haec adhibuerunt in sensu complementi : quod additur, seu quod addit. Hoc modo Ecclesia dicitur complementum, πλήρωμα, Christi.

2. RICHARDUS A S. LAURENTIO, *De Laudibus B. Virginis*, l. II, c. 1, inter opera ALBERTI MAGNI.

3. Vide praesertim BITTREMIEUX, in *D. Thomas*, 1934, et *Marialia*, l. c.

sanctum esse patrem Christi. Nihilominus sponsa Spiritus sancti vocatur a Nicolao Claravallensi (saec. XII), Amedeo Lausanensi († 1160) et Conrado a Saxonia († 1279); sed iste mos postea late invaluit.

Quandoque vocant Mariam *sponsam Patris*[1], quia fecunditati eius consociatur et in tempore generat eum quem Pater generat ab aeterno: sed non est ista appellatio valde probanda, quia B. Virgo non fuit consociata Patri in aeterna generatione Verbi, licet haec non cessabat, sed simul fiebat in Maria ac ipsa in tempore generabat Filium.

Saepe vocant eam *sponsam Verbi incarnati,* quia incarnatio est connubium initum cum natura humana, cui B. Virgo loco generis humani consensit, ut diximus n. 22. Unde sponsa unica Verbi est creatura illa in qua et per quam connubium celebratum est. Hinc vinculo arctissimo amoris et consociationis unita est Filio, etiam in toto opere Redemptionis, quae unio est symbolum unionis Christi et Ecclesiae : sicut Nova Eva socia Novi Adami et mater cunctorum viventium.

2° Summa itaque est, ratione divinae maternitatis, B. Virginis ad Deum societas et arctissima cum divinis personis familiaritas, propter quod singulariter prae aliis creaturis laudata est verbis angeli dicentis : *Dominus tecum!* De quo legitur in *Speculo B. M. V.*, c. 7 : « Iste singularis Mariae Dominus sic singulariter cum Maria fuit, dum ipsa singulariter *Domini Filia, Domini Mater* et *Domini Sponsa* facta est. Maria enim filia Domini singulariter, generosa mater Domini singulariter, gloriosa sponsa Domini singulariter fuit. Unde Dominus iste, qui tam singulariter est cum Maria, ipse est *Dominus Pater,* cuius Mater est *filia nobilissima,* ipse est *Dominus Filius,* cuius Maria est *mater dignissima,* ipse est *Dominus Spiritus sanctus,* cuius Maria est *sponsa iustissima* ».

3° Hinc S. Thomas, opusc. 6, *Exp. in Salut. Angel.* : B. Virgo « excellit angelos in familiaritate divina, et ideo hoc designans angelus dixit : *Dominus tecum,* quasi dicat : ideo exhibeo tibi reverentiam, quia tu familiarior es Deo quam ego, nam Dominus est tecum. *Dominus,* inquit, *Pater* cum eodem Filio, quod nullus angelus nec aliqua creatura habuit : Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur, Filius D i (Lc. I, 35). *Dominus Filius* in utero : Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël (Is. XII, 6). Aliter est ergo Dominus cum B. Virgine quam cum angelo, quia cum ea ut filius, cum angelo ut Dominus. *Dominus Spiritus sanctus,* sicut in templo, unde dicitur : Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, quia concepit ex Spiritu sancto : Spiritus sanctus superveniet in te (Lc. I, 35). *Sic ergo*

1. Ita v. g. IOANNES DAM., *hom. 2 in Dorm.*

familiarior cum Deo est B. Virgo quam angelus: quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, scil. tota Trinitas. Et ideo cantatur de ea : Totius Trinitatis nobile triclinium. Hoc autem verbum : *Dominus tecum*, est nobilius verbum, quod sibi dici possit ».

Pariter S. Bernardus, *hom.* 3 *sup. Missus est*, n. 4 : « Nec tantum Dominus *Filius* tecum, quem carne tua induis, sed et Dominus *Spiritus sanctus*, de quo concipis, et Dominus *Pater*, qui genuit quem concipis. *Pater*, inquam, *tecum*, qui Filium suum facit et tuum. *Filius tecum*, qui ad cond ndum in te mirabile sacramentum, miro modo et tibi reserat genitale secretum et tibi servat virginale signaculum. *Spiritus sanctus tecum*, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum. Dominus ergo tecum ».

28. Comparative ad alia dona et privilegia supernaturalia, divina maternitas, etiam nude spectata sine donis connexis, simpliciter est maior et excellentior reali excellentia et dignitate metaphysica, non solum quam alia dona gratis data, sed quam ipsa gratia habitualis gratum faciens, seu adoptionis, vel quam visio beatifica ; imo est maxima, et tantum superatur ab ipsa unione hypostatica, ad cuius ordinem pertinet et cuius dignitati participat : intrinsece enim eam respicit et cum ea necessariam habet connexionem. Unde maior est unio ad Deum, quam per gratiam. Est sententia *conformior doctrinae traditionali.*

Ita dicimus contra plures modernos : Suarez, Vasquez, Salmanticenses, Mannens, Pesch, Van Noort, Terrien, qui maternitatem divinam, in abstracto seu nude et secundum se spectatam, minoris pretii habent, quamvis in concreto, cum privilegiis et diversis gratiis connexis, eam maiorem dicant, quia tunc includit gratiam et gloriam in gradu excellentissimo.

Probatur : 1° Maternitate divina B. Virgo per se refertur ad Deum, et non tantum per aliud et per participationem : est enim mater Dei per naturam, vere et proprie et quidem secundum totam essentiam maternitatis, ac secundum communicationem propriae substantiae ; dum per gratiam homo est filius Dei, non vere et proprie, sed per adoptionem alterius et per participationem accidentalem. Atqui « maior est unio cum Deo, in eo qui per se refertur ad Deum, quam in eo qui tantum refertur per aliud et per participationem », ait Lépicier[1]. Ergo.

Ut habet S. Albertus Magnus[2] :

« Inter matrem et filium (naturalem) est coniunctio substantialis, inter patrem et filium adoptivum est participatio accidentalis. Ergo magis est esse matrem Dei per naturam, quam esse filium per adoptionem.

Item, inter esse Filium Dei per naturam et esse Deum, et esse filium Dei per adoptionem et non esse Deum, medium est esse Dei matrem per naturam et non esse Deum ; ergo immediate post esse Deum, est esse matrem Dei ».

2° Maternitas divina Deo coniungit physice, quantum ad ipsum esse subsistens divinae personae secundum formam substantialem, licet mediante humanitate Christi ; — et non tantum logice in esse obiectivo et intentionaliter secundum formam accidentalem, seu in ordine cognitionis, ut in gratia et visione beatifica. Maior autem est unio in esse physico et secundum formam substantialem, quam in esse obiectivo et secundum formam accidentalem. Ergo maior est unio divinae maternitatis ad Deum, quam unio gratiae et gloriae.

Confirmatur ex doctrina S. Thomae :

« Gratia unionis hypostaticae, non est in genere gratiae habitualis, sed est supra omne genus sicut ipsa persona divina » III, q. 7, a. 13, ad 3. Nam « elevatur humana natura in Deum... : uno modo per operationem, qua scil. sancti cognoscunt et amant Deum ; alio modo per esse personale... Unio autem incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit unionem beatae mentis ad Deum, quae est per actum fruentis » q. 2, a. 10 et 11. Pariter « gratia, quae est accidens, est quaedam similitudo divinitatis participata in homine. Per incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam divinae naturae, sed dicitur esse coniuncta ipsi in persona Filii. Maius autem est ipsa res quam similitudo eius participata » a. 10, ad 1. Atqui maternitas divina quodammodo participat dignitatem unionis hypostaticae, quia terminatur ad ipsum esse ac eiusdem divinae personae. Ergo et unit Deo magis quam gratia et gloria[3].

1. O. c., p. 1, c. 3, a. 1, n. 4.
2. *Mariale*, q. 140 et 141.
3. Ne dicatur res tam diversas comparari non posse, ut unio hypostatica et visio beatifica. Nam prior certo eminet : sicut esse fundamentalius est quam natura, activitas et vita, utpote huius basis ontologica, ita unio ad esse antecellit unionem in activitate vitae.

3° Maternitas divina, ex natura sua, est radix, fons et titulus de convenientia postulans et exigens, et finis ac mensura omnium gratiarum et privilegiorum B. Mariae Virginis. Maior autem est radix et causa, fons, mensura et finis omnibus qualitatibus ab eo derivatis, mensuratis aut subordinatis. Ergo. Rursus S. Albertus Magnus[1] :

« Quidquid claudit alterum in se plus est eligendum, quam illud quod non claudit alterum in se. Sed esse matrem Dei per naturam claudit in se filium Dei adoptivum ».

4° B. Virgini, ratione maternitatis divinae, et non ratione gratiae et gloriae, debetur cultus specialis hyperduliae, dum sanctis, propter gratiam et gloriam, redditur solus cultus duliae supernaturalis. Ergo maternitas divina maioris est dignitatis quam gratia et gloria. Hinc S. Rit. Congr., 1 Iun. 1884 : « Eminentiore veneratione, super ceteros sanctos colit Ecclesia Reginam et Dominam Angelorum, cui *in quantum est mater Dei*... debetur... non qualiscumque dulia, sed hyperdulia ».

Quod tradunt Scholastici : « Debetur ei sola veneratio duliae ; eminentius tamen quam ceteris creaturis, in quantum ipsa est mater Dei ; et ideo dicunt quod debetur ei non qualiscumque dulia sed hyperdulia » : ita S. Thomas, III, q. 25, a. 5. Pariter S. Bonaventura, in III Sent., d. 9, q. 3, a. 1 : « Quoniam excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ei honor duliae, sed hyperduliae. Hoc autem nomen est, quod Dei mater est, tantae dignitatis est, quod non solum viatores sed etiam comprehensores, non solum homines, verum etiam angeli eam revereantur quadam praerogativa speciali. Ex hoc enim, quod mater Dei est, praelatur ceteris creaturis et eam prae ceteris decens est honorari et venerari ».

Secundum quid tamen praestant gratia et visio beatifica :

a) quia unio fit secundum altissimas potentias, scil. intellectum et voluntatem, et non per potentiam materialem sicut generatio humana[2] ;

1. *Mariale*, ibidem.
2. Relatio principaliter mensuratur ex parte termini, non ex parte fundamenti, ut dictum est, p. 57. Quamvis ratione fundamenti perfectior sit relatio ad Deum per gratiam et gloriam, tamen simpliciter praestat maternitas divina, quia terminum habet ipsum esse divinum.

b) et quia est immediata, dum divina maternitas unit Deo mediante humanitate Christi ;

c) et quia est beatior ; præstat scil. sub ratione bonitatis moralis et beatitudinis : maternitas enim, quamvis tribuat quasi ius ad gratiam et gloriam, immediate tamen et formaliter non beatificat, sicut gratia et gloria. Et in hoc sensu quidem Patres interpretantur verba Christi, qui mulieri matris laudem clamanti : « Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti » respondit : « Quinimo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud » (Lc. X, 27-28).

Ideo tamen non sequitur gloriam esse *maiorem* maternitate divina, quia secus unio hypostatica, quae nec formaliter beatificat, et esset minor. Quod tamen nemo dicit[1].

« Bonitas creaturae, ait S. Thomas, in I Sent., d. 44, q. 1, a. 3, considerari potest... per comparationem ad bonum increatum ; et sic dignitas creaturae recipit quamdam infinitam dignitatem ex infinito cui comparatur, sicut humana natura in quantum unita Deo (hypostatice), et B. Virgo in quantum est mater Dei, et gratia in quantum coniungit Deo, et universum quod est ordinatum in Deum. Sed tamen in istis comparationibus est etiam ordo... quia quanto nobiliori comparatione in Deum refertur, nobilius est ; et sic humana natura in Christo nobilissima est, quia per unionem (hypostaticam) comparatur ad Deum ; et *post* B. Virgo de cuius utero caro *divinitati unita* assumpta est ; et *sic deinceps* ». Et S. Bonaventura, in I Sent., d. 44, dub. 3 : « Loqui est de B. Virgine quantum ad tres conditiones, scil. quantum ad gratiam *conceptionis*, quantum ad gratiam *iustificationis*, quantum ad naturam corporis. Si *quantum ad conceptionem prolis* (ergo sine gratia iustificationis), sic quia fuit

1. De tota quaestione conferri possunt : LÉPICIER, o. c., p. 1, c. 3, a. 1 ; CAMPANA, o. c., I, c. 1, a. 3 ; MERKELBACH, *Mater Dei*, in *Rev. Eccl. de Liège*, 1913, et *De verheven Waardigheid der Moeder Gods*, in *Handelingen van 't Maria Congres*, Brussel, 1921 ; *L'éminente dignité de la Mère de Dieu*, in *Mémoires du Congrès marial*, Bruxelles, 1921 ; VAN CROMBRUGGHE, in *Coll. Gand.*, 1913 et 1927 ; BITTREMIEUX, *De notione divinae maternitatis*, in *Eph. Th. Lov.*, 1924, et *Marialia*, l. c. ; A. JANSSENS, *De Heerlijkheden van het goddelijk Moederschap*, 1928, II, 4 en 6 ; ALASTRUEY, *Mariologia*, 1934, I, p. 2, c. 4, a. 2 ; VAN DER MEERSCH, *De verheven waardigheid van het goddelijk Moederschap*, in *Mariale Dagen*, Tongerloo, 1936 ; NICOLAS, *Le concept intégral de la maternité divine*, in *Rev. Th.*, 1937 ; KEUPPENS, *Mariologiae compendium*, I. Deipara, c. 1, § III.

mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest, et mater nobilissimi filii, sic tantam habuit bonitatis dignitatem, quod nulla mulier amplius capere potuit. Si enim omnes creaturae, quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent praesentes, omnes deberent reverentiam matri Dei[1] ».

29. Obiiciunt. Maternitas divina saltem minor est gratia et gloria, cum mulieri clamanti : *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quae suxisti.* Christus dixerit : *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* (Lc. XI, 27-28).

Resp. Comparatio non fit inter maternitatem *divinam* ut talem, et gratiam vel gloriam, cum mulier illa Christum

1. Haec itaque est sententia traditionalis Patrum et Scholasticorum. Patres generatim matrem Dei super omnia ponunt, sive implicite, attendendo uni qualitati matris Dei, sive explicite dicendo suam solam maternitatem eam elevare super omnes creaturas, supra cunctos angelos et sanctos. Cfr. Ps.-EPIPHANIUS, hom. 5 in Laudes S. M. ; AMBROSIUS, de virg., l. II, 7 ; PROCLUS, or. 5 in Laudat. S. V. Deip., n. 2 ; or. 2 in S. Virg. ; SOPHRONIUS, or 2 in Deip. Ann. ; GERMANUS CONST., ep. ad Ioann. synod. ; hom. 2 in Dorm. ; IOANNES DAM., or. 1 de Dorm. Deip., n. 10 ; de F. O., III, 12 ; GEORGIUS NIC., hom. 6 in S. Deip. ingr. ; ANDREAS CRET., hom. 1 in Dorm. S. M. ; PETRUS ARG., de concept. S. Ann., n. 14 ; PETRUS DAM., carm. 47 in Assumpt. ; idem (?), serm. 44 in Nat. D. ; serm. 46 in Nat. B. M. V. ; ANSELMUS, or. 50 et 52, et eius discipulus EADMER, de Excell. B. M., c. 1, 2, 3 ; PETRUS CELLENSIS, serm. 13 de Purif. S. M. ; de Panibus, c. 21 ; BERNARDUS ; supra Missus est, hom. II, 7. Quam sententiam docuerunt magni Scholastici supra notati : S. ALBERTUS M., S. BONAVENTURA, S. THOMAS, et alii usque ad DIONYSIUM CARTH. (in I Sent., d. 44, q. 2) ; postea quoque S. BERNARDINUS SEN., de Glor. nomine off. M., serm. 1, a. 2, c. 1 ; SEDLMAYR et S. ALPHONSUS, et generatim Thomistae, ut GONET, CONTENSON, GOTTI et HUGON.

SCOTUS nullibi, quod sciamus, quaestionem ponit explicite ; sed apud illum nondum invenire est sententiam quae Mariae tribuit meritum de condigno ad maternitatem divinam : hoc sub respectu non recedit a modo loquendi praedecessorum et a sententia communi. Solum quidam Nominalistae inde a fine saec. XV, ut TOSTATUS, GABR. BIEL, ALMAIN et MAIOR, affirmant Mariam stricte meruisse ex iustitia dignitatem matris Dei ; qui logice asserere debebant maternitatem divinam non esse superioris ordinis ac gratia. Cui opinioni quemdam favorem tribuerunt VASQUEZ et SUAREZ, distinguendo inter maternitatem divinam inadaequate et in abstracto, quae gratiae est inferior, et eamdem maternitatem adaequate et in concreto spectatam cum omnibus suis privilegiis, quae gratiam excedit, cum hanc ipsa contineat. Hic modus loquendi apud quosdam invaluit et proponitur etiam ab optimis theologis, ac si esset inconcussa veritas, et hodiernis diebus adhuc quodam favore gaudet, non obstantibus multis redeuntibus ad doctrinam traditionalem medii aevi ; imo, anno 1935, in quadam publica universitate solus proponebatur, ac si nulla alia sententia opposita et traditionalis daretur. Haec sunt in detrimentum veritatis, atque in minorem aestimationem ipsius matris Dei eiusque venerationis obiectivam imminutionem.

nullatenus ut Deum sed ut Prophetam habuerit ; sed inter generationem mere naturalem ac maternitatem physiologice spectatam, et filiationem Dei adoptivam seu generationem spiritualem : haec autem evidenter praestat illi.

Notare liceat : a) alia diversa esse verba quae similem sensum exprimunt, ut apud Mc. III, 31-35 : Christo praedicante, « veniunt mater eius et fratres (i. e. cognati) ; et foris stantes, miserunt ad eum vocantes eum. Et sedebat circa eum turba, et dicunt ei : Ecce mater tua et fratres tui foris quaerunt te. Et respondens eis, ait : Quae est mater mea et fratres mei ? Et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebant, ait : Ecce mater mea et fratres mei. *Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater mea* ». Similia habentur Mt. XII, 46-50 et Lc. VIII, 19-20. Sensus est : prima cognatio mea est cum Patre, cuius voluntas omnibus praefertur ; tunc illi qui pertinent ad hanc cognationem spiritualem, facientes Dei voluntatem. Inter istos autem eminet mater Dei. — b) Lucas, VIII, 21, paulo aliter idem reddit : « Mater mea et fratres mei hi sunt qui verbum Dei audiunt et faciunt » ; audire scil. verbum Dei est conditio ad illud faciendum atque faciendam Dei voluntatem. Addit autem XI, 28 : « Quinimo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ». Ratio scil. cur aliquis sit beatus, est quia credit et servat verbum Dei ; hac ratione etiam mater Christi beata dicenda est quia credidit verbo Dei et illud diligenter fecerit et servaverit. — c) Nihilominus quidam Patres, ut Chrysostomus et Augustinus, ista verba ita interpretati sunt ut *quodam respectu* opponantur maternitati divinae : sub respectu boni moralis et meritorii praeferenda filiatio Dei adoptiva, nam voluntarie concipere nondum est in se meritorium nisi ex gratia fiat propter voluntatem Dei, et parum utilitatis fuisset B. Virgini concipere Christum, si ex gratia non fecisset et custodisset Dei voluntatem. Sed inde non sequitur quod simpliciter postponenda sit divina maternitas, etiam in ordine metaphysico entis et altioris perfectionis et dignitatis. *Beatior* est gratia et gloria maternitate divina, quae non immediate nec formaliter beatificat, sed mediante gratia et gloria ; at maternitas est *dignior, altior atque nobilior*, utpote superioris ordinis[1].

1. Eodem modo ÆGIDIUS ROMANUS, *Quodl.* VI, q. 18 (al. XVIII, q. 2) comparat meram maternitatem, ac virginitatem meritoriam, quaerendo *quodnam sit maius bonum ;* sed intelligit solum bonum morale et meritorium, non bonum metaphysicum, cum *non sit maius bonum de quo loquimur, id est non sit bonum meritorium nisi in quantum fit propter Christum.* Mera maternitas minus valet, cum de se non sit meritorium carne concipere Christum, sed eum concipere mente ; virginitas vero

30. Corollaria. — 1° Maternitatem praeesse gratiae et gloriae, quia terminatur ad esse divinae personae, non est veritas quae dependet a quaestione scholastica disputata : utrum unio Verbi incarnati facta sit in ipso esse divino, quod loco esse creati terminat ipsam humanitatem Christi. In hac sententia, quae omnino conformis veritati videri poterit, perfectius verificatur[1] ; sed in omni sententia, quomodocumque explicetur unio personae, verum esse debet quod terminatur maternitas ad illud esse quod constituit divinam personam, ac proinde ad ipsum esse physicum Dei, et non solum ad esse cognitum et intentionale.

2° Ex eo quod divina maternitas superet omnem gratiam et gloriam, sequitur B. Virginem esse ordinis superioris ac Angeli et Sancti, qui solum possident gratiam et gloriam ; atque pertinere ad ipsum ordinem unionis hypostaticae. Unde in creatione locum distinctum occupat, hierarchiam specialem et unicam constituit ipsa sola, proxime accedit ad Verbum incarnatum, et multum antecedit Angelos et Sanctos.

3° Hinc propinquissima est Deo, et propinquior Deo quam nobis. Unde S. Albertus M.[2] : « B. Virgo in hac annuntiatione in summo purae creaturae elevabatur causalitate... quia Deo per hoc summe omni propinquitate propinquissima fuit, utpote quae eius filia, mater et sponsa fuit ».

4° Consonat Leo XIII, in enc. *Quamquam pluries*, 15 Aug. 1889 : « Certe matris Dei tam in excelso est dignitas, ut nihil fieri maius queat » : habet siquidem « praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit ».

5° Licet in Evangelio non multa expresse de B. Virgine dicta legantur, omnia implicite dicuntur in eo quod sit mater Christi Iesu et mater Domini. Unde, ait Cornelius a Lapide, *Comm. in Matt.* I, 6 : « sic conclude : B. Virgo est mater Dei ; ergo ipsa longe excellentior est omnibus angelis, etiam seraphinis et cherubinis. Mater Dei est ; ergo purissima et sanctissima, adeo ut sub Deo maior puritas intelligi nequeat. Mater Dei est ; ergo quidquid ulli Sanctorum concessum est privilegii (in genere gratiae gratum facientis), hoc illa prae omnibus obtinet[3] ».

qua virtus includit conceptionem Christi in spiritu. Hinc *beatior* haec virginitas quam pura maternitas ; maternitas vero divina, quatenus de facto existit, maior est utpote quae virginitatem et gratiam includit. Ita Ægidius ; sed nullatenus attingit quaestionem nostram de maiori perfectione, dignitate, excellentia, nobilitate metaphysica divinae maternitatis prae toto ordine gratiae et gloriae.

1. Cfr Bittremieux, in *Eph. Theol. Lov.*, 1924.

2. *Mariale*, q. 12.

3. Luther ipse refertur scripsisse : « Qua re (titulo matris Dei) tam praeclara et ingentia bona ei data sunt ut superent captum cuius-

6° Cum divina maternitas superet ipsam gratiam gratum facientem et gloriam, a fortiori superat alias gratias, nempe gratis datas, et ceteras dignitates, munera ac privilegia ; speciatim ipsum sacerdotium. Sane : a) sacerdos est causa mere instrumentalis quae Christum ponit in statu sacramentali, i. e. corpus et sanguinem Salvatoris mere sistit praesens sub speciebus ; at longe eminentius, Maria est causa principalis, ipsum corpus et sanguinem Christi generans et eis tribuens esse humanum ; b) sacerdos, ministerialiter, tamquam minister Christi, denuo offert repraesentationem et renovationem sacrificii crucis ; sed longe eminentius, Maria proxime cooperata est huic ipsi crucis sacrificio, et consensu suo in incarnationem dedit summum N. L. sacerdotem, Christum ; quapropter omne N. L. sacerdotium, utpote participatio sacerdotii Christi, a Christo et a Maria pendet ut a fontali origine.

7° Maternitas divina Mariae est fundamentum, radix et fons omnium eius gratiarum et privilegiorum. Quae omnia ad illam ordinantur, sive antecedenter, ut dispositiones eius et praeparationes, sive concomitanter, ut proprietates, relationes aut dona connexa, sive consequenter, ut eius exercitium aut naturale complementum ac effectus inde resultantes.

31. Monitum. — Ex eo quod B. Virgo proxime accesserit ad Christum, et super alios emineat, intelligitur quomodo audiendum sit notissimum adagium : *De Maria numquam satis.* Quod aliqui male intelligentes, sine ulla limitatione aut restrictione, parati videntur extendere et quasi ad cunctas perfectiones possibiles. At intelligendum est de Maria *ut matre Dei et qua tali :*

1° Quatenus non possumus excedere in laudanda matre Dei, cuius dignitas nostrum intellectum excedit ; imo cum dignitas sit maior omnibus aliis, et quidem infinite, numquam creatura aliqua poterit sufficienter intelligere, nec proinde exprimere ac laudare, totam dignitatem Matris Dei.

cumque ; hinc enim omnis honos ac beatitudo provenit ut in universo genere humano unica sit persona superior cunctis, cui nemo sit par, quod cum coelesti Patre Filium tantum habeat communem... Ergo propterea unico verbo totus eius honos concluditur, si Parentis Dei insigniatur nomenclatura, quandoquidem nemo maiora vel de illa praedicare vel illi nunciare possit, etiamsi tot linguas habeat quot flores terra herbulasque, coelum stellas, ac mare sustinet arenas » *Comm. ad B. V. M. Cantic.*, a. 1518 (op. IX, 85, ed. 1554).

2° Quatenus non possumus excedere in attribuendis privilegiis ipsi matri Dei, sed tantum illis quae necessaria sunt vel convenientia huic dignitati, postquam ad illam fuerit destinata. Ex sua divina maternitate enim est ipsi ius, vel titulus, aut convenientia, ad omnes gratias et privilegia, quae aliquid conferre possunt ad hoc quod sit *digna* mater Dei. Et sub hoc respectu non possumus ipsi nimis tribuere : Deus scil. voluit, imo congruenter non potuit illi recusare, dona et privilegia necessaria vel convenientia quibus digna mater Dei constituatur : intellige tamen, in ordine praesenti, qua mater Dei-Redemptoris.

Hinc S. Albertus Magnus[1] : « Beatissimae Virgini dabatur donum ad essendum matrem Dei, omnibus aliis dabatur ad essendum servos Dei. Sicut igitur improportionabiliter maius est esse matrem Dei quam servum Dei, ita improportionabiliter est maius donum quod est ad essendum matrem Dei quam quod est ad essendum servum Dei ».

At falsum esset ipsi attribuere omnes perfectiones possibiles, etiam illas quae non conveniunt eius muneri aut statui aut conditioni, v. g. perfectiones naturae non humanae sed angelicae, statûs non viae sed termini, sexûs non feminini sed masculini, etc. : tunc enim possent ipsi tribui quicumque particulares favores quos Deus alicui sancto fecerit, aut miracula omnia quae patraverunt apostoli, dum tamen isti, non ipsa, electi fuerunt ad Evangelium propagandum.

Unde praedictis axioma conditionibus mensuratur, et intelligendum est cum triplici restrictione : *dummodo* scil. privilegia et gratiae respective *congruant*

a) *conditioni viae:* proinde non habuit visionem beatificam aut privilegia coelestia, quia non erat in statu termini ;

b) *conditioni naturae humanae*, et *sexûs muliebris:* ita non debuit habere qualitates naturales vel operationes naturae angelicae, ut scientiam per se infusam, nec poterat ministrare sacramenta aut exercere ordines sacros ;

1. *Mariale*, q. 46.

c) suae *missioni cooperandi Verbo incarnato et salvifico :* ita nec immortalitas nec impassibilitas ipsi congruebant, quia compati et mori decebat sicut Christum, quia est mater Dei qua Redemptoris.

Itaque : 1° B. Virgo habuit ipsam gratiam gratum facientem, et omnia dona connexa quae ad illam reductive pertinent, et quidem in gradu superiori et excellentiori prae omnibus creaturis, ac gratias actuales ad actus perfectos.

2° Omnes quoque gratias gratis datas, quae etiam competunt Verbo incarnato et Ecclesiae, non tamen omnes semper in executione, sed secundum quod conveniebat conditioni ipsius[1], nam non fecit omnia miracula apostolorum, nec scripturas inspiratas.

3° Habuit dona habitualia supernaturalia quae apud alios inveniuntur, aut dona ordinis eminentioris : ita non habuit potestatem ordinis aut iurisdictionis, sed eminentius cooperata est ipsi sacrificio crucis, et adiutrix redemptionis influxum habet in acquirendis et distribuendis gratiis ; pariter non habuit gratiam apostolatûs, sed ipsos apostolos potuit erudire ac illuminare.

4° Non tamen habuit favores particulares, quae ad perfectiorem unionem cum Deo nil conferunt, nec dona, munera, privilegia quae missionem suam nil spectant, uti saeculares dignitates.

5° Ergo non omnia dona et privilegia sanctis concessa habuit sine exceptione, sed inconditionate habuit illa quae possessionem, conservationem et multiformem activitatem gratiae gratum facientis in hac via spectant, aut quae ad vitae puritatem et sanctitatem, aut ad perfectiorem proprii muneris expletionem conducunt ac maiorem unionem cum Deo.

6° Hinc variae perfectiones possibiles non sunt ipsi tribuendae sine delectu : sola possibilitas non sufficit nec impossibilitas omnis disconvenientiae, sed, cunctis bene consideratis, oportet adsint, ad privilegia aut dona asserenda, *argumenta positiva* peculiaris decentiae : secus, affirmatio erit gratuita.

Unde S. Bonaventura, III Sent., d. 3, p. 1, a. 1, q. 2, ad 3 : « Sufficiunt Virgini aliae dignitates quas sibi Filius communicavit et dedit, in quibus excellit omnes humanas laudes et devotiones, et ideo non oportet novos honores confingere ad honorem Virginis, quae non indiget nostro mendacio, quae tantum plena est veritate ».

1. S. THOMAS, III, q. 27, a. 5, ad 3.

QUAESTIO TERTIA.

MARIA EST MATER DEI REDEMPTORIS AC ADIUTRIX, SEU NOVA EVA.

32. **Doctrina catholica.** — Docet Ecclesia catholica Mariam non solum esse matrem Dei-hominis, Verbi incarnati, sed etiam matrem Christi seu Dei-Redemptoris *qua talis,* Verbi incarnati ad redimendum : quatenus voluntarie in hoc consenserit fieri mater Redemptoris.

Christus enim solummodo venit in mundum ad redimendum homines ; quod Maria novit et cui consensum dedit. Unde voluntarie facta est mater Redemptoris, et hoc munus voluntarie accepit. Et ideo, sicut Eva consociata fuit Adae in negotio perditionis et cooperata est ruinae totius generis humani, modo humano per actus deliberatos et liberos, ita pariter Maria voluntarie consociata fuit et intime connexa Christo, Novo Adae, in negotio salutis, atque operi Redemptionis active cooperata est, non solum per modum instrumenti physici quia carnem et sanguinem Deo incarnando subministravit, sed etiam moraliter, quia credendo et obediendo in hoc liberrime consensit. Nec sola relatione extrinseca seu physicae maternitatis unitur Redemptori, sed unitur Christo tamquam principio, ita ut cum ipso sit unum redemptionis principium : inseparabilis scil. a Christo, pertinet ad ipsum principium redemptionis et oeconomiam salutis ; ita ut in reparatione eumdem locum occupet ac Eva in negotio perditionis, et hac ratione Nova Eva vocetur.

Cui doctrinae adversantur Protestantes, qui B. Virginem ad modum meri instrumenti *physici* habent quo Verbum est incarnatum et Messias nobis advenit, omnem vero causalitatem ac influxum *moralem* in Deum Mariae denegant. Omnem solidaritatem siquidem in negotio salutis repudiantes, et purum individualismum sectantes, influxum B. Mariae in redemptionem et salutem nostram non valent intelligere, et ideo haec eius privilegia impugnant. Contra quos duplex statuitur veritas.

33. **Maria, mater Dei-hominis, est etiam mater Redemptoris qua talis.** — Est doctrina *communis et certa.*

Probatur : 1º *Directe* ex Scripturis, Lc. I, 31-32.

Angelus in annuntiatione proposuit Mariae ut vellet fieri mater Dei-hominis ac formaliter Mater Redemptoris qua talis : « *Paries filium et vocabis nomen eius Iesum* », i. e. Iahveh salvantem, « *et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius ; et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis* » ; quibus signis a Prophetis Messias fuit praenuntiatus (vide v. g. Is. VII, VIII ; II Reg. VII, 6-7 ; Ps. LXXXVIII, 31 ; Dan. VII, 13, 14, 27). Unde consensum voluntarie dando verbis Angeli, eo ipso voluit generare et edere Messiam a Prophetis annuntiatum et promissum, qui venturus erat salvare Israël, seu Redemptorem qua talem. Unde Patres aiunt quod adventus Redemptoris et salutis a consensu Mariae dependebat tamquam a conditione, uti Bernardus[1], et quod B. Virgo Christum mente concepit antequam sinu gestasset, v. g. Augustinus, de Virg. c. 3, n. 31 ; Leo M., serm. 20 in Nat. Dom., c. 1.

Ne dicas infallibile decretum divinum non posse dependere a conditione contingenti, ac proinde eius executionem non pendere ab incerto eventu creaturae, scil. libero consensu B. Virginis ; quia sic posset frustrari. Nam Deus motione efficaci omnipotentis suae voluntatis habet cor hominis in manu sua et potest illud flectere quocumque voluerit, et miris quidem modis, ita ut libere simul et infallibiliter consentiat nostra voluntas. Unde certo certius obtinere potest liberum consensum Virginis. Divinum enim decretum non tantum est de eventu obtinendo, sed etiam de modo quo obtineatur, necessario scil. aut contingenti vel libero. Ac proinde, sicut infallibiliter res fiet, uti voluit Deus, ita etiam infallibiliter fiet libere, si hoc modo fieri voluerit. « Cum gitiur voluntas divina sit efficacissima, ait D. Thomas, I, q. 19, a. 8, non solum sequitur quod fiant ea quae Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus

---

1. Ita *Hom. 4 super Missus est.* Etiam ANTIPATER BOST., *Hom. in Deip. Ann.* ; IOANNES GEOM., *Sermo in Deip. Ann.*, n. 19 ; PROCLUS, *or.* 1 *de Laud. S. M.* ; GREGORIUS M., *Hom.* 38 *in Evang.* ; PS.-AUGUSTINUS, *Sermo* 120 *de Nat. D.*, n. 7 et *Serm.* 194 *de Ann. D.*, n. 3 et 5 ; LAURENTIUS IUST., *Sermo de Ann.* ; GULIELMUS PARVUS, *In Cant.*, IV, 11.

ea fieri vult. Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter... » ; unde « ex hoc ipso quod nihil voluntati divinae resistit, sequitur quod non solum fiant ea quae Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quae sic fieri vult » (ad 2).

2° *Indirecte* ex eo quod Maria dicatur Nova Eva ; hoc autem ut conditionem praerequisitam et necessarium fundamentum praesupponit doctrinam praesentem, nempe quod sit mater Redemptoris qua talis.

Dicunt Protestantes : hac ratione etiam aves Christi, Abraham et David, esse adiutores Redemptoris. — Respondetur : illi inconscie genuerunt et dederunt Redemptorem independenter ab eorum voluntate ; Maria scienter et volenter, praecise ut Christus opus redemptoris impleret.

34. Animadversio. — Sicut Verbum incarnatum, primo motu suo humano, ingrediens mundum, dixit... : « Ecce venio, — in capite libri scriptum est de me, — ut faciam, Deus, voluntatem tuam » (Hebr. X, 5-7), et in hoc initiali motu tota vita durante perseveravit ; ita pariter Maria facta est mater Dei-Redemptoris dicens : *Fiat mihi secundum verbum tuum* (Lc. I, 38), et huic intentioni actus sequentes suae vitae perfecte conformavit.

35. Mater Dei-hominis est Nova Eva ad negotium reparationis Christo adsociata, sicut olim in negotio iustitiae originalis transmittendae et in negotio lapsus et perditionis, ex dispositione Providentiae divinae, Eva consociabatur Adae ; scil. ut causa occasionalis et inductiva, non principalis et perfectiva, sed secundaria et Christo subordinata. — Est sententia *communis et certa*, vel et *fidei proxima*, ex praedicatione universali Ecclesiae. Dicitur :

1° *Ad negotium reparationis adsociata :* ad finem Incarnationis enim, nostram Redemptionem, non tantum physice concurrit, gignendo et alendo Christum, sed moraliter per actus liberos.

2° *Sicut in lapsu et perditione Eva consociabatur Adae.* Adam scil. solus nos perdidit, et sine Eva eo peccante etiam perditi fuissemus ; sed de facto Eva ruinae cooperata est per actus deliberatos, acquiescendo daemoni, inobedientiam committendo, virum ad peccandum inducendo : ita, secundum intentionem Dei, Christus solus nos redemit et ideo etiam sine Maria fuissemus redempti, sed de facto cooperata est Maria, non tamquam instrumentum mere physicum, sed ut causa libera per actus deliberatos, quia assentiendo credidit angelo, in conceptionem Christi obediendo liberrime consensit, et Christum carne passibili vestivit et multis curis enutrivit ac custodivit, ita inducens ad redimendum et salvandum.

3° *Ut causa occasionalis et dispositiva.* Eva non fuit causa principalis perfectiva, sed occasionalis et dispositiva ruinae ; ita Maria non est causa principalis et perfectiva redemptionis, nam redimere nos de condigno non potuit et infinitis meritis reparationis Christi nihil addere potest, sed causa occasionalis et dispositiva. Ideo est :

4° *Subordinata Christo*, et ideo vocatur *concausa* salutis nostrae et adiutrix, causa *secundaria* scil. et subordinata. Nam est differentia inter Evam et Maria : prior ex seipsa tantum, i. e. propria voluntate lapsui cooperata est, Maria libere et meritorie, ex gratia Dei propter merita Redemptoris accepta, ad opus redemptionis concurrit.

5° *Ex dispositione Providentiae divinae :* ita ut hac in re dici possit *ministra* Dei, dum Eva fuerit ministra diaboli.

Haec doctrina est primaria in Mariologia, imo una cum dogmate maternitatis divinae est fundamentum totius scientiae marianae, quae exinde proficiscitur, deducitur et evolvitur.

36. Doctrina fundamentum habet in Scripturis, Gen. III, 15 : « *Dixit Dominus ad serpentem : Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius* ».

Ubi manifesta intentio scriptoris sacri est docere[1] : a) originem malorum in genere humano esse ex peccato protoparentum et huius punitione ; b) peccatum illud commissum fuisse sub instigatione serpentis malitiosis-

1. Cfr. inter alios, VAN CROMBRUGGHE, *Tractatus de B. Virgine Maria*, prop. 10, p. 114-115, et *Coll. Gand.*, 1926 ; CEUPPENS, *De historia primaeva*, comm. in Gen., I-XI, 1934.

simi : ipse est diabolus moraliter pravus et Deo hostilis, nam intentionaliter exaggerat et falsificat praeceptum protoparentibus impositum (v. 1), suadet Deum ex invidia et sub comminatione poenae non infligendae prohibuisse esum fructus vetiti, fructuum scil. arboris scientiae (v. 4, 5), et hominem inducit in rebellionem contra Deum (v. 6) ; c) serpens autem a Deo non interrogatur cur ita egerit, sed statim punitur, quia supponitur manifestum ipsum esse pravum, Deo inimicum ; ceterum et apud Babylonicos serpens est deitas infernalis nociva. Quae interpretatio certificatur ex ipsis Scripturis, Sap. II, 23-24 : « Deus fecit hominem inexterminabilem : invidia autem diaboli, mors intravit in orbem terrarum » ; et Apoc. XII, 9 : « Serpens ille antiquus qui vocatur diabolus et Satanas, qui seduxit omnem orbem » (cfr. Io. VIII, 44 ; Apoc. XX, 2).

Iamvero in poenam serpentis scil. diaboli[1], Deus ipse declarat se positurum inimicitias et luctam inter serpentem et mulierem, progeniem eius et progeniem illius, ita ut haec valeat luctari contra serpentem et devincere, quod hucusque non valuit Eva : «*Inimicitias ponam inter te et mulierem* (cum articulo), *et semen tuum* (i. e. progeniem tuam) *et semen* (i. e. progeniem) *illius : ipsa* haec progenies[2] *conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius* ». Ubi mulier annuntiatur, quae non immediate et per seipsam opus diaboli destruet, huic tamen cooperatura est et id faciet cum suo semine et per suum semen (quocum in inimicitiis ut unum quid consideratur, ut

1. Sicut tota descriptio est serpentis animalis, sed ut symbolum diaboli qui eius specie tamquam medio usus est, sic tota poena est serpentis, ut est symbolum diaboli.

2. In textu originali hebraico legitur : *ipse*, non ipsa, ita ut non mulier sed semen conterat caput. Item et in graeco LXX : *ipse*. Ita et in Targumin Onkelos et Ieruschalmi. « Lectio : *ipsa* conteret, quam habet Vulgata, intentionaliter a S. Hieronymo posita est, hac ut videtur de causa quod saeculo IV in quosdam codices latinos irrepserat, et sat latam in Ecclesia latina obtinuerat diffusionem, ut ex operibus Ambrosii, Augustini et Victorini rhetoris colligitur. Etiam Philo legit : *ipsa* conteret ». Ita VAN CROMBRUGGHE, o. c., p. 114, et quidem probabilius, etiam post controversiam inter D. DE BRUYNE, *La Critique de la Vulgate*, in *Rev. Bén.*, 1924 ; et D. QUENTIN, *Mémoires sur l'établissement du texte de la Vulgate*, in *Coll. Bibl.*, 1922 ; *Sulla Genesi*, III, 15 in *Scuola cattolica*, 1924, et *Essais de critique textuelle* », 1926.

patet ex coniunctione : *et* semen tuum). Connumeratur scil. cum semine in gerendis adversus diabolum iisdem inimicitiis ; inimicitias autem gerere est actus intelligentis, libere et activo modo se habentis. Quare enim Deus tam emphatice serpenti annuntiasset inimicitias mulieris, simul et seminis, si victoriae seminis sui mulier concurrere non debuisset ? Inter haec scil. est manifesta connexio, et victoria est effectus inimicitiarum mulieris. Ceterum id exigit parallelismus in ratione poenae : sicut ad poenam Evae pertinet esse sub potestate viri quem seduxit (v. 16), ita ad poenam serpentis aliquid pati a muliere et esse sub potestate mulieris quam seduxit[1]. Textus solet vocari Protoevangelium, utpote continens primam annuntiationem redemptionis et salutis.

Quaeritur autem quaenam sit illa mulier cum semine ?

1° Aliqui, ut Flavius Iosephus ; Ephraem, fragm. in Gen. ; Ambrosius, de fuga saec. 7, 43 ; Chrysostomus, hom. 17 in Gen. 7 ; Hieronymus, Quaest. in Gen. ; et inter modernos : Reinke, Hoberg, Hummelauer, Corluy, Lagrange in *Rev. Bibl.*, 1897, Levesque in *Rev. du Cl. Fr.*, 1905 ; Engelkemper in *Bibl. Zeitschr.*, 1910 ; Ceuppens, *De Historia primaeva*, comm. in Gen. I-XI, 1934, *mulierem* intelligunt mulierem primam, Evam, post suam poenitentiam, quia in toto contextu praecedenti et subsequenti agitur de ipsa sola (II, 23 ; III, 1, 2, 4, 6, 12, 13, 16, 17, 20, 21 ; IV, 1) ; unde necessario

1. In textu originali non explicite praedicatur *victoria*, sed sola lucta continuata : etenim loco : conteret et insidiabitur, bis utitur eodem verbo, ita ut legatur : ipse invadet, impetet, observabit, conteret, vulnerabit caput tuum, et ei insidiabitur, ut naturale est homini luctanti adversus serpentem ; et tu impetes, observabis, conteres, vulnerabis calcaneum eius, et ei insidiaberis, sicut naturale est serpenti luctanti adversus hominem. Unde etiam vertit S. Hieronymus : conteres et conteret.

Implicite tamen et necessario praedicitur victoria : progenies mulieris valebit luctari contra serpentem, quod hucusque non valuit Eva, et lucta continuatur cum spe victoriae, ita ut non vincatur a diabolo ; quod sine gratia redemptoris est impossibile qui vicit diabolum et potestatem eius contrivit. Sic destruitur ipsum opus seu victoria diaboli, et potestas diaboli frangitur et regnum destruitur. Quod ex eventu, scil. impletione prophetiae in N. L. est omnino certum (Io. XII, 31 ; Col. II, 13 ; I Io. III, 8) ; ubi hostiles conatus erunt in Ecclesiam (Apoc. XII, 13 sq.), sed portae inferi non praevalebunt adversus eam (Mt. XVI, 18). Quare et de victoria traditio textum intellexit.

illa intelligi debet, et coaevi scriptoris, sicut et ipsi protoparentes, nec alium sensum suspicari possent ; — *semen mulieris*, quamvis possit intelligi Christus ex Eva nascendus [1], melius tamen dicuntur homines iusti collective, vel omnes homines qui per gratiam Redemptoris contra diabolum luctari valent et positive illum vincent, sicut *semen serpentis* sunt sive spiritus nequam, sive homines pravi collective, quos generatione spirituali diabolus sibi efficit.

Et sane : in verbis Geneseos respicit Deus totum humanum genus, non personas particulares. Unde verba referuntur ad mulierem et semen, ita ut ad omnes referantur, quatenus repraesentantur in muliere et semine. Constat : a) ex natura causae : lapsus totius generis humani ; ergo sententia respicit totum genus humanum ; b) sententia contra Adam et Evam est pro omnibus ; ergo et sententia contra serpentem. Nam, sicut castigatio, ita et sanatio est pro omnibus ; c) verba : *inter te et mulierem, semen...* sunt omnino generalia, quae convenienter referuntur ad determinatas personas, sed prout considerantur ut partes seu membra generis humani, siquidem personaliter nec nominentur. Haec tamen typice et per excellentiam de B. Virgine et de Christo ex divina traditione scimus esse intelligenda.

2° Alii tamen Patres, ut Irenaeus, adv. Haer. III, 23 ; V, 21 ; Cyprianus, l. 2 ad Quir. ; Epiphanius, adv. Haer. LXXVIII, 19 ; Proclus ; ps.-Hieronymus, ep. de viro perf. ; Isidorus Pelusiota, ep. l. 2, ep. 426 ; Ephraem (?), in Carm. et Hymn. ; Prudentius, cath. III, 126-130, 145 ; Bernardus, hom. 2 sup. Missus est, 4, et multi praesertim a tempore reformationis, ac plures exegetae intelligunt litteraliter de B. Virgine Maria et de Christo. Ita inter alios Calmet, Passaglia, Patrizzi, Bade, Billot, Smits, Palmieri, Pignataro, L. Janssens, Terrien, Arendt in *Anal. Eccl.*, 1903, Van Crombrugghe in *Coll. Gand.*, 1911, Campana.

a) De Christo, nam nulla punitio infligi potest daemoni iam damnato nisi destructio victoriae quam de genere humano retulerat, et ideo semen mulieris hanc victoriam

1. Semen in Scripturis etiam designat singularem personam, v. g. Gen. IV, 25 ; XXI, 13 ; II Reg. VII, 12.

destruens per hoc ipsum est Redemptor. Videtur quoque exprimi factum particulare quod in futuro sat remoto semen mulieris perficiet (*semen*, non mulier, *conteret*), exitus non initium inimicitiarum : tentator nempe supponitur dominari usque ad momentum quo caput conteritur, unde semen non est intelligendum collective sed determinatus filius (collectio non conterit, sed unusquisque homo). Et Scripturae redemptionem factam per *unum* ubique indicant. Unde Apostolus, ad Gal. III, 16, locum parallelum interpretans, *semen* dixit *unum*, scil. Christum.

b) De B. Virgine, nam Eva non habuit specialem aut eminentem cum tentatore inimicitiam, quae tanta cum emphasi dicatur poni, ac praesertim difficulter concipitur quod tempore scriptoris sacri, multis saeculis post Evam redemptione non impleta, describatur ut specialis inimica diaboli. Ceterum nec physice nec moraliter est mater iustorum : filii Evae nascuntur cum peccato ac proinde sunt semen serpentis, et partus eorum fit in servitute diaboli.

Poena deceptoris scil. in quadam retorsione sita est, qua idem medium quod excogitavit diabolus ad perdendos homines inserviret ad liberationem ; unde, sicut lapsus, ita et liberatio incepit a muliere, et sicut per mulierem deceptam, tamquam per instrumentum et mediatricem, humanum genus in Adam factum est semen diaboli, ita per mulierem, tamquam per instrumentum et mediatricem, semen eius erit Redemptor qui plenam de diabolo reportabit victoriam. Eva autem non prius inimicitiam habuit quam Adam, nec specialius quam quicumque homo ; unde Christus et genus humanum esset potius dicendum semen Adae quam Evae [1]. — Imo, cum verba intelligenda sint non de initio sed de exitu belli, intelligenda est non Eva sed mulier futura. Et sane, promissio non fit directe protoparentibus vel Evae, sed ista, sicut et Adam, nonnisi indirecte, ex verbis nempe ad serpentem directis, restaurationis promissionem audivit : quo subindicatur mulierem diaboli inimicam non esse Evam. — Nec umquam Christus dicitur semen alicuius mulieris, v. g. Evae, Rachel, Rebecca, sed emphatice dicitur filius virginis (ut Is. VII ; Gal. IV, 14).

1. Haec tamen ultima consideratio non est multi valoris. Responderi etenim potest Evam potius inimicam dici quam Adam, quia poena seductoris infligenda convenienter dicebatur ab illa persona, quae ab eo directe fuit seducta.

Hinc argumento facto ab adversariis respondent terminum mulierem (cum ariculo) significare, vel illam de qua contextus, vel aliquam determinatam mulierem excellentem futuram et ignotam contextui (ut v. g. Gen. III, 1 ; Is. VII, 14) : verba enim non sunt ipsius auctoris, sed est *ipse Deus* qui pronuntiat cladem daemonis, et ideo verba non sunt necessario unius tenoris cum narratione tentationis, sed possunt praebere sermonem distinctum et per se stantem, cum tamen referantur ut ab alio dicta. Et licet terminus sit eiusdem valoris quoad sensum : mulier determinata, proprie dicta, et non mulier in genere, ideo tamen non eadem persona ipso designatur et pro eo supponit. Ex hoc enim quod eadem mulier sit intelligenda in tota *narratione facti*, non sequitur quod de eadem agatur et in *promissione*. Nec semen eodem modo sumi debet, quia est sensus oppositionis : semen mulieris sumitur proprie, quia sensus proprius possibilis, semen serpentis improprie, quia sensus proprius impossibilis est.

3° Dicendum primam sententiam videri probabiliorem, si res spectetur critice et secundum solam rationem ; e contra alteram videri praeferendam[1], si res consideretur theologice et secundum traditionem. Sed et posset aliter, et forsan melius, dici, nempe : ex institutione et nativo sensu verborum immediate, formaliter et explicite significari Evam et homines iustos, uti magis congruit contextui ; virtualiter tamen, implicite et mediate, aut vi ratiocinii, indicari Christum et B. Virginem : non solum secundem sensum typicum, sed etiam secundum sensum litteralem, sed pleniorem et consequentem ; ceterum sensus litteralis potius adstrui videtur in Bulla Pii IX, *Ineffabilis Deus*, et pro Christo impositus fuit a Commissione biblica, 30 Iun. 1909. Redemptio enim et destructio imperii daemonis a meris hominibus praestari non potest, nisi per auxilium participatum a Deo-homine, qui solus id per se potest et complete ; unde eo ipso quod

1. Unde Exegetae potius primam tradunt interpretationem, Theologi alteram. Quod iam videri potest apud Patres : dum exegetam agunt magis intellexerunt de Eva, vel in sensu allegorico et morali de lucta omnium, aut generis humani, contra diabolum, ut v. g. Ephraem, Chrysostomus, Augustinus, de Gen. c. Man., Severianus Gab., Procopius, et alii ; e contra agentes theologum, in sensu messianico, de Christo vel et de Maria, v. g. Irenaeus, Cyprianus, Epiphanius, Isidorus Pel., Leo M., etc., aut artem colentes poëticam, ut Ephraem in carminibus et hymnis, ac Prudentius.

redemptio generis humani collective annuntiatur, *clare et aperte*, ut ait Pius IX, demontratur Redemptor[1]. Similiter Redemptor est semen mulieris, et ideo immediate et specialius genitus ex quadam muliere, scil. B. Virgine Maria, a qua non tantum est ut a physico instrumento, sed et ut a causa morali in eius conceptionem consentiente (Lc. I, 26-38, 42), et ideo ista inter mulieres speciali modo cooperata est Redemptioni et excellentiore modo in inimicitiis ad daemonem communicat.

Eva scilicet et alii homines non habent inimicitias ad serpentem, nisi in quantum participant inimicitias Christi et B. Virginis, ac illas imitantur. Christus itaque et B. Virgo designantur, non immediate, sed quadam connexione, implicita continentia, legitima deductione, comparatione cum aliis revelationibus vel prophetiis et earum impletione, ac modo quo Redemptio facta fuerit ; ac proinde ad sensum litteralem *integrum* et *completum* pertinent. Et ille sensus, licet sit secundarius in ordine historicae enuntiationis et significationis verborum, tamen primarius est in ordine obiectivae realitatis, quia verba Geneseos excellentius et plenius de Christo et de Maria verificantur. Sicut et in prophetiis, antetypus praecipue solet significari estque obiectum principaliter intentum a Spiritu sancto, non typus qui immediate refertur, ita nec typus Eva vel semen eius, primario significatur, sed antetypus : Maria et Christus. Nec est necessarium ut prophetia *plene* intelligi possit momento quo pronuntiatur.

1. « Patres Ecclesiaeque scriptores... docuere divino hoc oraculo *clare aperteque* praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scil. Unigenitum Dei Filium Christum Iesum, ac *designatam* Beatissimam eius Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas ». Ubi notatu dignum est, verba « *clare aperteque* » necessario referri ad praemonstratum Redemptorem, nullatenus ad designatam Virginem, quae proinde solum confuse indicari posset.

Non tamen dicendum omnes Patres ita intellexisse, etiam si sensum praedictum non negent aut excludant, nam sat multi diverse interpretantur : vel in sensu naturali de instinctiva fuga serpentis, vel in sensu allegorico et morali de pugna omnium hominum aut iustorum contra diabolum, aut etiam in sensu messianico de redemptione aut de Redemptore, licet non de Maria ; ut videri poterit apud Drewniak, *Die Mariologische Deutung von Gen.* III, 15, *in der Väterzeit*, Breslau, 1934. Nec dicantur generali consensu id docuisse implicite, in parallelismo Adam-Christus, et Eva-Maria ; quia non constat eos omnes hanc doctrinam in Gen. III, 15, conspexisse aut ex hoc versu deduxisse, cum istam conspirationem explicite non faciant, et antithesis Eva-Maria etiam aliter, non recurrendo ad Gen. III, 15, explicari possit.

Quibus positis, sic argumentari liceat cum Van Noort[1] : « In protoevangelio daemoni, in poenam machinationis suae, annuntiatur (saltem sensu typico, vel et consequenti ac derivato), quod eodem ordine quo vicerat, vincetur : quia fecisti hoc, i. e. mulierem decepisti, quia amicitiam mulieris fraudulenter capiendo, triumphasti de muliere, et per mulierem de viro (in quo omnes peccaverunt), ego obiiciam tibi aliam mulierem tibi inimicam, quae gignet novum virum progeniturae tuae inimicum ; et inimicitiarum exitus erit, quod hoc modo devinceris (et omnes, qui voluerint, e tua potestate eripiantur). Igitur ex intentione Dei, Evae et Adamo, qui daemoni amicabiles ei succubuerunt (et ita toti suae propagini causa ruinae fuerunt), e diametro opponuntur Mulier cum suo semine, Maria cum Christo, qui diabolo minime amicabiles sed omnino hostiles erunt, et ita omnibus existent causa salutis.

Atqui his omnibus obscurius quidem, sed vere significatur, etiam mulierem, i. e. Mariam, partem aliquam habituram in opere reparationis. Qualis vero et quanta erit haec pars, non ex ipsa prophetia, sed potius ex eius impletione historice didicimus. Duo tamen ipsa prophetia insinuat : a) causam principalem et perfectivam restaurationis non fore mulierem, sed semen eius : *ipsum conteret ;* b) mulierem semini cooperaturam esse, non solum per modum instrumenti physici, sed etiam moraliter per actus deliberatos, nam *inimicitias* inferre diabolo causae intelligentis et liberae est. Ergo ».

37. Doctrina probatur ex divina Traditione. — Patres, comparando historiam lapsus (Gen. III) cum historia annuntiationis (Lc. I, 26-38) et doctrina paulina de Christo Novo Adamo (I Cor. XV, 45 sq. ; Rom. V, 12 sq. ; I Cor. XV, 20-23), statim ab initio explicite docuerunt Mariam non solum physice, mere gignendo Christum, sed etiam moraliter per liberam obedientiam ad reparationem generis humani aliquid contulisse.

1. *De Deo Redemptore*, sect. III, Mariologia, c. I, prop. 3, n. 216.

Animadvertunt « iuxta specialem Dei dispositionem Deum Salvatorem in utero gestatum fuisse a B. Virgine », ut ait Ignatius, ad Ephes. XVIII, 2, vel et Iustinus et Tertullianus, ac « omnem dispositionem salutis hominum factam iuxta placitum Patris », ut habet Irenaeus, adv. haer. III, 23, « per modum recirculationis ac recapitulationis », secundum quam, sicut Adam et Eva virgines fuerunt causa perditionis et mortis, ita Christus et Maria virgines sunt nobis causa salutis et vitae : ita Irenaeus, adv. haer. III, 21 ; vel eadem via : ita Iustinus, aut eodem ordine quia processui ruinae processus restaurationis correspondet, et « aemula operatione » Deus imaginem suam perditam recuperavit : ita Tertullianus, de carne Ch[i]., 17[1].

Id primum proposuit Iustinus, sed partialiter, iuxta scopum explicandi titulum « Filius Dei » Christo datum « in commentariis apostolorum eius ». Ita in Dialogo cum Tryphone (circ. an. 160), c. 100 :

« Cum eum Filium Dei esse in commentariis apostolorum eius legamus, et Filium dicimus illum et esse intelligimus, ac ante omnes res creatas ex Patre, ipsius virtute et voluntate, prodiisse..., et ex Virgine hominem esse factum, ut *qua via* initium orta a serpente *inobedientia* accepit, *eadem via* et *dissolutionem* acciperet. Eva enim cum *virgo* esset et incorrupta, *sermone serpentis concepto, inobedientiam et mortem peperit.* Maria autem *virgo, cum fidem* et gaudium *percepisset, nuntianti angelo* Gabrieli laetum nuntium, nempe Spiritum Domini in eam superventurum et virtutem Altissimi ei obumbraturum, ideoque et quod nascetur ex ea sanctum esse Filium Dei, *respondit : Fiat mihi secundum verbum tuum. Et ex hac ille genitus est...*, per quem Deus serpentem eique assimilatos angelos et homines profligat ; eos autem *qui prave factorum poenitentiam agunt et in eum credunt, a morte liberat* ».

Ubi non concludit : Maria peperit obedientiam et vitam, sicut perfectio parallelismi postulasset, sed, iuxta scopum suum, de ipso Christo conclusio annuntianda erat, de quo sermo erat cum Tryphone, scil. quod a Maria genitus, serpentem profligat et homines in eum credentes a morte liberat.

Clarius in opere Adversus haereses (ante finem saec. II),

1. Vide praesertim Lebon, *L'Apostolicité de la doctrine de la médiation mariale*, in *Rech. de Th. Anc. et Médiévale*, 1930.

S. Irenaeus, — a Polycarpo eruditus discipulo Ioannis, — eamdem doctrinam proponit ac in tota sua plenitudine, verisimiliter occasione virginitatis in Christi matre defendendae : ipse oeconomiam salutis ut restaurationem incorruptibilitatis et immortalitatis habet per peccatum amissae (l. III, c. 19), quae fiet lege correspondentiae, per similitudinem et oppositionem, ad opus corruptionis et mortis. Quem processum nomine recapitulationis et recirculationis designat.

Ita in l. III, c. 21-22 : « Secundum repromissionem Dei de ventre David suscitatur rex aeternus, qui *recapitulatur* omnia in se, et antiquam plasmationem in se *recapitulatus est.* Quia quemadmodum per inobedientiam unius hominis introitum peccatum habuit, et per peccatum mors obtinuit ; sic et per *obedientiam* unius hominis iustitia introducta fructificet his, qui olim mortui erant, hominibus. Et quemadmodum protoplastus ille Adam de rudi terra, et *de adhuc virgine* (« nondum enim pluerat Deus, et homo non erat operatus terram ») habuit substantiam et plasmatus est manu Dei, id est Verbo Dei (« omnia enim per ipsum facta sunt »), et sumpsit Dominus limum e terra, et plasmavit hominem ; ita *recapitulans* in se Adam, ipse Verbum existens ex Maria, *quae adhuc erat Virgo,* rectae accipiebat generationem Adae *recapitulationis...*

Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem fieri ? Ut non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio quae salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur, servata similitudine...

Consequenter autem et Maria *virgo obediens* invenitur dicens : « Ecce ancilla tua, Domine, fiat mihi secundum verbum tuum ». Eva vero *inobediens :* non obedivit enim, adhuc cum esset *virgo.* Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc existens... *inobediens* facta, et sibi, et universo generi humano *causa facta est mortis :* sic et Maria habens praedestinatum virum, et tamen *virgo, obediens,* et sibi, et universo generi humano *causa facta est salutis.* Et propter hoc lex eam (i. e. Evam), quae desponsata erat viro, licet virgo sit adhuc, uxorem eius qui desponsaverat, vocat ; eam quae est a Maria in Evam *recirculationem* significans ; quia non aliter quod colligatum est solveretur, nisi ipsae compagines alligationis reflectantur retrorsum, ut primae coniunctiones solvantur per secundas, secundae rursus liberent primas... Sic autem et Evae *inobedientiae* nodus solutionem accepit per *obedientiam* Mariae. Quod autem alligavit *virgo* Eva *per incredulitatem,* hoc *virgo* Maria solvit *per fidem* ».

Similiter l. V, c. 19 : « Manifeste itaque in sua propria venientem Dominum, et sua propria eum baiulante conditione, quae baiulabatur ab ipso, et *recapitulationem* eius, quae in ligno fuit *inobedientiae,* per eam quae in ligno est *obedientiam,* facientem, et seductionem illam solutam, qua seducta est male illa, quae iam viro destinata erat *virgo* Eva, per veritatem evangelizata est bene ab angelo iam sub viro *Virgo* Maria. Quemadmodum enim illa *per angeli sermonem seducta est,* ut effugeret Deum, *praevaricata verbum eius ;* ita et haec *per angelicum sermonem evangelizata* est, ut portaret Deum, *obediens eius verbo.* Et si ea *inobedierat* Deo ; sed haec *suasa est obedire* Deo, ut virginis Evae Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, *salvatur per Virginem :* aequa lance disposita *virginalis inobedientia,* per *virginalem obedientiam.* Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbae simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quae allegati eramus morti [1] ».

Ubi non solum exhibetur recapitulatio Adae in Christo, et recirculatio a Maria in Evam, sed etiam coniuncta actio salvifica Christi et Mariae, et quidem ita ut Maria activas partes habuerit in totum opus salutis, non tantum indirecte, physice gignendo Christum, sed moraliter et directe influendo, et vere sit cum Christo unum totale principium vitae ac causa salutis, sicut Eva fuit cum Adam coprincipium perditionis et mortis [2].

Brevius denique Tertullianus, contra Docetas scribens (circa 210-212), eamdem doctrinam exponit in libro de carne Christi, c. 17. Ubi declarat virginalem conceptum ingredi divinam dispositionem seu oeconomiam ad reparationem hominis, eamque fieri quadam aemula opera-

1. Eadem doctrina invenitur in altero opere Irenaei mere catechetico, in quo breviter exponit ea quae fideles credere debent : *Epideixis* seu *Demonstratio apostolicae praedicationis,* cuius versionem armenam recentius inventam transtulit S. WEBER, Friburgi i Br., 1917 ; in quo inter alia dicit : « Et quomodo *per virginem* quae *non obediebat,* percussus est homo et lapsus *mortuus* est, eo modo et *per Virginem,* quae *obedivit verbo Dei,* in rursus excitato homine *vita accepit vitam.* Nam venit Dominus, ut perditam ovem rursus quaereret : et perditus erat homo. Et propter hoc alia creatura aliqua non factus est, sed ab eadem quae ab Adam genus habebat, similitudinem creaturae servavit ; nam necesse et dignum erat, rursus perficere Adam in Christo, ut submersum absorberetur mortale ad immortalitatem, et Evam (perficere) in Maria : ut Virgo, virginis advocata facta, solveret et destrueret virgineam inobedientiam per virgineum obsequium », n. 33.

2. Idem parallelismus inter Evam et Mariam invenitur in ultima parte *Epistolae ad Diognetum,* XII, 8, cuius auctor videtur scripsisse in fine saec. II aut initio saec. III.

tione, qua eodem ordine et modo quo vincebat daemon vinceretur, et quo homo damnationem incurrebat, prodesset ipsi ad salutem.

« Nove nasci debebat novae nativitatis dedicator... Haec est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo; in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis suscepta, sine semine antiquo, ut illam novo semine, id est, spiritaliter reformaret exclusis antiquitatis sordibus, expiatam. Sed tota nativitas ista, sicut et in omnibus, de veteri figura est, *rationali per virginem dispositione Domino nascente...*
Sed et hic ratio defendit quod Deus imaginem et similitudinem suam, a diabolo captam *aemula operatione* recuperavit. In virginem adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis; in virginem aeque introducendum erat Dei Verbum extructorium vitae : *ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem.* Crediderat Eva serpenti : credidit Maria Gabrieli. *Quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit...* Inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis, quo homo iam damnatus intraverat ».

Itaque ad alteram partem saeculi II, doctrina parallelismi invenitur proposita a Iustino, Irenaeo, Tertulliano, qui exhibent doctrinam vigentem in Ecclesiis Asiae, Galliae, Africae, et in ipsa Ecclesia Romana, uno verbo in fere universali Ecclesia huius temporis. Quam doctrinam non excogitaverunt personali speculatione, sed tradunt eam ut testes communis et notissimi sensûs Ecclesiae et agnoscunt traditionalem eius indolem; adversus haereticos scribentes, fidem christianorum explicantes de Filio Dei, imo etiam, in opere non polemico sed catechetico, concinne tradentes ea quae fideles credere debebant. Ergo in altera parte saeculi II, ista doctrina erat universaliter recepta. Et cum antea, in re tanti momenti ac ipsum dogma Redemptionis, novitas introduci absque vehementi contradictione et resistentia non posset, tempore quo ipsi discipuli immediati apostolorum vel et quidem apostoli adhuc vivebant, hinc ad primitivas in christianismo et apostolicas traditiones pertinuisse affirmandum est.

Antiqua traditio, saeculis subsequentibus, absque contradictione est retenta et universim affirmata, postea vero in scientia theologica invenitur magis evoluta, sub variis aspectibus considerata et in particulares conclusiones

derivata per medium aevum usque ad moderna tempora.

Ita Origenes, *Hom.* 8 *in Luc.*; Cyrillus Hier., *Cat.* XII, 5, 15; Ephraem Syr. (ed. Assemani, t. II, syr. lat., p. 318-329; ed. Lamy, t. I, p. 593; t. II, p. 524); Epiphanius, *Panarion*, haer. LXXXIII, 18; ps.-Epiphanius, *Hom. de Laudibus S. M. Deiparae;* ps.-Gregorius Thaum. *Serm. in Nativ. Christi*, 23; Moyses Chor., *Laudes et Hymni*, p. 54; ps.-Athanasius, *Serm. in Ann. S. Deip.*, n. 13-14; Chrysostomus (?), *Hom. in Pasch.*, n. 2; Proclus, *Or.* 1 *de Laud. S. M.*; Zeno Veron., *Serm.*, l. I, tr. II, n. 9; Hieronymus, *Ep.* 22 *ad Eustoch.*, n. 21; Ambrosius, *Ep.* 63 *ad Eccl. Vercel.*, n. 33; Augustinus, *De agone Christiano*, 22; Severianus, *De mundi creatione;* Nilus, *Ep.* 266; Basilius Sel. *Or.* 3, n. 4; *Or.* 39, n. 5; Antipater Bostr., *Hom. in S. Deip. Ann.*; Eusebius Alex. (P. G. LXXXVI, 39); Nestorius (Loofs, *Nestoriana*, p. 255 et 348); Petrus Chrys., *Serm.* 64, 74, 77, 77, 99, 140, 142, 146; Theodotus Anc., *Hom.* 6, *in S. Deip. et Nat. D.*; Theodorus Stud., *Or.* 6 *in S. Deip. Dorm.*; Sophronius, *Or.* 2 *in S. Deip. Ann.*; Andreas Cret., *Hom. in Nat. B. M.*, *Or.* 12 *in Dorm.*; Germanus Const., *Hom.* 2 *in Dorm.*; Ioannes Dam., *Hom.* 1 *in Dorm.*; Ioannes Eub., *Serm. in Conc. Deip.*, n. 21; Tarasius, *Or. in S. Deip. Praes.*, 8, 9; Fulbertus, *Serm.* 9 *de Ann.*; Petrus Dam.(?), *Serm.* 11, 40, 45, 46; Anselmus, *Or.* 51 et 52 (al. 50 et 51); Bernardus, *Serm. in Dom. infra Oct. Ass.*; *in Nat. B. V. de Aquaeductu;* 12 *Praer.*; Petrus Bles., *Serm.* 34 *in Ass. B. V.*; Hugo a S. Charo, *Postillae*, in Luc. I, 26-28; Richardus a S. Laurentio, *De Laud. B. M.*, l. I, c. 1; Albertus Magnus, *Mariale*, q. 29, § 3; S. Bonaventura, *De donis Sp. Si*, coll. 6, n. 16; *Serm.* 3 *de Ass. B. M. V.*; S. Thomas, opusc. VI, *Exp. Sal. Ang.*

Conclusio. Haec igitur doctrina est in protoevangelio fundata, in schola Ioannis proposita, ex doctrina Apostoli non occasione Evangelii adinventa sed ex Evangelio suscepta tamquam dogmatici indolis ad thesaurum fidei pertinens, atque aliis tradita et in traditione servata usque ad perfectam evolutionem in theologis scholasticis magni nominis. Nunc autem ultimis annis, qua talis rursus invenitur accuratius, disertius ac instantius, etiam in documentis pontificiis, praedicata. Quare vere prodiit tamquam traditio apostolica et divina.

38. Corollaria. — 1º In parallelismo inter ordinem lapsus et ordinem restaurationis, aemula operatione Deus significat se reparaturum esse ordinem salutis, suscitando mulierem, scil.

B. Virginem Mariam, quae sub ductu ipsius inserviat ad destruendam ditionem diaboli, sicut Eva inservierat ad illam fundandam (Is. VII, 14; Mich. V, 1).

2° Hinc B. Virgo pertinet ad *substantiam* religionis *christianae*, seu religionis redemptorum, qua religamur Deo per Christum mediatorem : propter suum indissolubilem nexum et essentialem connexionem cum mysteriis Incarnationis et Redemptionis.

3° Nam operatio eius est pars *integralis* Redemptionis, qualis a Deo est volita.

4° Eva est figura et typus Mariae, tum per oppositionem in suo lapsu, quatenus fuit principium inobedientiae, perditionis et mortis, dum Maria est principium obedientiae et salutis, — tum per similitudinem post suam conversionem, et ut Adae coniux, adiutorium simile sibi (Gen. II, 18) et mater cunctorum viventium (Gen. III, 20), quatenus cum Adam est principium vitae naturalis, dum Maria cum Christo est principium vitae supernaturalis.

5° Maria, quae est mater Christi, non solum hominis sed et Dei secundum vitam humanam naturalem, recte dicitur, ut causa redemptionis nostrae, *sponsa Christi*, et quidem duplici sensu :

a) Est sponsa *Christi hominis* et *redemptoris*, seu quantum ad vitam supernaturalem divinae gratiae nobis communicandam, in quo est adiutorium Christi, sicut Eva data fuit in adiutorium Adae (Gen. II, 18).

b) Est sponsa *Christi Dei*, scil. *Verbi incarnati:* ipse enim advenit in terris ut mysticum connubium iniret cum natura humana et eam sibi copularet matrimonio; quod in sinu B. Virginis celebratum fuit et perfectum, cui ipsa consensit, consensu praestito loco totius generis humani. Nam, ut habet S. Thomas, III, q. 30, a. 1 : « Ad quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam... expetabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae ».

Hinc vinculo arctissimo amoris est Christo consociata, et in opere Redemptionis. Cfr. III Sent., a. 3, q. 3, a. 1, sol. 1.

6° Consensus fuit praestitus a Maria ope supernaturalis gratiae : est enim assensus fidei in dicta Angeli nomine Dei, et consensus charitatis in propositum finem, restaurationem supernaturalem et salutem generis humani.

7° Nova Eva est verum principium et causa, licet secundaria salutis, quia vere cooperata est Christo ad salutem, ita ut sit coprincipium et concausa salutis, et Christus cum Maria sit unum principium totale restaurationis generis humani, quatenus ipsa est sponsa et consocia Christi, adiutrix Christi, et mater viventium. Hinc Maria :

a) non solum debet dici conditio aut initium salutis sed causa et principium ;

b) non solum actionem habet erga personam Redemptoris, sed respectum ad redemptionem, actionem scil. directam in redemptos, quamvis mediante Redemptore, seu cum Christo et per Christum ;

c) non solum cooperata est ad adventum Christi, sed vere cooperata est ad opus salutis cum Christo.

8° Maria, quia mater et adiutrix Christi Redemptoris, novas relationes cum tribus personis SS. Trinitatis acquisivit sibi et nobis.

Ipsa scil. specialiter redempta fuit a Filio suo : dum alii a peccatis redimuntur, ipsa ab omni peccato fuit praeservata, in perpetuum inimica diaboli.

Nobis a) in redemptionem et salutem, *una cum Patre providente*, dedit Filium, quem in hunc finem dedit et tradidit Pater, imo Pater dedit Filium per Mariam ;

b) *cum Filio redemptore* cooperata est operi redemptionis nostrae, merendo quoque, satisfaciendo et reparando imperfecte, quod ipse perfectissime et superabundanter praestitit ;

c) *cum Spiritu sancto sanctificatore* cooperatur sanctificationi nostrae, protegendo nos contra daemones, et participando gratiarum largitioni quas pro nobis petit et nomine Redemptoris partitur.

Qui omnes tituli in titulo Novae Evae continentur tamquam in germine, ut postea fusius ostendemus.

39. Animadversio. — Tota Mariologia non innititur duobus principiis irreductibilibus, sed fundatur in uno principio fundamentali : *Maria est mater Dei-Redemptoris qua talis*. Doctrina enim de Nova Eva reducitur ad illam de matre Redemptoris formaliter spectata, quam praesupponit, ex qua derivatur et quam evolvit. Maria quidem in haec duo consensit : fieri matrem Dei et fieri consociam Redemptoris ; sed in haec duo consensit per modum unius, quia hoc modo ab angelo fuerunt ipsi proposita : esse scil. matrem Dei-Redemptoris qua talis. Mariologia igitur est scientia una ex unitate proprii obiecti de quo tractat[1].

---

1. Cl. Prof. BITTREMIEUX, licet non neget haec quodammodo reduci posse ad unum, praefert tamen insistere in dualitate : cfr. *De supremo principio Mariologiae*, in *E. Th. L.*, 1931 ; et *Marialia*, I et VI, 3. Ait :

Itaque : a) Ne dicatur fundari in sola doctrina Novae Evae, ad exclusionem maternitatis divinae, quia doctrina de socia Redemptoris necessario praesupponit divinam eius maternitatem : est quidem socia, quia mater Dei.

b) Quod alii ponunt fundamentum, maternitatem divinam, non quidem in abstracto, sed in concreto spectatam, hoc idem est ac maternitatem Dei-Redemptoris qua talis ; at isto modo clarius, explicitius et formalius dicitur.

c) Item qui fundamentale habent matrem *et* sponsam Verbi incarnati : est enim sponsa et socia Verbi, ad nos redimendum incarnati, in quantum est mater eius.

d) Et similiter dicendum de illis qui primum principium ponunt, maternitatem divinam *et* maternitatem spiritualem erga nos : non enim est Maria mater nostra, nisi quia et in quantum est mater Dei-Redemptoris qua talis.

1° Sunt duo conceptus distincti, et unus non est alius : mater Dei, et mater vel socia Redemptoris. Ergo pariter duo sunt principia.
Resp. Sunt distincti conceptus, non tamen sunt disparati, cum alter in altero fundetur. Ergo reducuntur ad unum principium : duo scil. sunt cohaerentia ita ut unum ab altero derivetur. Nam eo ipso quod Maria voluntarie consensit in esse matrem Dei Redemptoris, eo ipso est consociata operi redemptionis.

2° Quod mater Dei sit formaliter mater ac socia Redemptoris est de convenientia tantum, non necessarium nec proinde fundamentum sufficiens doctrinae marianae.

Resp. a) In contingentibus quae pendent a libera voluntate Dei, qualia plura sunt supernaturalia et pertinentia ad scientiam theologicam, sufficit nexus convenientiae, secundum quem ad invicem ordinantur divina providentia secundum ordinationem electionis divinae ; nec semper possibilis est nexus maior.

b) In casu tamen praesenti plus est quam convenientiae, nam adest *connaturalitas*. Posito quod Maria sit mater Dei-Redemptoris qua talis, eo ipso connaturaliter est socia, et connaturale est quod munus consociationis ipsi in perpetuum continuetur : ita dato quod Deus providentia sua omnia ordinet conformiter ad naturam rerum.
Hinc unius principii : Maria est mater Dei-Redemptoris qua talis, tota Mariologia non est nisi connaturalis evolutio, ut toto eius decursu patebit.

3° Sicut duo sunt aspectus in Christo : Verbum incarnatum et Redemptor, et consequenter doctrina de Christo complectitur duos tractatus diversos : de Incarnatione et de Redemptione, ita et in Maria sunt duo aspectus diversi : Mater Dei et Socia Redemptoris.
Resp. Etiam diversi aspectus qui in Verbo incarnato considerantur ad unum rediguntur, quia incarnatio non fuit ab aeterno decreta, nec in ordine concreto realitatis existit, nisi ut redemptiva, sicut exponunt thomistae ubi de motivo incarnationis ; et ideo etiam doctrina de Christo reducenda est ad unitatem. Et simili modo de B. Virgine Maria.

B. DE MATRE DEI IN AETERNA DEI ELECTIONE ET PRAEDESTINATIONE.

QUAESTIO UNICA.

DE PRAEDESTINATIONE EMINENTI MATRIS DEI.

40. Electio et praedestinatio Mariae. — Providentia est ratio ordinis rerum in finem in mente divina existens [1] ; specialis autem illa quae habetur erga electos providentia quoad dona supernaturalia, qua scil. ipsi ita ducuntur ut ad ea de facto perveniant, *praedestinatio* vocari solet [2]. Omnia scil. quae in tempore ordinantur in finem, ab aeterno intellectu praecogitata, volita et statuta a Deo fuerunt ; et *dilectio*, *electio* et *ordinatio* specialis habetur pro iis qui ita diriguntur in finem supernaturalem, ut ab eo excidere non permittantur. Ad quod, ob peccatum originale, specialis adest necessitas [3].

Ab aeterno itaque Maria Deo fuit obiectum specialis cogitationis divinae, praedilectionis suae voluntatis, et praedestinationis sui intellectûs, et ideo ab initio historiae et decursu temporum annuntiatur Patribus, Patriarchis et Prophetis.

« Ineffabilis Deus..., ait Pius IX, in bulla dogmatica de immaculata conceptione, 8 dec. 1854, ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo, matrem ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, *elegit*, atque *ordinavit*, tantoque *prae creaturis* universis *est prosecutus amore*, ut in illa una sibi *propensissima voluntate complacuerit* ».

De hac Mariae electione et praedestinatione agitur in praesenti, quae differt a praedestinatione nostra et quidem tripliciter :

a) *gradu*, quia praedestinata est ad plenitudinem gratiae

---

1. S. Thomas, I, q. 22, a. 1.
2. Ib., q. 23, a. 1.
3. Ib., a. 4.

et gloriae, longe maioris ac omnes angeli et sancti, ac proinde maioribus meritis et privilegiis ornata ;

b) etiam *specie et ordine*, et non solum gradu, quia sola destinata fuit ad dignitatem, omni gratia gloriaque ordine superiorem, scil. ad maternitatem divinam ; unde Patres dicunt fuisse praeparatam a Deo tamquam vas electionis ;

c) *anterioritate* seu *prioritate*, quia ante omnes alios praedestinata una cum Filio suo Redemptore, ut exemplar et finis praedestinatorum. Unde verba, quae in Scriptura de aeterna sapientia dicuntur, ab Ecclesia Mariae fuerunt per accommodationem applicata, vel potius per legitimam extensionem, cum sit opus in quo maxime reluceat divina sapientia : ita nimirum ut exinde fidelibus explicaret electionem ac praedestinationem B. Virginis :

« Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constiterant : ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos, aderam ; quando certa lege et gyro vallabat abyssos ; quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum ; quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos ; quando appendebat fundamenta terrae ; cum eo eram cuncta componens. Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum ; et deliciae meae esse cum filiis hominum... Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Qui autem in me peccaverit, laedet animam suam ; omnes qui me oderunt diligunt mortem » Prov. VIII, 22-31 ; 35-36. Similia habentur Eccli. XXIV, 15-16 ; Sap. VII, 22-30.

Quibus Ecclesia intendit : sicut Sapientia aeterna anterior est omnibus creaturis, ita Maria anterior aliis quae in conceptione intellectûs divini fuit prima ante omnes creaturas, tamquam primum obiectum creatum divinae cogitationis et dilectionis, quatenus ratione prius cogitavit et statuit facere Christum et B. Matrem, et postea de aliis quae omnia creata fuerunt in gloriam Christi et sui Matris. Omnia scil. facta sunt propter electos, electi propter gloriam B. Virginis, B. Virgo propter Christum, Christus propter Deum [1].

Hinc quaeritur de *ordine* et relatione, quae in divina ordinatione et praedestinatione intercedunt inter gloriam beatitudinis et maternitatem divinam, prout ab aeterno fuit praeparata, et varia elementa quibus in ordine temporali haec beatitudo gloriae, ac maternitas divina, de facto est connexa.

Et quidem de triplici quaeritur puncto :

1° an praedestinata fuerit mater Dei occasione peccati originalis, ita quod istud habeat anterioritatem, et praedestinatio matris Dei necessario a peccato originali dependeat ut a conditione sine qua non ; — aut e contra Deus etiam sine peccato originali eam praedestinasset ;

2° an gratuito praedestinata fuerit ut mater Dei ; — aut e contra ex praevisis meritis, vel quia praedestinata fuerit ad gratiam et gloriam ;

3° an gratuito praedestinata fuerit ad plenitudinem gratiae et gloriae ; — aut e contra propter merita praevisa.

41. Vera causa praedestinationis matris Dei est incarnatio Verbi occasione peccati originalis decreta. — Ad primum scil. punctum respondemus : *vera causa* praedestinationis B. Virginis ad maternitatem divinam est ipsa incarnatio Verbi, quam Deus statuit fieri per Mariam. At quaerunt theologi an causa *occasionem* habeat ex peccato originali, vel e contra, an Christus, Adam non peccante, etiam tunc venisset cum matre Dei. Quae quaestio duplici sensu intelligi potest :

1. Cfr. CAMPANA, o. c., l. I, p. 1, q. 11, § V. — Exinde intelligitur modus loquendi quorumdam auctorum, qui primo aspectu videretur exaggeratus, imo intolerabilis. Ita v. g. BERNARDUS, *Serm. III in Psalm.* : « Ut breviter concludam, de hac et ob hanc et propter hanc, nempe Mariam, omnis Scriptura facta est ; propter hanc totus mundus factus est ». Et BERNARDINUS SEN., t. I, *Serm.* 65, a. 1, c. 2 : « Adam et Eva ex propria transgressione, non solum mortis, sed annihilationis exterminium meruerunt, sed propter praecipuam reverentiam et singularissimam dilectionem, quam habebat ad Virginem, praeservavit, quia eam ab aeterno super omnes creaturas Deo non uniendas quae creandae erant, superexcessive dilexit, propterea praeservati sunt prolapsi, nec ut merebantur in nihilum sunt redacti ». His tantum significatur intima unio Mariae cum suo Filio, ob quae reliqua omnia fuerunt condita.

a) Si Deus alium mundum a praesenti diversum creare voluisset, an in ista hypothesi, secundum providentiam tunc habendam, decrevisset incarnationem? Quae quaestio ridicula est, nec a theologis ponitur, utpote respiciens meram hypothesim, ac proinde est prorsus insolubilis.

b) Secundum decreta existentia et actualem dispositionem providentiae nunc habitae, an Deus voluit etiam incarnari in Maria, si Adam non peccasset? Cui respondet S. Thomas negative ; Scotus vero et Suarez affirmative, ita ut duplex motivum sit incarnationis, et uno deficiente, aliud adhuc valeret. At in documentis revelationis numquam indicatur duplex motivum, sed nonnisi unum, scil. redemptio hominum[1]. Unde altera sententia est gratuita et in nullo fundatur.

Arguunt : 1° Ex eo quod omnia privilegia concedenda sunt B. Virgini.

Sed hoc principium valet tantummodo pro hypothesi iam decretae incarnationis ex matre : fundatur in dignitate matris Dei *habita*, quae titulus est ad cuncta privilegia ; sed non potest inservire ad determinandum quod, aut in quonam casu, incarnatio et divina maternitas debeant fieri.

2° Etiam ex eo quod B. Virgo una cum Christo est finis totius creationis. Sed finis est primus in intentione et a ceteris pendere non potest. Ergo Christus et B. Virgo non possunt pendere a creatione aut a peccato, ac proinde independenter a peccato originali sunt a Deo praedestinati. Insuper imperfectum ordinandum est ad perfectum,

1. Ita quoque et in ipsa bulla quae definit immaculatam conceptionem : « Ineffabilis Deus... cum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur, ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo matrem ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit... » Circa quae animadvertit L. JANSSENS, o. c., de Praed. B. M. V., p. 16, n. 4 : « Modus quo hic loquitur Pius IX, sane potius favet sententiae quam S. Thomas amplectitur quoad relationem existentem inter Incarnationis et Redemptionis sacramentum. Tenacior Scotista potius ordinem periodi invertere deberet, ac dicere v. g. : Ineffabilis Deus... cum ab omni aeternitate divinam naturam in Filio humanae naturae coniungendam statuerit... »

non e contra ; imo inordinatum est perfectum velle propter imperfectum, ut Christum et B. Virginem ad genus humanum lapsum reparandum.

Resp. Christus ut incarnandus et B. Virgo ut Christum generans non est finis, sed Christus una cum B. Virgine glorificandus. Ceterum finis in intentione non potest pendere ab aliis, sed in executione ab aliis pendere potest ut a conditione, vel a causa materiali et dispositiva, aut a causa efficiente. Causae sunt sibi invicem causae et sub diverso respectu sibi praecedunt. Sic causa finalis ut finalis simpliciter praecedit ut in intentione movens, sed efficiens eam praecedit in genere efficientiae ; pariter forma praecedit materiam in ratione causae formalis, sed altera praecedit ipsam secundum ordinem causae materialis et dispositivae. Ergo nihil prohibet quominus Christus et B. Virgo sint causa finalis, formalis et efficiens in genere nostrae salutis, et nihilominus dependeant a nobis et a nostro peccato ut a conditione, et a causa materiali et dispositiva. Nec inordinatum est perfectum referre ad imperfectum, ut tamquam ad perfectibile et ad finem proximum a perfecto perficiendum ; dummodo imperfectum, referatur ad perfectum, ut ad sui perfectivum et finem ultimum. Finis proximus est reparatio generis humani lapsi, perficienda a Christo, sed ultimus est Christus una cum B. Virgine omnium perfectivus glorificandus, ac ipsa gloria Dei.

Nec dicas : Si Christus et B. Virgo sunt propter nos et nostram salutem, Deus plus diligit nos quam Christum. Id verum esset si Christus una cum matre esset propter nos ut finem ultimum Christi perfectivum, non autem si propter nos ut finem proximum, ab ipso Christo una cum matre perficiendum. Nam plus diligit causam perfectivam et fontem perfectionis, quam perficiendos et ipsius perfectionis participes.

Ad illud intelligendum non sunt decreta divina, ut quibusdam visum fuerit, multiplicanda. Videns enim Deus omnes ordines providentiae possibiles, tum ordinem naturae lapsae, tum ordinem iustitiae originalis dum Adam perseveraret in bono, tum ordinem naturae lapsae in quo homo sibi relictus fuisset, tum ordinem reparationis per Christum, videns quoque in hac

oeconomia plures ordines possibiles in quibus tales vel tales, hi vel illi, aut alii et alii, vel et plures aut pauciores salvarentur prae aliis damnatis, uno actu et uno eodem decreto, Deus decrevit mundum, permisit peccatum, et voluit Christum una cum matre sua, a quo omnes salvari possunt, sed de facto hi prae aliis salvantur, et voluit illa omnia propter gloriam suae infinitae misericordiae ita manifestandam, et gloriam Redemptoris una cum matre sua tamquam propter maius bonum exinde procurandum. Et ita, licet Christus cum matre sua pendeat a peccato et redemptione generis humani tamquam a conditione et a causa materiali perficienda, et in hoc genere peccatum praecedat, redemptio tamen pendet a Christo tamquam a fine et a perficiente, et in hoc genere causae finalis et perficientis, praecedit Christus una cum matre ipsam redemptionem, et propter ipsum Christum ut propter maius bonum permissum est peccatum : ita ut haec dependeant ab invicem in diverso genere et sub diverso respectu[1].

42. **Praedestinatio B. Virginis ad divinam maternitatem est omnino gratuita.** — Ad alterum punctum, theologi qui ut principium ponunt ordinem praedestinationis esse eundem ac ordinem executionis, debent logice et consequenter docere Mariam prius esse praedestinatam ad gratiam et tunc ad maternitatem divinam, ac proinde hanc ultimam praedestinationem dependere a praevisis meritis vel saltem a dispositionibus B. Virginis ; atque nullam existere differentiam ordinis cum praedestinatione nostra. — Attamen, ut animadvertit L. Janssens : « Ordo praedestinationis non sequitur necessario ordinem connexionis ». Et quidem :

A. Certissime *prius* fuit B. Virgo praedestinata ut esset mater Dei, et consequenter ad cumulum gratiarum et plenitudinem gratiae et gloriae quibus dotata fuit[2].

1. Cfr. GARRIGOU-LAGRANGE, *Motivum incarnationis fuit motivum misericordiae*, et *Causae ad invicem sunt causae*, in *Angelicum*, respective 1930 et 1932.

2. Quod etiam tenet SUAREZ, in III^{m}, *De mysteriis Christi*, disp. 1, sect. 3, n. 3 : « Dicitur B. Virginem, nostro modo intelligendi, prius secundum rationem praedestinatam esse et electam ut esset Mater Dei, quam ad tantam gratiam et gloriam... Ideo enim B. Virgo praedestinata est ad tantam gratiam et gloriam, quia electa est in Matrem Dei. Ordo enim executionis manifestat ordinem intentionis. Sed in re ipsa tanta gratia et gloria data est B. Virgini, ut esset ita disposita, sicut matrem Dei decebat. Ergo ita fuit electa ad tantam gratiam et gloriam, quia in Dei matrem erat praeelecta ». Vide etiam disp. 3, sect. 3.

Maternitas enim divina est radix et ratio omnium eius privilegiorum. Unde ipsius praedestinatio est ordinis diversi et superioris ac nostra, et accedit ad praedestinationem ipsius Verbi incarnati. Ita docet indubie Pius IX in Bulla *Ineffabilis Deus*, postquam dixerit Deum, ab aeterno, Filio suo incarnando matrem elegisse atque praeordinasse et prae omnibus ceteris creaturis dilexisse :

« *Quapropter* illam ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos, coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta, eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam, praeter Deum, nemo assequi cogitando potest ».

B. Praedestinatio maternitatis divinae est *gratuita*, quia maternitas divina est super omne meritum, et dispositionem nostram. Maternitatem divinam scil. sicut et incarnationem seu unionem hypostaticam nullus mereri potest :

1° Non *stricte*, i. e. *de condigno*, seu ex iustitia, quia dignitas matris Dei est ordinis superioris ac natura et gratia, et improportionaliter utramque transcendit; unde ad eam non habent proportionem[1].

2° Nec *etiam* ex aequitate *de congruo*, quia principium meriti non cadit sub merito, secus esset simul causa meriti et effectus ; ipsa autem incarnatio est causa omnis gratiae et radix omnis meriti ; ergo incarnatio non cadit sub merito[2], nec proinde divina maternitas quae est prin-

1. Dicit S. THOMAS, III, q. 2, a. 11, de unione hypostatica incarnationis : « Neque etiam opera alterius cuiuscumque hominis potuerunt esse meritoria huius unionis ex condigno..., quia opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, quae est virtutis praemium, et consistit in plena Dei fruitione. Unio autem incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit unionem beatae mentis ad Deum quae est per actum fruentis ; et ideo non potest cadere sub merito ». Sed haec ratio valet etiam de divina maternitate, quae pertinet ad ordinem unionis hypostaticae et terminatur ad ipsum esse personale Filii Dei.

2. « Quia gratia non potest cadere sub merito : principium enim meriti non cadit sub merito, et ideo nec ipsa gratia, quia est merendi principium. Unde multo minus incarnatio cadit sub merito, quae est principium gratiae » Ibidem. Hinc in III Sent., d. 4, q. 3, a. 1, scribit : « Unde nullo modo potest incarnatio cadere sub merito, nisi *large* (seu

cipium (in fieri) incarnationis. Unde nec ipse Christus nec B. Virgo eam mereri poterant ; quare Lc. I, 48, dicitur quod Deus *respexit humilitatem*, i. e. conditionem humilem *ancillae suae*.

Hinc a) B. Virgo, in ordine intentionis divinae, gratis electa et praedestinata fuit ut esset mater Dei, quia ante omnia alia intendit Deus Christum oriturum ex filia Adae, quam omnino sanctissimam faceret ; et ita est dicendum, etiamsi praedestinatio ad gloriam esset ex praevisis meritis gratiae.

b) Circumstantiae intrinsecae incarnationis et maternitatis divinae, quae scil. pertinent ad substantiam ipsarum, aut eas necessario comitantur, non cadunt sub merito, cum meritum ab ipsis pendeat, ut v. g. quod Christus sit conceptus de Spiritu sancto, natus ex B. Virgine Maria ; — e contra circumstantiae extrinsecae quae non influunt in esse incarnationis nec necessario eam comitantur, v. g. praedictio prophetarum, annuntiatio, virginitas matris, acceleratio aut adventus incarnationis, concursus angelorum, pastorum, magorum, etc. ;

c) B. Virgo potuit tamen, in ordine executionis, aliquo modo, se praeparare ad maternitatem divinam, et mereri, non ipsam incarnationem vel maternitatem, sed ut incarnatio per eam fieret [1] ; sicut etiam desiderando et petendo adventum incarnationis fervidis orationibus, congruum erat ut Deus eam exaudiret, eodem modo ac exaudivit Patriarchas et Prophetas V. Legis [2]. Potuit scil. mereri de condigno illum puritatis et sanctitatis gradum ut congrue posset esse mater Dei et digna esset mater, imo dignior esset prae aliis. Consentiendo gratiae et cooperando meruit magnam sanctitatem de condigno, et haec sanctitas meruit de congruo ut incarnatio per eam fieret, in quantum decebat quod mater Dei esset purissima et perfectissima virgo. Hinc ait Elisabeth, Lc. I, 45 : *Beata quae credidisti ;* et Ecclesia cantat : *Regina coeli... quem meruisti portare ;* et : *per quam meruimus auctorem vitae suscipere* [3].

---

improprie) meritum dicamus praeparationem ad aliquod habendum quod praeesset in humano genere ».

1. « B. Virgo non meruit incarnationem, sed praesupposita incarnatione meruit quod per eam fieret, non quidem merito condigni sed merito congrui » S. THOMAS, in III Sent., d. 4, q. 3, a. 1, ad 6.

2. De Patribus dicit S. THOMAS, in III Sent., d. 4, q. 3, a. 1, ad 4 : « ipsi non petebant incarnationem, quam indubitanter credebant futuram, sed petebant accelerationem eius ». Hinc ait in Summa, III, q. 2, a. 11 : « ex congruo meruerunt Sancti Patres incarnationem, *desiderando et petendo* (scil. quod celerius fieret et iis adveniret) : congruum enim erat ut Deus exaudiret eos qui ei obediebant ».

3. « B. Virgo dicitur *meruisse portare Dominum...*, quia meruit, ex gratia sibi data, illum puritatis et sanctitatis gradum ut congrue posset esse mater Dei » S. THOMAS, III, q. 2, a. 11, ad 3 ; seu, ut dicitur in

43. Praedestinatio B. Virginis ad gloriam et gratiam est quoque gratuita. — Ad tertium punctum, solent theologi applicare sua propria principia de praedestinatione ad gloriam, quam alii cum S. Augustino et S. Thomas habent omnino gratuitam, alii vero ex praevisis meritis. At etiam, in istorum sententia, exceptio videtur facienda pro B. Virgine, ita ut theoria generalis non possit applicari Mariae, et eius praedestinatio ad gloriam debeat dici gratuita. Divina enim maternitas, morali necessitate, et ex dispositione divinae providentiae certissime de facto, connexam habet plenitudinem gratiae et cumulum gratiarum, quae ad gloriam perducent, et plenitudinem gloriae, ita ut Deus non potuerit nec voluerit permittere matrem suam excidere a gloria coelesti, sed omnibus mediis decreverit eam ducere ad salutem. Atqui B. Virgo praedestinata fuit ad maternitatem divinam antecedenter ad gratiam et propter nulla merita praevisa, sed omnino gratuita, ut dictum est. Ergo pariter ad gloriam. — Et tamen meruit coelum nec obtinuit gratis, sed simul praedestinata est ad illud merendum et meritis obtinendum.

Cum enim sapientissimus ordinator ratione prius intendat finem, deinde decernat media, Deus 1° intendit Christum et gloriam eius ut finem totius universi, 2° voluit B. Virginem ut matrem eius, 3° B. Virginis gloriam, 4° eius gratiam et merita ex gratia obtinenda, quibus perducitur ad gloriam, 5° denique gloriam et gratiam aliorum electorum.

44. Ex speciali praedestinatione Dei fuit B. Virgo a prophetis praenuntiata atque variis typis praefigurata. — Etenim, quia Maria eminentiore modo praedestinata fuit ab aeterno, ideo ex infallibili Dei praescientia, specialiter decursu temporum :

A. *Praenuntiata* fuit expresse

1° ut invincibilis inimica serpentis, de ipso triumphans (Gen. III, 15) ;

III Sent., l. c., ad 6 « in quantum decebat quod mater Dei esset purissima et perfectissima virgo ».

2° ut mater virgo (Is. VII, 14; Mich. V, 3);
3° ut mater fortis circumdans virum (Ier. XXXI, 22).

B. Etiam *praefigurata* fuit, tum a) ob dignitatem suam, tum b) ut homines intelligerent eius relationes cum Filio suo, tum c) quia Vetus Testamentum essentialiter est figura Novi, proinde Maria, una cum Christo, primas partes habet in Vetere sicut in Novo. Praefigurata quidem fuit rebus et personis.

a) *Personis* figurae fuerunt :

1° Eva, tum per oppositionem, tum per similitudinem (Gen. III, 1-20), ut dictum est n. 38, 4°.
2° Sara in partu benedicta (Gen. XVII, 15 sq.), et Anna mater Samuelis prophetae (I Reg. I).
3° Rebecca mater Iacob electi (Gen. XXIV; XXV, 20-34).
4° Rachel matrimonium iniens, et mater Ioseph salvatoris (Gen. XXIX, 18 et XXX, 24).
5° Debora ob victoriam insignem magnificans Deum (Iud. IV, 4 sq.).
6° Iudith in Deo confidens et insigni triumpho populum liberans (XIII, 6 sq.).
7° Esther pro populo intercedens et illum liberans (V, 6-VIII).
8° Maria, soror Moysis, prophetissa, in laudibus Domini exultans (Exod. XV, 20-21).
9° Bethsabee apud filium regem intercedens (III Reg. II, 19-20).
10° Abigaïl, ob prudentiam (I Reg. XXV, 3).
11° Filia Iephte (Iud. XI, 35 sq.).
12° Iahel, ob brachii virtutem (Iud. IV, 18 sq.).
13° Suzanna, ob castam pulchritudinem (Dan. XIII).
14° Mater Macchabaeorum, ob fortitudinem (II Macch. VII).

b) *Rebus* figurae sunt :

1° Eden seu paradisus, in quo Novus Adam habitat (Gen. II sq.).
2° Arca Noe portans spem et a fluctibus salvans (Gen. VI, 14 sq.).
3° Columba nuntia pacis (Gen. VIII, 11).
4° Arcus in nubibus (Gen. IX, 12 sq.).
5° Scala Iacob ad coelum ascendens (Gen. XXVIII, 12 sq.).
6° Rubum ardens (Exod. III, 2 sq.).
7° Virga Aaron (Exod. VII, 12).
8° Aureum vas in quo manna est coelestis (Exod. XVI, 33).

9° Arca foederis in quo lex viva (Exod. XXV, 10 sq.).
10° Candelabrum foederis portans lucem (Exod. XXV, 31 sq.) quae praefigurat Christum.
11° Columna nubis quae noctem illuminabat (Exod. XIII, 21-22) et tabernaculum operiebat (Exod. XL, 32 sq.).
12° Vellis Gedeonis coelesti rore madefacta (Iud. VI, 37-38).
13° Nubes Eliae (III Reg. XVIII, 44).
14° Thuribulum aureum ardens (Exod. XXV, 29; XXXVII, 16; Lev. XVI, 12, 17; Num. XVI, 46; III Reg. VII, 50; I Par. XXVIII, 17; II Par. IV, 22; Hebr. IX, 4).
15° Turris David (Cant. IV, 4).
16° Domus aurea, plena gloria Domini (III Reg. VI et VIII; II Par. III-VII).
17° Thronus Salomonis (II Reg. VII, 13-16; III Reg. I, 47; II, 19; X, 18).
18° Mons Sion, in quo habitat Deus (Ps. LXXXIII, 3; CXXXI, 13).
19° Hortus conclusus, fons signatus (Cant. IV, 12), et porta clausa (Ezech. XLIV, 2).
20° Tabernaculum altissimi (Ps. XLV, 5; XVIII, 6) et templum Dei (III Reg. VI, 21, 35; VII; II Par. III-IV).
21° Scala qua ascenditur ad portam templi (Ezech. XL, 6 sq.), et porta templi quae non aperietur (XLIV, 2-3).
22° Civitas Dei electa, Ierusalem (Ps. LXXXVI, 1-2; III Reg. XI, 13).
23° Sponsa Cantici Canticorum (II, 2; IV, 7; VI, 9).
24° Regina assistens Regi a dextris (Ps. XLIV, 10-14).
25° Mons de quo abscissus est lapis sine manibus (Dan. II, 34).

45. Ex speciali praedestinatione nomine divinitus electo congrue dicitur B. Virgo dotata. — Congruum enim est quod nomen alto muneri et eminenti dignitati matris Dei plene respondeat. Unde, cum munus sit a Deo datum, etiam nomen convenit esse divino consilio praefinitum, tamquam dignitatis expressivum. Quin ideo debeat esse revelatum; sed sufficit quod ex speciali inspiratione atque instinctu divino a parentibus fuerit impositum. Si Deus ipse dederit nomen Abraham, et Israël, et Petrum, a fortiori convenit ut nomen eligat suae dilectae matris, sicut etiam Filio suo incarnando nomen indicavit dandum, dum angelus dixit : *vocabis nomen eius Iesum* (Lc. I, 31; Mt. I, 21).

Ita communiter dicunt. At de significatione nominis Mariae, (hebr. *Miriam*), non consentiunt [1].

Antiquitus tres praesertim traditae sunt significationes a S. Hieronymo[2] : 1° *amara*, seu *mare amarum*, vel *stilla* seu *myrrha maris*, a radice hebraica *mara* (cfr. Exod. XV, 23 et Ruth I, 20) ; 2° *domina*, quem sensum vox habere potest aramaice et syriace ; 3° *illuminatrix* vel *illuminata*, aut etiam *stella maris*[3]. Minus probatur sensus quem S. Ambrosius[4] suggerit : *Deus* (Iahveh) *ex genere meo*. Post renovata studia antiquitatis tempore humanismi, nomen quoque interpretatum fuit : *exaltata*, *excelsa*, *eminens*, *sublimis*.

Recentiore tempore, novae factae sunt coniecturae.

1° Alii ex hebraeo derivant nomen : sive a radice *marah*, *rebellus fuit*, et tunc implicat rebellionem, contumaciam contra daemonem ; — sive a radice *mara'*, *pinguis fuit*, et tunc significat corpulentam, robustam, ac proinde ad mentem Orientalium, venustam, pulchram, gratia plenam, quae sententia adoptatur a Bardenhewer ; — sive a *marar*, *mara*, quod significat *amaritudinem*, *amara* interpretabatur traditio Rabinorum, ita ut Maria sit amaritudine doloris repleta.

2° Alii tradunt etymologiam egyptiacam[5] a verbo *mr*, diligere, et *Iam* loco Iahveh, ita ut in passivo sensus sit : Meri-Iam (Iahveh), *a Deo dilecta*.

3° Alii dicunt parentes Mariae verisimiliter usos fuisse lingua vernacula aramaica, et praeferunt significationem *dominae* quam vox in aramaica lingua habet sicut in syriaca.

4° Van Hoonacker denique suggessit[6] etymologiam a radice *rûm*, cum sensu *desiderare*, sicut arabice habetur ıâma, et inde maram, desiderium ; unde sensus est *desiderata*, sicut Christus est desideratus gentium.

Istae sunt explicationes praecipuae. Nulla etymologia est certa, et omnes praeclare conveniunt Beatissimae Virgini.

1. Cfr BARDENHEWER, *Der Name Maria. Geschichte der Deutung desselben ;* MINOCCHI, *Il nomine Maria ;* L. JANSSENS, o. c., p. 209 sq. ; CAMPANA, o. c., 3ª p., c. 1, § VI ; VAN CROMBRUGGHE, o. c., c. 1, a. 2, II, de nomine Mariae, p. 24-26.
2. *Liber interpretationis hebraeorum nominum.*
3. Sensus ille late diffusus forsan ortum habuit a falsa lectione S. Hieronymi, per mutationem etsi inconsciam vocis *stilla* in terminum *stella* maris.
4. Ita scribens dum opus Hieronymi nondum cognoverat, *De Inst. Virgin.*, n. 5.
5. Ita ZORELL, *Was bedeutet der Name Maria?* in *Z. für K. Theol.*, 1906.
6. Apud VAN CROMBRUGGHE, o. c., p. 26.

IIª PARS.

DE B. VIRGINE MARIA IN SEIPSA seu DE PRAEROGATIVIS MATRIS DEI.

46. Materia tractanda. — Postquam consideravimus B. Virginem Mariam in ordine ad Deum et Christum, oportet illam spectare in se et personaliter sumptam, quantum ad intrinsecam sui perfectionem in ordine ad animam et in ordine ad corpus. Secundum corpus est quodammodo physicum instrumentum incarnationis, quod Christum hominem concepit et edidit in virginitate et incorruptione perpetuo servanda ; secundum animam est instrumendum morale, quo sit digna mater Dei, accepta eminenti et singulari sanctitate. Hinc praerogativae quantum ad animam, reducuntur ad sanctitatem et dona connexa ; in ordine ad corpus autem ad incorruptionem et virginitatem, quae spectari potest ante conceptionem et partum, in conceptione et partu, post conceptionem et partum ; atque tam in statu viae huius vitae, quam in statu termini incorruptionis gloriosae in coelis.

In tota hac materia valet principium : ratio et mensura propria perfectionis Mariae est dignitas et munus divinae eius maternitatis. Canit enim Ecclesia : *Omnipotens sempiternae Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, praeparasti.* Quapropter ipsa habet perfectionem prae omnibus praecellentem et singularem.

A. — DE B. VIRGINE

IN ORDINE AD PERFECTIONEM ANIMAE
seu
DE SANCTITATE MATRIS DEI.

47. **Sanctitas,** in creaturis rationalibus, distinguitur duplex : *negativa* et *positiva*, secundum duo quae importat elementa[1] : a) negativum, scil. munditiam moralem, seu absentiam maculae et immunitatem ab omni inordinatione morali; b) positivum, scil. firmam applicationem et coniunctionem ad Deum ut ultimum finem et primum principium, quae in ordine supernaturali habetur per gratiam.

Hinc dicemus : a) de negativa sanctitate Mariae, quae est triplex, quatenus dicit immunitatem 1° a peccato originali, 2° ab omni inordinatione peccati actualis, etiam minimi, 3° a sequelis peccati quae relationem dicunt ad ordinem moralem, scil. inordinata concupiscentia et ignorantia ;

b) de positiva sanctitate, scil. 1° de plenitudine gratiae, et 2° de donis cum gratia connexis.

CAPUT I.

DE NEGATIVA SANCTITATE MATRIS DEI.

QUAESTIO PRIMA.

MATER DEI EST IMMUNIS A PECCATO ORIGINALI SEU IMMACULATE CONCEPTA.

Articulus I.

DE VERITATE CONCEPTIONIS IMMACULATAE.

48. **Dogma Immaculatae Conceptionis B. Virginis** solemniter proclamatum fuit a Pio IX, in Bulla

1. S. Thomas, II-II, q. 81, a. 8.

Ineffabilis Deus, 8 dec. 1854 : « Definimus doctrinam quae tenet, Beatissimam Virginem Mariam, in primo instanti suae conceptionis, fuisse, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam ». — Dicitur :

1° *In primo instanti suae conceptionis.* Non agitur de Christi virginali conceptione qua Maria concepit Christum, sed de *conceptione Virginis qua ipsa a matre concepta est ;* nec de conceptione eius *activa* seu ex parte principii, i. e. de actione generativa parentum, vel et de miraculosa conceptione qua esset a Spiritu sancto ex sterilibus parentibus, sed de conceptione *passiva* seu ex parte termini, i. e. de conditione Mariae ; nec de conceptione *inchoata* qua ovuli fecundatione efformatur et evolvitur corpus ante infusionem animae rationalis, sicut illam plures tempore praecedere existimant, sed de conceptione *perfecta et completa* seu unione animae et corporis, qua per infusionem animae incipit esse nova persona humana : agitur enim de persona Virginis quae ante infusionem animae nondum erat. Et quidem de primo instanti conceptionis, ut explicite excluderetur eorum sententia, qui distinguentes inter primum et alterum conceptionis momentum, docuerunt animam Virginis in primo momento unionis ad corpus peccatum contraxisse, sed statim in altero momento fuisse mundatam.

2° *Ab originalis culpae... immunis :* non ab *actu* peccati originalis, qui ceteroquin non est in filiis sed in ipso Adam ; nec a *debito morali*, quod est naturalis origo ab Adam, qua Maria debuisset illud peccatum contrahere illudque contraxisset, nisi immunis ab eo fuisset ; sed ab *actuali infectione* huius peccati et macula, quae importat privationem originalis iustitiae atque supernaturalis vitae ac animae mortem. Cum autem, in ordine praesenti, illud non auferatur nisi per gratiam gratum facientem, nec detur medium inter statum peccati et statum gratiae, edocemur B. Virginem a primo instanti, non solum

expresse fuisse a peccato negative immunem, sed etiam implicite gratia gratum faciente positive dotatam fuisse et in gratia esse creatam. Et hac ratione ipsa eius conceptio est immaculata, quatenus primo instanti fuit gratia ornata, quae maculam peccati impedivit.

3° Et quidem *ab omni labe*, scil. a macula et connexo reatu tum culpae tum poenae ; et forsan a vulneribus peccati quae sunt ex inordinata concupiscentia et ignorantia, quae etiam est labes a peccato originali procedens, quamvis non constet de intentione Pontificis illud definiendi, cum sensus esse possit : ab omni labe quae est culpa originalis.

4° *Praeservata.* Dupliciter enim quis potest esse immunis a malo : actione reparativa, restaurativa et liberativa a culpa vel malo contracto, et actione anticipata et praeservativa a culpa vel malo quod imminet contrahendo. Hoc modo, qui damnatus ad carcerem illi praeeripitur, melius liberatur quam alius, qui in vincula iam coniectus, postea educitur.

5° *Intuitu meritorum Iesu Christi Salvatoris.* Non ex ipsa conceptionis ratione, iure proprio et virtute sua, sicut Christus, est Maria ab originali culpa immunis, sed ex gratuita Dei concessione, et ob praevisa merita Christi, et quidem *formaliter ut Salvatoris* humani generis, seu *Redemptoris*, ut Alexander VII expressius dixit, Const. *Sollicitudo*, 8 dec. 1661. Cum vi conceptionis suae debuisset incurrere maculam originalem, vi meritorum futuri Redemptoris ab ea fuit immunis, redemptione non liberativa, qua maculata purificatur, sed praeservativa, qua maculanda impediatur ne maculetur, ac proinde, ut expresse ait Bulla, est *sublimiori modo redempta.* Duplex scil. est modus redemptionis : ordinarius per remissionem, condonationem seu abstersionem culpae, — et privilegiatus per praeservationem ; unde fuimus nos obiectum liberationis reparativae, utpote condonati et abstersi postquam contraximus maculam, Maria vero liberationis praeservativae, quae impedita fuit ne maculam contraheret.

6° *Omnipotentis Dei gratia et privilegio.* Sicut Christus immaculatae conceptionis est causa meritoria, ita Deus est eius causa efficiens et gratia Dei causa formalis. Porro haec gratuita Dei concessio est privilegium, et quidem *singulare*, vel quia est unicum, soli B. Virgini exclusive reservatum, de qua ceteroquin sola affirmatur, vel saltem quia est specialis omnino et extraordinariae excellentiae : Ecclesiam enim voluisse definire illud esse unicum et omnino exclusivum, non perfecte constat. Est privilegium scil., non secundum legem, nec solum praeter legem, sed contra legem communem qua vi conceptionis ex parentibus tenebatur et ei debitum erat incurrere peccatum, sed quam Deus pro ipsa suspendit et a qua praeservata fuit ob merita Christi qua Redemptoris, qui redemit eam non erigendo lapsam sed praeservando lapsuram.

Sicut puer, qui ex matre in statu servitutis constituta nasceretur, sed tamen ex praevia domini mulieris dispositione futurus esset liber, esset quidem actu a servitute liber, attamen vi nativitatis ex tali muliere debuisset et ipse servitutem contrahere, et eam contraxisset, nisi fuisset illa praevia exemptio ; et ideo debitum haberet contrahendi servitutem, nisi ab ea fuisset exemptus ob speciale privilegium [1].

Est itaque immaculata conceptio *privilegium singulare quo B. Virgo, Dei gratia et intuitu meritorum Christi Redemptoris, in primo momento suae conceptionis ab omni labe culpae originalis fuit praeservata immunis.* Quae doctrina :

1° *definitur*, ac proinde auctoritate Ecclesiae est infallibiliter certa ;

2° asseritur esse *a Deo* vere et formaliter *revelatam*, si non explicite seu expressis et disertis verbis, saltem implicite et aequivalentibus terminis ; quare non est mera conclusio ex revelatione deducta quin revelata sit, nec simplex factum dogmaticum quod solum est cum dogmate revelato connexum, nec doctrina nova, sed a Deo fuit apostolis revelata et ab iis Ecclesiae tradita ;

3° ac proinde *ab omnibus fidelibus* esse fide divina *cre-*

1. LÉPICIER, o. c., p. II, c. I, a. I, n. 7.

dendam, ob auctoritatem scil. Dei revelantis; quod si non facerent, non solum in errorem inciderent, sed essent haeretici.

49. Errores immaculatae conceptioni oppositi. — Plures circa conceptionem B. Virginis immaculatam erraverunt, sive per defectum, sive per excessum.

A. *Per defectum* plures, etiam magni theologi, qui eam negarunt aut in dubium revocarunt, licet B. Virginem dixerint mox sanctificatam in utero, vel altero ab origine momento, inter quos recenseri solent S. Anselmus, S. Bernardus, Petrus Lombardus, Alexander Halensis, S. Albertus Magnus, S. Bonaventura, imo S. Thomas, licet de hoc quidam dubitent, Aegidius Romanus, Henricus Gandavensis, Petrus de Tarentasia, Petrus de Palude, Capreolus, Caietanus et multi Thomistae ; — imo Baius asserere non dubitavit, prop. 73ª : « Nemo, praeter Christum, est absque peccato originali ; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum ». Quam propositionem damnavit Pius V, a. 1567.

At, etiam post definitionem in negando perstiterunt : Iansenistae Ecclesiae Ultraiectensis et Veteres Catholici, sub praetextu servandi antiquam traditionem ; Protestantes omnes, quia nequit admitti dogma novum ; pariter recentiores Schismatici graeci vel et moscovitae, licet B. Virginem ab initio externa Dei benevolentia gaudere asserere non dubitent, at cum originali peccato ; a fortiori negant Rationalistae, ut Harnack ad verba Pontificis affirmantis doctrinam esse a Deo revelatam, ironice exclamans : Quandonam? Cuinam?

B. E contra *per excessum*, quidam ulterius progressi quam dogma revelatum, illud erronee defendunt. Nonnulli magis pii quam theologi, quasi omnem perfectionem volentes tribuere Bmae Virgini Matri Dei, vel revelationibus innixi parum fidis aut apocryphis scriptis :

1° Vel docuerunt eam conceptam fuisse in utero matris sine concubitu viri.

2° Vel dixerunt minimam massae corporalis partem in Adam incorruptam et peccato subtractam, per generationes servatam transiisse usque ad conceptionem Mariae, et ex ea corpus Mariae fuisse formatum. Quam phantasticam explicationem, saec. XIX renovavit Rosmini : « Ad praeservandum B. Virginem Mariam a labe originis satis erat, ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone, e quo incorrupto semine de generatione in generationem transfuso, suo tempore, oriretur Maria ». Quae propositio 34ª damnata fuit a Leone XIII, 14 dec. 1887.

3° Vel, ob quemdam alium modum, eam immaculatam habuerunt independenter a meritis Redemptoris, ita ut redemptione nequaquam indiguisset, nec ullo fuisset modo redempta.

4° Vel eam sanctificatam aut a peccato mundatam dixerunt ante animationem, cum tamen animatione B. Virgo fiat gratiae capax aut peccati, et ab eo purificationis.

50. Conceptio immaculata fundatur in Scripturis. — Fundamentum scil. habet dogma in V. et in N. Testamento :

A. In V.T. *praenuntiatur subobscure in Protoevangelio*, Gen. III, 15, quod, ut supra diximus n. 36, intelligendum est de muliere Maria, saltem in sensu typico aut in sensu pleniore, completo, derivato et consequenti. Iamvero :

1° *Explicite* declaratur absolutam et permanentem inimicitiam futuram inter diabolum peccati instigatorem et mulierem : sive Evam quae a momento suae paenitentiae et iustificationis est typus B. Virginis, sive etiam litteraliter ipsam Mariam ; sicut inter semen diaboli et semen mulieris, Redemptorem. Atqui illa inimicitia nec singularis esset, nec oppositio absoluta et completa foret, si etiam per unum instans Eva post iustificationem vel B. Virgo fuisset subdita peccato mortali, quale est originale, praesertim quod per istud serpentis semen incepit.

2° *Implicite* asseritur hanc eamdem mulierem, simul cum filio suo, in inimicitiis invincibilem, plenam victoriam reportaturam esse de diabolo ac peccato : licet

pronomen ipsum in textu originali directe referendum sit ad semen mulieris, scil. Redemptorem, indirecte tamen refertur ad matrem eius, ut antithesis in primo membro enuntiata sit completa. Sed talis victoria plena non esset, si mulier etiam uno instanti peccato maculata fuisset, et sub imperio diaboli ; etiam ob solum peccatum originale, nam diabolus est causa peccati originalis. Ergo[1].

3° *Vi deductionis:* Poena diaboli est in retorsione qua reparatio incipit a muliere, sicut ruina. Ergo conditio Evae post peccatum opposita fuit conditioni novae Evae, non secus ac status Adae contrarius est statui Christi. Atqui status oppositus peccato originali est originalis iustitia. Ergo nova Eva est in conditione originalis iustitiae.

Confirmatur: Quae contrarie opponuntur sub hoc respectu sunt independentia et non procedunt ab invicem. Maria contrarie opponitur Evae sub respectu gratiae vel inimicitiae cum daemone. Ergo sub hoc respectu Maria non est filia Evae, sed ab ea plene independens.

B. In N. T. *innuitur in salutatione angelica,* Lc. I, 28 : *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus ;* quibus respondent verba Elisabeth, quae *repleta Spiritu sancto dixit,* Lc. I, 45 : *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui.*

Ubi Maria nomine Dei ab angelo salutatur ut κεχαριτωμένη, i. e. gratiosissima, dilectissima, Deo quidem ; quod significat singularem, plenam, permanentem et habitualem gratiam; cum autem ita vocetur in N. L. quae bona aeterna largitur, necessario significatur interna et supernaturalis gratia gratum faciens quam Deus ad salutem concedit, plenitudo scil. divinarum gratiarum et donorum

1. Quidam etiam arguunt ex lectione Vulgatae : *ipsa* conteret caput tuum, dicentes talem lectionem non potuisse praevalere in Ecclesia, nisi verba audita fuissent de muliere quae est mater Redemptoris ; quapropter in hoc est argumentum traditionis. — At id non videtur tuto affirmari, siquidem 1° applicatio verborum facta Mariae antiquior est quam lectio *ipsa ;* ergo haec lectio non est origo istius applicationis ; 2° nec applicatio Mariae facta est origo lectionis *ipsa,* nam plures sunt qui habent istam lectionem et non intellexerunt de Maria. Ita L. Fr. Drewniak in laudato opere : *Die Mariologische Deutung von Gen., III,* 15, *in der Väterzeit,* Breslau, 1934.

salutis. Quae plenitudo intelligenda est respective ad subiectum, uti ipsi hic et nunc concedere convenit[1]. Quare vocem Patres et Ecclesia merito *gratia plena* reddiderunt. Quapropter : a) Indicatur cumulus gratiarum, singularis abundantia. b) Maria ita vocatur antonomastice a Deo, loco nominis proprii et distinctivi ; quod fieri nequit nisi persona salutata gratia habitualiter emineat. c) Et hoc dicitur in annuntiatione divinae maternitatis, unde gratia de qua agitur est proportionata huic eminentissimae dignitati quae omnes creatas superat. d) Item additur : *Dominus tecum,* quo specialis praecellentia et protectio indicatur. e) *Benedicta tu in mulieribus ;* unde speciale indicat privilegium.

Tribuitur ergo Mariae omnimoda plenitudo gratiae, quae in simplici creatura inveniri possit. Atqui illa plenitudo non esset perfecta nisi sese extenderet ad primum instans, in quo Maria concepta fuit, et omnia peccata excluderet. Ergo immaculata conceptio B. Virginis ibi innuitur.

Quare Pius IX in bulla definitionis : « Cum vero ipsi Patres Ecclesiaeque scriptores animo menteque reputarent B^{am} Virginem ab angelo Gabriele sublimissimam Dei matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et iussu, gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt, hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustum, adeo ut numquam maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps, ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit : *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui* ».

C. Quapropter in N. L. dicta de Sponsa Cantici, IV, 7, immaculatae Virgini fuerunt typice applicata, aut ab Ecclesia accommodata : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te,* nulla scil. nec originalis.

51. Conceptio immaculata demonstratur divina traditione. — Quae immaculatam B. Virginis conce-

1. Hinc diversus est sensus vocis in Eccli. XVIII, 17 ; Lc. I, 28 ; Ioan. I, 14 ; Act. Ap., VI, 8 et VII, 35.

ptionem docet tum speculative, proponendo aut inculcando doctrinam et fidem profitendo, tum practice, scil. vita et cultu Ecclesiae.

A. *Speculative: doctrina,* in cuius propositione triplex stadium occurrit[1] : 1^{m}. *pacificae possessionis,* in quo formaliter proposita et credita fuit, sed *implicite* in veritate generaliore ; 2^{m}. *clarae et explicitae propositionis* atque, inde orta controversia, *diligentis inquisitionis ;* 3^{m}. *certae persuasionis* et definitivae agnitionis, ad quam secuta quoque est solemnis definitio.

1° *Primis saeculis implicite fuit proposita:* Ecclesia scil. tantam praedicabat B. Virginis sanctitatem, ut peccatum originale de facto excluderet, quamvis non explicite dicebat peccatum originale in ea non fuisse. Id autem praedicabatur tripliciter :

a) In *parallelismo* instituto *inter Evam et Mariam,* seu in *doctrina de Nova Eva ;* et quidem dupliciter :

1° *per oppositionem,* quatenus Mariae locus est, non quidem cum progenie peccatrice sicut Eva, sed cum immaculato Redemptore, quocum plenam victoriam retulit de serpente diabolico : Eva scil. est in relatione cum ruina, Maria in relatione cum salute opposita ; ergo ipsi ruina non competit.

2° *per similitudinem,* quatenus Nova Eva habuit ortum inculpatum, non secus ac prima Eva.

Ita Iustinus, dial. n. 100 ; Irenaeus, adv. haer. III, 22 ; V, 19 ; Tertullianus, de carne Ch^{l}., 17 ; Ephraem, serm. 4 in div. Script. (Opp. syr. II, p. 327) ; carm. Nis. ; Epiphanius, Haer. 78 ; Theodotus Ancyr., hom. 6 in Deip., n. 11 ; Fulgentius, serm. de dupl. Nat. Ch^{l}., 6 ; Petrus Chrys., serm. 140.

b) In B. Mariae *sanctitate, gratia et perfecta virginitate.* Patres asserunt eam esse purissimam, per omnia et funditus immaculatam, illibatam, innocentissimam, fuisse omni tempore puram, illaesam, et intactam, gratia plenam, et peccatum numquam in eam fuisse dominatum ; —

1. Cfr. inter alios Le Bachelet, *L'Immaculée Conception, courte histoire d'un dogme,* Paris, 1903 ; Pl. De Meester, *Le dogme de l'Immaculée Conception et la doctrine de l'Église grecque,* Paris, 1906.

imo ex toto supersanctam, superinnocentem, undequaque sanctam, ab omni labe puram, sanctis sanctiorem, mundiorem coelestibus mentibus ; — atque solam sanctam, solam innocentem, solam immaculatam, solam undequaque illibatam solamque undequaque benedictam, secundum omnia gratiis plenam, Deo simillimam ; — denique perfecte virginem, secundum corpus scil. et animam, ac immunem ab omni inquinamento, quasi arca incorruptibilis. Quae implicite dicunt eam absque macula conceptam ; secus non esset undequaque sancta, nec omni tempore munda, nec purior Angelis, nec sola sancta et innocens, supersancta, superinnocens, nam hoc indicat eam attigisse gradum puritatis qui omnino singularis est[1].

Ita v. g. Hippolytus, apud Theodoretum in dial. Eranistes ; de Chr°. et Antichr°., n. 4 ; Origenes, hom. 1 ; Gregorius Thaum. (?), serm. in Nat. Ch^{i} ; Ephraem, carm. nis. ; de laud. B. V. ; ad S. Dei Gen. ; Iacobus Nis. (Civ. catt., 1876, p. 550) ; Epiphanius (?), de laud. Virginis ; Ambrosius, in Ps. 118, n. 22, 30 ; Presbyteri Achaiae, ep. de martyr. S. Andreae ; Amphilochius, or. 4 in Deip. ; Prudentius, cath. III ante cibum ; Sedulius, carm. pasch. II, 28 ; Theodoretus, in Cant. Cant.

c) *In dogmate divinae maternitatis,* quo non solum simpliciter praedicatur mater Dei, sed et *digna mater Dei ;* digna autem non fuisset, si maculam peccati habuisset, aiunt Patres.

Ita Hippolytus, in Ps. 22 ; Ambrosius, in Luc., l. III ; Ephraem, carm. nis. ; Hieronymus, ep. 22 ad Eustoch. ; Augustinus[2], de nat. et gr., c. 36 ; Maximus Taur., hom. 5, ante Nat. Di.

1. Distinctio quam plures faciebant inter 1^{m} et 2^{m} instans, quatenus B. Virgo labem originalem contraxisset primo momento, sed in altero ab ea fuisset plenitudine gratiae perfecte mundata, in traditione nullum habet fundamentum estque totaliter ignota.

2. Ait Augustinus, l. c. : « Excepta itaque S. V. Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem : unde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum ? » Quae verba *directe* quidem de solo actuali peccato sunt intelligenda, *indirecte* tamen et de originali, tum quia principium invocatum valet pro utroque, tum quia Augustinus alibi docet, propter peccatum originale nullum posse omnia peccata venialia vitare : « nullus est hominum, praeter ipsum (Christum), qui

2° *Sequentibus saeculis clare et explicite proposita fuit* immaculata conceptio, diversimode tamen in Oriente et in Occidente. In Oriente quidem, post Concilium Ephesinum, contra Nestorianos omnibus modis celebrant et extollunt eminentem excellentiam Matris Dei et eius originalem sanctitatem; in quo nullam perspiciebant difficultatem, cum de peccato originali plerumque nec explicite loquerentur. E contra, in Ecclesia latina, veritas aliquatenus obnubilata fuit ob controversias de peccato originali et de gratia contra Pelagianos, quare multum insistebant universalitati peccati originalis et redemptionis. Hinc plures dubitarunt de immaculato conceptu B. Virginis aut eum negarunt, eo quod non perspiciebant quomodo cum his dogmatibus posset componi. Et a saec. XI controversia orta est, in qua magni Scholastici plerumque steterunt contra privilegium Virginis, usquedum Scotus ostenderit quomodo immaculata conceptio componi possit cum aliis dogmatibus. Distinxit inter ipsum peccatum originale et huius debitum, ac ostendit quomodo immaculata conceptio fuerit perfectior modus Redemptionis, dum a peccato praeservatur illa quae illud incurrere debuisset : ita quod Christus matrem tam perfecte redemerit, ut meruerit eam a peccato originali non liberari sed praeservari[1]. Unde a tempore Scoti,

peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu », c. Iul., V, c. 15, n. 57. Unde, quando Iuliano obicienti : « Tu ipsam Mariam diaboli conditione nascendi transcribis », Augustinus respondit : « Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo quia ipsa conditio nascendi solvitur gratia renascendi » Opus imp. c. Iul. IV, 122, id forsan intelligi potest de gratia, non liberativa, sed praeservativa.

1. Magnum fuit Scoto meritum ostendisse possibilitatem praeservationis a peccato originali pro matre Dei ; et hac de causa, paulatim mutata est doctrina facultatis theologicae Universitatis Parisiensis. Non tamen videtur fidendum cuidem narrationi famosae disputationis publicae et solemnis, in qua Scotus plus quam ducentis argumentis adversariorum adaequate responderit, omnibus eius ingenii subtilitatem admirantibus, adversariis autem obmutescentibus ; sed haec videntur characterem legendarium habere, ac Scotus ipse, in scriptis, valde modeste suam sententiam proponit. De doctrina Scoti optime scripsit C. BALIC, *Ioannis Duns Scoti Theologiae Marianae Elementa*, ad fidem codicum mss., Šibenic, 1933. Post Scotum, privilegium marianum praesertim defenderunt ex Ordine Minorum, Fr. Mayronis, Bassolis, et Aureolus. Mayronis primus expresse adhibuit (III Sent., d. 3, q. 2) celeberrimum argumentum : Deus B. V. immaculate conceptam facere *potuit, decuit, ergo fecit ;* quod falso tribuitur Scoto, licet ad mentem Scoti dici possit, cum iste scripserit : « Deus potuit facere quod ipsa numquam fuisset in peccato originali... Si auctoritati Ecclesiae, vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile quod est excellentius attribuere Mariae ». Ita in op. Oxon., III Sent., d. 3, q. 1, n. 4.

privilegium Virginis fuit admissum magis ac magis, quia, data possibilitate, pietas inclinabat animos ad admittendum quod perfectius et gloriosius est pro B. Virgine. Nihilominus, non statim fuit consensus obtentus unanimis, cum sat longo tempore plures adhuc dubitaverint, sicut, e contra, quidam fuerunt defensores privilegii etiam eo tempore quo maiores theologi videbantur oppositi.

In Oriente defensores inter alios fuerunt : Proclus, or. 6 in S. Dei Gen. ; Theodotus Ancyr., hom. 6 in Deip., n. 6; Iacobus, Sarug. (Abbeloos, de vita et scriptis S. Iac. Sarug.) ; Sophronius, serm. 2 et 10 in Ann. Deip. ; Tarasius, in S. Deip. praes., n. 2; in S. Dei Matrem in templ. ded., n. 6 ; Andreas Cret., serm. 1 et 2 de Nat. Deip. ; Germanus Const., or. in praes. Deip., n. 18 ; Ioannes Dam., hom. in Assumpt., et in Dorm. ; idem (?) hom. 1 in Nat. Deip. ; Theodorus Stud., hom. 2 in Nat. (inter opera Ioan. Dam.) ; Ioannes Eub., or. in Conc., n. 24, etc.

In Occidente : Paulus diac., serm. in Ass. 5 ; Paschasius Radb., de partu Virg. ; Fulbertus Carn., or. in Virg. Nat. ; Petrus Damianus (?), serm. 46 et 40; Bruno, exp. in Ps. ; Rupertus Truit., in Gen. III, 19 ; Ivo Carn., serm. de Nat. Di. ; Raymundus Iordanus, Cont. B. M. V., c. 2 ; auctor anonymus libri de Conceptione B. M. V. ; Raymundus Lullius, de Laud. B. M. V. ; Disp. super dub. quaest. M. Sent. ; Guarra, in Sent., qui fuit Scoti magister.

3° *A saeculo XV, doctrina conceptionis immaculatae, in sufficienti luce posita*, a Pontificibus protegitur et Conciliis, ac de die in diem consensum obtinuit doctorum et fidelium, qui paulatim factus est moraliter universalis. Unde mirum non est quod Antistites, Universitates et theologi, viri ecclesiastici saeculares et regulares, ac ipsi pii fideles a S. Sede efflagitaverint et tandem obtinuerint solemnem huius veritatis definitionem.

Ita in Concilio Constantiensi fuit doctrina proposita a Gerson in sermone, plaudente et approbante concilio (a. 1416) ; in Concilio Basileensi fuit definita (a. 1439), sed concilium a Pon-

tifice non fuit approbatum ; nihilominus in Concilio provinciali Avenionensi (a. 1457) decretum basileense confirmatum fuit pro Gallia, ac prohibitum omnibus, ne contrarium praedicarent. Concilium Tridentinum, sess. 5, can. 5 (a. 1546) declaravit « non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse constitutiones Sixti IV sub poenis in eis constitutionibus contentis quas innovat » ; quo Tridentini Patres B. Virginem ab originali solutam pro rerum temporumque adiunctis satis innuunt. Sixtus IV vero (a. 1476) indulgentias concessit festum conceptionis celebrantibus, et ut falsas et erroneas damnavit (a. 1483) assertiones illorum qui in ea celebratione aut doctrinali professione quid haereticum vel erroneum aut peccaminosum esse audebant affirmare. Pius V (a. 1567) damnavit Baium originale peccatum B. Virgini imputantem. Clemens VIII (a. 1598) approbavit catechismum Bellarmini, in quo immunitas a macula originali affirmatur. Paulus V (a. 1618) prohibuit ne quis conceptionem pollutam Mariae asserere publice praesumeret ; quod vetitum Gregorius XV (a. 1622) ad privata quoque colloquia extendit, exceptis iis quibus fuit specialiter indultum. Alexander VII (a. 1661) praecedentia decreta innovavit, ne libri contra immaculatum Deiparae conceptum ederentur vetuit, et doctrinam immaculatae conceptionis piam sententiam esse proclamavit, quam fere omnes catholici iam complectuntur. Clemens XI (a. 1693) iussit ut festum conceptionis de praecepto haberetur et illud ad universam Ecclesiam extendit. Tandem Pius IX rem solemniter definivit constitutione dogmatica *Ineffabilis Deus*, 8 dec. 1854.

B. *Practice : vita et cultu Ecclesiae.* In liturgiis saepius fuit affirmata, praesertim in variis orientalibus, uti constat ex earum anthologiis, menologiis, triodiis, etc..., ita ut *lex supplicandi statuat legem credendi.* Maxime vero ipsa celebratione festi conceptionis ; quod paulatim extensum fuit ad universam Ecclesiam. Quo posito, valet argumentum a S. Thoma positum alia occasione : « Ecclesia celebrat nativitatem B. Virginis. Non autem celebratur in Ecclesia festum nisi pro aliquo sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sui nativitate fuit sancta. Fuit ergo in utero sanctificata » III, q. 27, a. 1. Eodem modo liceat argumentari : Ecclesia celebrat ipsam B. Virginis conceptionem. Non celebratur festum nisi pro aliquo sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sui conceptione fuit sancta. Fuit ergo in ipso

instanti suae conceptionis sanctificata et a peccato pura[1].

Quonam tempore praecise fuerit introductum festum nescimus, at certissime celebrabatur saec. VII in Ecclesia graeca, die 9 Decembris, ut constat ex Canone S. Andreae Cretensis (c. a. 697 composito). Saec. VIII Ioannes Euboensis testatur sua aetate illud iam in pluribus Ecclesiis celebrari (serm. in Conc. Deip.), postea Normocanon Photii (a. 883), Menologium graecum (saec. XI), Constitutio Alexiis Commeni (saec. XII) : ex quibus colligitur festum saltem a saec. X per totum Orientem celebratum, inde autem a saec. XII obligatorium fuisse.

In Occidente, saec. IX a Graecis receptum et celebratum est in Sicilia 9ª Decembris, ubi Petrus, qui postea fuit Argorum episcopus, orationem habuit pro conceptione S. Annae ; pariter in Ecclesia Neapolitana, ut testatur vetus marmoreum calendarium. Saec. IX et X inscriptum reperitur ad 2ᵐ vel 3ᵐ Maii in variis documentis ex Hibernia provenientibus, v. g. in calendario Œngi et in martyrologio sub rege Alfrido († 900) evulgato. Postea in Angliam transiit ante 1050, ubi celebratur 8 Decembris, mox abolitum fuit, deinde eodem saeculo XI vel initio XII restauratum ; in Germaniam, ubi invectum dicitur a Conciliabulo Moguntino (a. 1049) ; et in Normanniam, ubi celebratur in Ecclesia Rothomagensi. Saec. XII cepit introduci in Galliam, ubi canonici Lugdunenses id etiam instituerunt (1140), increpati hac de causa a S. Bernardo ; sed nihilominus mox magis diffusum est per Galliam, deinde per Hispaniam et Italiam. Romae celebratur ab anno 1330.

Cum autem plures festum intelligi posse existimaverint de sanctificatione B. Virginis post conceptionem mox in utero habita, quia quonam praecise tempore ibi sanctificata fuerit ignoratur ; Pontifices declararunt intelligendum de sanctificatione in ipso momento conceptionis. Ita iam Sixtus IV, et deinceps alii, maxime Alexander VII et Pius IX.

52. Conceptio immaculata confirmatur ratione theologica. — Ratio conceptionem immaculatam stricte

1. Ne dicatur festum habere characterem legendarium, cum celebret conceptionem miraculosam Virginis a Spiritu sancto ex sterilibus parentibus, et originem habeat ab apocryphis. — Nam, etsi talis significatio quandoque videatur admittenda, tamen simul celebratur sanctitas Virginis in suo ortu, uti constat ex menaeis, antilogio, aliisque partibus officii, et ex homiliis Ioannis Euboensis, Ioannis Dam., Petri de Argos, Georgii Nicomediensis, etc. Ceterum ista legenda non agnoscitur in omnibus Ecclesiis, nec certissime a tempore quo in Occidente ubique festum propagari cepit, aut a Pontificibus fuit probatum.

demonstrare nequit, cum etiam ex matre in peccato concepta carnem sumere Deus posset atque incarnari; nihilominus multiplicem et summam eius convenientiam ostendit.

1° *Dei mater ipsius digna esse decebat:* a) Decebat scil. Verbum eligere matrem sibi dignam; sed mater concepta in originali peccato non fuisset digna Verbi purissimi et sanctissimi, cum eius ignominia in Filium redundasset, iuxta illud Prov. XVII, 6 : « gloria filiorum patres eorum ». b) Pariter « decebat ut sicut Unigenitus qui in coelis Patrem habuit, quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris quae nitore sanctitatis numquam caruerit » (bulla *Ineffabilis Deus*). c) Imo indecens esset quod Filius, matrem praedestinans, eam non praedestinaret a culpa immunem, sicut denique sapientiae Filii eiusque gratae pietati quodammodo debitum est.

Maria habuit Filium, qui ante eam aeternaliter existebat. Hinc amor Filii convenienter poterat eam praevenire in conceptione, et eius animam creare innocentem atque dotatam plenitudine gratiae.

2° *Mater Dei speciales relationes habet cum SS. Trinitate:* est enim filia primogenita Patris, mater Filii, sponsa et sacrarium Spiritus sancti. Non convenit autem personam, Deo tam intime coniunctam, in ortu suo fuisse infectam originali peccato, iuxta Ps. XCII, 5 : « domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum ». Nam, ut ait bulla *Ineffabilis Deus:*

« Decebat omnino ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper omnino fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis Mater, cui Deus Pater unicum Filium, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturali esset unus idemque communis et Patris et Virginis Filius; et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit; et de qua Spiritus sanctus voluit et operatus est ut conciperetur et nasceretur ille de quo ipse procedit ».

3° *Mater Dei Redemptoris est quoque mediatrix nostri et Nova Eva:* a) Non decet mediatorem fuisse inimicum offensi, aut amicum et complicem offensoris, sed oportet medius sit inter utrumque et ab utroque distet; ergo Maria non potuit inimica inveniri Dei aut amica et complex diaboli et peccati. Nova Eva scil. decebat esse perfecta victrix diaboli et a peccato omnino immunis, praesertim ab illo quod Redemptor tollere intendit. b) Et sicut prima Eva in ortu suo tradita est Adamo ut sancta virgo et immaculata, ita nova Eva decebat ab ortu suo esse virgo sancta et immaculata; aut sicut ex Adam mulier perfecta fuit formata, ita decebat ex Christi meritis, mulier perfecte esset redempta, ita ut B. Virgo divinorum operum synthesis existeret. c) Decebat scil. Salvatorem, redemptionis et victoriae quam de peccato reportavit perfectionem ostendere, unam saltem personam perfectissime redimendo et ab omni actualis et originalis labe immunem praeservando; et hanc esse personam suae matris, praesertim cum haec eius cooperatrix in opere redemptorio esset futura.

4° *Mater Dei est maior et dignior omnibus creaturis, etiam angelis, ac regina totius creationis.* Sed protoparentes et angeli fuerunt creati in sanctitate et divina gratia. Ergo a fortiori mater Dei, Maria.

5° *Mater Dei est propinquissima Deo.* Sed « quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii », ut ait S. Thomas, III, q. 27, a. 5. Christus est principium gratiae : secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter. B^ma^ Virgo Maria autem propinquissima fuit Christo secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Ergo B. Virgo recepit quantum possibile fuerit et prae ceteris debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere.

53. **Obiiciunt :** 1° Doctrina conceptionis immaculatae opponitur doctrinae Scripturae de universalitate peccati originalis : « in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt » Rom. V, 12 (Cfr. I Cor., XV, 22 ; II Cor. V, 14, 15).

Resp. Doctrina vera est quod omnes sub lege transfusionis peccati de se cadunt, et omnes iure et secundum radicem sunt peccatores in Adam, non tamen ideo omnes de facto et realiter, quando sumus. Lex scil. universalis est cui in actu primo omnes subduntur ab Adam generati, etiam B. Virgo quatenus vi conceptionis peccatum debuit contrahere et contraheret nisi exempta esset ; at in actu secundo potest dari exceptio, et a lege exemptio, sicut Assuerus dixit ad Esther (XV, 13) ; « non enim pro te (scil. applicanda), sed pro omnibus haec lex constituta est ». Lex scil. est universalis de se, non necessario de facto ; quare Concilium Tridentinum definiens peccatum originale, noluit tamen B. Virginem in suo decreto comprehendere ; exceptio tamen non est admittenda nisi demonstretur.

In omnibus scil. est debitum peccati originalis, sicut etiam debitum mortis, et tamen, ut videtur, secundum Apostolum, non omnes moriuntur de facto, scil. illi qui vivunt in adventu Christi iudicis (I Thess., IV, 15-17). De quo S. Thomas, Q. D. de Malo, 4, a. 6, ad 2 : « Dato quod illi qui vivi reperientur in adventu Domini, numquam moriantur, non sequitur ex necessitate quod peccatum originale non contraxerint. Poena enim propria originalis peccati est necessitas moriendi, secundum illud Apostoli, Rom. VIII, 10 : Corpus quidem mortuum est propter peccatum, id est necessitati mortis addictum, ut Augustinus exponit. Potest autem contingere quod aliqui necessitatem moriendi habeant, qui tamen numquam morientur, divina virtute prohibente [1] ». Ita in omnibus, praeter Christum, est debitum et necessitas contrahendi peccatum, et potest contingere quod exceptionaliter quis non contrahat ex privilegio, divina scil. virtute prohibente.

2° Secundum Patres, a) *solus* Iesus ob conceptum virginalem est a peccato immunis [2] ; b) caro Mariae, ad differentiam carnis Christi, est *caro peccati* [3] ; c) imo

1. Cfr. I-II, q. 81, a. 3, ad 1 ; II Sent., d. 31, q. 1, a. 2, ad 2 et ad 5 ; III, d. 3, q. 1, a. 1.
2. AMBROSIUS, in Lc. II, 55-56 ; AUGUSTINUS, *de pecc. mer.*, I, c. 57 ; *serm.* 293, 12 ; LEO M., *serm. 5 in Nat. Di*, c. 5 ; GREGORIUS M., *mor.* XVIII, 84 ; BEDA, *hom.* I, 1 ; IOANNES DAM., *hom. in Sab.*, n. 20.
3. AUGUSTINUS, *de Gen. ad Lit.*, X, c. 18, n. 32 ; *de pecc. mer.*, II, c. 38 ; FULGENTIUS, ep. 17 *de inc. et gr.*, n. 13.

Maria dicitur a peccato *mundata*, *sanctificata*, *purificata* [1].

Resp. *Solus* Iesus est per se et necessario a peccato immunis : per se i. e. de iure et virtute conceptus sui, ita ut lex peccati eum nullo modo tangeret ; necessario, i. e. ex natura sua, quia persona divina. Solus, apud Patres, signat non solum factum, sed et eius modum, quia et in quantum ex virgine fuit conceptus, fuit extra legem propagandi peccati. B. Virgo non fuit hoc modo immunis, quia non est extra legem ; sed tamen alio modo potuit esse immunis, ex privilegio scil. contra legem.

Ita solet Ecclesia canere : Tu solus sanctus... Iesu Christe, scil. proprio iure ex propria persona, quod tamen non prohibet Ecclesiam alios colere ut vere sanctos. Notat tamen Van Noort : « Haud contendimus Patres, dicendo unum Christum ab omni peccato alienum fuisse, semper actu cogitasse : idem alio sensu etiam valet de Virgine ; id enim persuasionem explicitam supponeret. Sed dicimus, eos sensu verissimo scribere potuisse : solus Christus a peccato immunis est, quin reapse sentirent, Virginem aliquam actu inquinatam fuisse [2] ».

b) *Carne peccati* Patres nihil significant nisi carnem Mariae, utpote passibilem et mortalem, esse ex stirpe corrupta Adam, seminali generatione propagatam, non vero peccato actu infectam.

Unde et aliqui carnem Christi vocant carnem peccati, minus bene tamen, ut Tertullianus, de carne Ch[1]., 16 ; Hilarius, de Trin. I, 13 ; Gregorius Naz., or. 51, n. 18 ; Proclus, or. 4, n. 14 ; ipse Augustinus autem Virgini carnem peccati tribuit pro ipso tempore conceptionis Christi, i. e. carnem via ordinaria concupiscentiae et generationis ab Adam derivatam. Quodsi Fulgentius addat : « si caro peccati non mendaciter dicitur, habet in se caro ipsa peccatum », aut intelligendum est de signo et instrumento peccati, concupiscentia, aut reiiciendum tamquam minus rectum.

c) B. Virgo dicitur a Spiritu sancto *mundari*, *sanctificari*, *purgari*, sensu minus stricto, quatenus in primo instanti ortus sui est Deo grata facta, sancta, pura et munda ne a;

1. IOANNES DAM., *de Fide orthod.*, III, c. 2 ; *hom. in Dorm.*, I, n. 3 GREGORIUS NAZ., *or.* 38 *in Theoph.* 13, *or.* 45 *in S. Pasch.* 9 ; EADMERUS, *de excel. B. M. V.*, c. 3.
2. *De Deo Redemptore*, sect. III, art. 2, n. 258.

peccato inquinetur, sed ita ut ab omni peccato, macula et labe praeservetur, et de die in diem sanctior et purior proficiat. Quandoque tamen Patres videntur intelligendi de omnimoda purificatione per expurgationem fomitis in ipso adventu Christi.

3° Immaculata conceptio negata fuit a S. Bernardo et a maximis Theologis saec. XIII, etiam a S. Thoma ; quod impossibile fuisset nisi perspexissent falsitatem illius et cum dogmatibus religionis christianae incompossibilitatem ; quare non potest dici revelata veritas.

Resp. a) S. Bernardus et Scholastici saec. XIII non peremptorio modo loquuntur, sed de immaculata conceptione dubitant, aut cum probabilitate et verisimilitudine opinantur eam non esse admittendam, nam valde modeste loquuntur ; b) quod spectatis adiunctis rerum et temporum sat facile intelligitur [1].

Traditionalis doctrina recepta asserit Dei Genitricem tantam sanctitatis perfectionem accepisse quanta ei conferri potuit. Quod principium tradit Anselmus [2] : « *Decens erat ut ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret* ». Hoc principium implicite continet immaculatam conceptionem, sed multi id non perspiciebant, nec, ut videtur, ipse Anselmus [3] ; at apud omnes in confesso erat B. Mariam saltem ante nativitatem esse sanctificatam in utero, quod etiam Ioanni Baptistae adscribi solebat.

Festum conceptionis quidem celebrabatur in aliquot ecclesiis, sed ipsius obiectum non semper cum omni praecisione determinabatur. Theologia autem synthetica tunc efformabatur in corpus doctrinae ex partibus consentientibus harmonice constans ; unde theologis quaerendum erat num privilegium immaculati conceptus cum aliis dogmatibus et veritatibus aliunde certis compossibile erat. Peccatum originale enim videbatur universaliter se extendens ad omnes ex Adam genitos ; concupiscentia orta ex seminali generatione censebatur illud constituere aut saltem ad illud pertinere ; et Redemptio habenda est universalis, ita ut nullus salvari possit nisi ex meritis passionis Christi. Exinde controversia oriri nata erat.

a) Occasio controversiae fuit interventus S. Bernardi circa

1. Cfr. *Dict. de Théol. cath.*, LE BACHELET, art. *immaculée conception ;* VAN CROMBRUGGHE, o. c., c. 3, a. 1, p. 130 sq.
2. *De conceptu virginali*, c. 18.
3. *Cur Deus homo*, c. 16.

opportunitatem et legitimitatem festi, quod, inconsulta S. Sede, canonici Lugdunenses celebrandum assumpserant. Anno 1139-1140, scripsit epistolam (174^{m}) ut eos a proposito revocaret novam inducendi celebrationem, quam *ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio*. Sane B. Virgo nequit dici sanctificatione praeventa : non valet ante sancta esse quam esse ; nec ipse conceptus, qui factus fuit in libidine cum peccato, potuit esse sanctus : ad hoc requireretur ut operante Spiritu sancto conceptus fieret virginalis, quod uni competit Christo ; ergo nihil restat nisi ut, post conceptum, in utero existens, sanctificationem acceperit, quae sanctam fecerit eius nativitatem, non conceptionem.

Ceterum Bernardus causam non definitivo modo resolvere intendit, sed eam expresse reservat Ecclesiae Romanae : « Quae autem dixi, absque praeiudicio sane dicta sint sanius opinantis. Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cetera, quae eiusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus iudicio submittere ».

Plures cum Bernardo festi diffusionem improbarunt, ut Ioannes Belethus et Petrus Cellensis ; alii, ut Petrus Comestor et Nicolaus a S. Albano, illud defenderunt. Epistola Bernardi diffusionem quidem retardare ad tempus valuit, sed eam impedire nullatenus valuit.

b) Exinde controversia transiit ad Scholasticos ; quorum maximi privilegio Virginis videntur oppositi. Ita Petrus Lombardus, III Sent., d. 3, et auctor *Summae Sententiarum* qui eum sequitur, ac plerique eius commentatores : v. g. ex Ordine Fr. Minorum Alexander Halensis [1], S. Bonaventura, Ioannes Rupellensis, et Richardus de Mediavilla ; ex Ordine Praedicatorum S. Albertus M. [2], Petrus de Tarentasia, et S. Thomas. Quorum plures partialiter innixi sunt auctoritati S. Bernardi, vel et rationibus ab eo allegatis.

Ceterum privilegium Virginis tunc temporis saepius male proponebatur, v. g. ac si ageretur de munditia carnis aut de libertate a concupiscentia ; male explicabatur, v. g. ac si conceptio fuisset tota immaculata, nec solum passiva, sed et activa, aut non solum completa in infusione animae, sed et inchoata in carne, vel ac si Virgo formata fuisset ex particula quadam carnis in Adam peccato subtracta et per sequentes generationes servata ; male defendebatur, provocando scil. ad revelationes privatas, parum fidas scriptaque apocrypha : quibus omnibus res poterat videri obscura et suspecta. Maxime autem, quia duo non sufficienter perspiciebant : 1^{m}, quomodo generatio naturalis ex semine potest esse immunis a lege originalis peccati ; 2^{m},

1. Etiam in *Summa theologica*, p. 3, q. 9, m. 2, a. 1-3.
2. Etiam in *Mariale*, q. 139 et 143, § 2-3.

quomodo anima immunis ab originali peccato potest indigere redemptione. Nondum scil. recepta erat distinctio inter debitum seu necessitatem contrahendi, et actualem contractionem peccati orginalis. Hinc naturaliter magis concludebant in favorem legis peccati et universalis indigentiae redemptionis, quam non concipiebant nisi ut a peccato liberationem[1].

S. Bonaventura, melius quam antecessores, videtur quaestionem posuisse, in III Sent., d. 3, p. 1, a. 1, q. 1: an caro Virginis sanctificata fuit ante animationem? — q. 2 : an anima Virginis sanctificata fuit ante originalis peccati contractionem? — q. 3 : an B. Virgo sanctificata fuerit ante nativitatem? Ad 1m respondet, negative ; ad 2m, quae est questio nostra, postquam exposuit sententiam faventem privilegio, negativam amplectitur solutionem, non quasi foret omnino necessaria, sed utpote *communior* et *rationabilior* et *securior ;* ad 3m respondet affirmative : « si autem quaeratur, qua die vel hora sanctificata fuerit hoc ignoratur ; probabiliter tamen creditur quod cito post infusionem animae facta fuit infusio gratiae ». Nec obstat celebratio festi, quod dicitur postea, sub eius magisterio generali (a. 1263), pro toto Ordine Franciscano assumptum, nam, ut ait, q. 1, a. 4 : « Potest esse quod illa solemnitas potius referatur ad diem sanctificationis quam conceptionis, et quoniam dies conceptionis fuit certa et dies sanctificationis incerta, ideo... solemnitas diei sanctificationis statui... in die conceptionis ; nec immerito, quia quamvis conceptionis diem non oporteat celebrari pro eo quod non fuit sanctitas in conceptu, possunt tamen irreprehensibiliter gaudere sanctae animae pro eo scil. quod nunc inchoatum est..., attendendo magis sanctificationem futuram quam conceptionem praesentem » ; addens exemplum : « si filius regis claudus nascatur qui est a claudicatione processu temporis liberandus, non est de claudicatione dolendum, sed potius de nativitate gaudendum ».

Similia habet S. Thomas. In commentario super Sententias, III, d. 3, q. 1, a. 1 quaerit : 1° utrum B. Virgo sanctificata fuerit antequam conceptio carnis eius finiretur? — 2° utrum ante animationem sanctificata fuerit? — 3° utrum ante nativitatem ex utero?

Ad 1m respondet negative : non est sanctificata in parentibus, nec in actu conceptionis eius. Ad 2m dicit : non est sanctificata « ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat ; sed nec etiam in ipso primo instanti infusionis, ut scil. per gratiam tunc sibi infusam conservaretur ne culpam originalem incurreret : Christus enim hoc singulariter in humano genere habet ut redemptione non indigeat..., sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non posset, si alia anima

1. Van Noort, o. c., n. 254.

inveniretur, quae numquam originali macula fuisset infecta. Et ideo nec B. Virgini, nec alicui, praeter Christum, hoc concessum est ». Ad 3m respondet : affirmative, et multo excellentius aliis.

Item in Summa, III, q. 27, a. 2, quaestioni : utrum B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem? respondet : « Sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante animationem... : 1° Quia sanctificatio de qua loquimur non est nisi emundatio a peccato originali... ; culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis B. Virgo sanctificata non fuit. — 2° Quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia. — Et 3° si quocumque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, numquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum... Unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post animationem ». Nam « si numquam anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator » (ad 2). Et « licet Romana Ecclesia conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquam Ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc quod festum conceptionis celebratur, datur intelligi quod in sua conceptione fuerit sancta ; sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius, potius quam conceptionis, in die conceptionis ipsius » (ad 3m). Cfr. Quodl. VI, a. 7. Quae sane difficulter possent aliter explicari.

Qui tamen omnes pertinent ad unam scholam, Parisiensem, quae licet omnibus illustrior, non tamen repraesentabat opiniones omnium, nec a fortiori universam Ecclesiam aut sensum communem fidelium.

Ex quibus constat Scholasticos valde moderate et prudenter locutos, nec positive dixisse : immaculatam Virginis conceptionem asserere aut celebrare esse errorem, sed potius negative non perspexisse eius probabilitatem aut possibilitatem, in oeconomia salutis praesenti ; quare nihil impedit quominus sit veritas implicite revelata, quae postea luce clarius pateret omnibus.

54. **Opinio S. Thomae,** qualis sit, sub controversia nunc est, sicut et olim fuit, a tempore scil. Concilii Basileensis. Nec tantum apud extraneos, sed et apud suos,

Dominicanos : non tamen ab initio, nam omnes antiqui habuerunt illum ut non faventem immaculatae conceptioni, sicut Aegidius Romanus, Deza, Petrus de Tarentasia, Paludanus, Ioannes de Neapoli, Ioannes de Polliaco, Hervaeus Natalis, Capreolus, de Turrecremata, S. Antoninus, Ferrariensis, Caietanus, in opusc. de Conceptione B. M. V., in quo scil. opinionem S. Thomae defendit, sed tamen quamdam possibilitatem agnovit opinioni Scoti ; at inde a saec. XVI, quidam aliter interpretantur S. Thomam, et illum habent tamquam nullatenus oppositum conceptioni immaculatae aut etiam faventem, ut Seraphinus Capponi a Porrecta, Ioannes a S. Thoma, Natalis Alexander, et plures recentes[1].

De hac quaestione satis implicata liceat nobis dicere verbum ; salvo meliori iudicio.

1° S. Thomas non confutat nec negat immaculatam conceptionem qualis definita est ab Ecclesia, sed alios modos conceptionis immaculatae quos Ecclesia reprobat aut saltem non probavit, speciatim quod B. Virgo est virginaliter concepta, quod caro eius fuit purgata aut ipsa sanctificata ante infusionem animae, et generatim omnem modum munditiem aut sanctitatem adipiscendi independenter a Redemptore et redemptione.

2° Nec affirmat immaculatam conceptionem qualis fuit ab Ecclesia definita, sed non distinguit inter peccatum et eius debitum. Distinctionem illam tradit pro poena mortis : distinguit nempe necessitatem moriendi quae est poena, quam omnes incurrunt qui habuerunt peccatum originale ; et ipsam mortem, quam quis subire non posset (Q. D. de Malo 4, a. 6, ad 2 ; I-II, q. 81, a. 3, ad 1 ; IV Sent., d. 13, q. 1, a. 4, sol. 1, ad 3). Sed similem

1. Ita v. g. M. SPADA, *Esame critico sulla dottrina del Ang. dott. S. Tomaso di Aq. circa il peccato originale relativamente alla B. Verg. Maria*, Roma, 1839 ; N. DEL PRADO, *D. Thomas et Bulla Ineffabilis Deus*, Friburgi, 1919 ; HUGON, in *Dogmatica ;* P. LUMBRERAS, *S. Thomas and the immaculate Conception*, 1923 ; et nuperrime, G. FRIETHOFF, in *Angelicum*, 1933 ; et MANDONNET, *Notes sur l'Ave Maria et les critiques récents*, in *Bulletin Thomiste*, 1933. Conferri possunt PESCH, in *Theologia Dogmatica*, et L. JANSSENS, o. c., ; LE BACHELET, o. c. ; LÉPICIER, o. c. ; et CAMPANA, o. c., in sensu traditionali ; in sensu opposito, CORNOLDI, *Sententia S. Thomae Aq. de immunitate B. V. Dei Parentis a peccato originali*, Neapoli, 1870 ; et MORGOTT, o. c., p. 67 sq.

distinctionem, inter debitum et necessitatem contrahendi peccatum originale et ipsum peccatum contractum, nullibi agnovit. Unde simpliciter concludit B. V. peccatum originale contraxisse, aut animam eius contagio originalis peccati esse inquinatam et huius macula infectam ; atque eam sanctificatam esse *post* animationem : nullatenus distinguens inter prioritatem naturae et temporis, imo in talibus adiunctis in quibus sensus obvius videatur indicare posterioritatem temporis.

3° S. Thomas non est interpretandus, abstrahendo ab ideis et modo loquendi sui temporis, aut independenter a medio in quo vivebat et ad quod pertinebat, nempe scholae Parisiensis. Porro loquitur ad modum quo doctores Parisienses tunc loquebantur communiter, et communem opinionem professus est. Non quasi eam haberet invicte demonstratam, sed tamquam unicam verisimilem. Contrarie quorumdam opinio nullis apparebat solidis seu probabilibus argumentis munita ; festum autem conceptionis, quod in aliquibus celebrabatur Ecclesiis, potius tolerabatur et ab Ecclesia Romana non fiebat, atque in diverso sensu videbatur posse explicari.

Obiiciunt : a) Argumenta S. Thomae solummodo probant in B. Virgine fuisse debitum peccati originalis ; ergo non plus asseruisse existimandus est. — Resp. Haec conclusio supponit S. Thomam in argumentando infallibilem ; quod nulli legitur hucusque concessum. Obiective spectata, eius argumenta evidenter non probant plus quam debitum peccati ; secus demonstrarent dogma esse falsum ; at quaestio est de eorum structura et conclusione in mente S. Thomae. Ipse, cum inter peccatum originale et eius debitum non videatur distinguere, simpliciter concludit ad originale peccatum quod anima B. Virginis contraxit, et ad sanctificationem eius *post* animationem, et quidem *cito post* animationem.

b) S. Thomas, cum dicit B. Virginem contraxisse peccatum originale, non plus intelligit quam illud in potentia seu virtualiter, non actu, contraxisse, seu meram eius necessitatem aut debitum incurrisse.— Resp. Quid sit contrahere aliquid, dilucide exponit S. Thomas, III, q. 14, a. 3 : « In verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam, ut scil. illud dicatur contrahi quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis et horum defectuum in humana natura est peccatum... Et ideo illi *proprie* dicuntur hos defectus contrahere, qui

ex debito peccati hos defectus incurrunt »; similia habet in III Sent., d. 15, q. 1, a. 3[1]. Ad contrahendum ergo aliquid, requiruntur duo : 1° quod aliquid revera trahatur seu incurratur, 2° quod simul cum causa trahatur illud necessario inferente. Ergo, si bene intelligimus, dum solum debitum incurritur, hoc utique trahitur et simul causa peccati, at nullatenus cum sua causa trahitur seu contrahitur peccatum, sed sola causa eius. S. Thomas autem dixit B. Virginem contraxisse peccatum, non tantum debitum.

c) S. Thomas tradit principium summae puritatis a peccato in B. Virgine, I Sent., d. 17, q. 2, a. 4, ad 3; ac proin immaculatae conceptionis, d. 44, q. 1, a. 3. Cfr. etiam exp. in Ps. XIV, 2; in Ps. XVIII, 6, et in Or. Dom. pet. 5.— Resp. Enuntiat principium generale, sed ubi quaestionem nostram ex professo tractat, principium aliquatenus limitat, ponendo restrictionem : « in quantum possibile est », « inquantum non derogaret Christo » : ita III Sent., d. 3, q. 1, a. 2 et ad 3; III, q. 27, a. 2 et ad 2; Quodlib. VI, a. 7. Hinc verba possunt intelligi de summa immunitate a peccato actuali; vel si alicubi explicite mentio fiat de originali, dictum intelligi potest de perfecta immunitate peccati, sed a momento purificationis, aut de puritate quam B. Virgo habuit a momento incarnationis Christi, sicut loquitur S. Doctor, III, q. 27, a. 3, ad 3[2].

1. Perspicacius ibi dicit : « Illud *proprie* contrahitur quod ex necessitate, alio tracto, trahitur; et quia ex hoc ipso quod humanam naturam trahimus ex parentibus per vitiatam originem, sequitur de necessitate quod hos defectus habeamus; ideo dicimur hos defectus contrahere. Verbum contrahendi non solum importat traductionem, sed necessarium ordinem ad aliud tractum. Haec coniunctio *con* non solum notat similitudinem temporis, sed ordinem necessariae consecutionis unius ad alterum ».

2. Etiam obiiciunt verba Opusc. VI, *Exp. in Sal. Angelicam*, quod, post dubium, iam ut authenticum consideratur : « Purissima fuit et quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit ». Sed 1° lectio est incerta, propter diversitatem codicum mss.; 2° etiam minus quadrat cum contextu, in quo legitur : « peccatum est aut originale, et de isto fuit mundata ante nativitatem, aut mortale et veniale et de istis libera fuit » et « B. Virgo fuit in originali peccato concepta, sed non nata »; 3° opusculum praebet brevissimum compendium, forsan reportatum, cuiusdam concionis habendae, ponens praecipua puncta, quae non evolvuntur, et non semper accurate cum omni praecisione declarari possunt. Quapropter, dato conflictu, praeferenda sunt opera theologica in quibus quaestio ex professo examinatur.

Articulus II.

DE INTRINSECA RATIONE CONCEPTIONIS IMMACULATAE.

55. **Status quaestionis.** — Immaculata conceptio est privilegium quo, non iure proprio nec virtute sua, sed ex gratuita Dei voluntate, ob merita Christi Redemptoris, Maria praeservata fuit a peccato originali quod secus contrahere debuisset. Unde ad immaculatam conceptionem, qualis est in concreto, *essentialiter* pertinet quod Virgo a debito peccati originalis non fuerit immunis, dum tamen sit ab ipso peccato. Hinc ad intrinsecam intelligentiam dogmatis, oportet quaerere de intima *ratione* huius debiti, et de *modo* quo B. Virgo facta sit immunis a peccato quod incurrere debitum erat, et speciatim de *decreto* divino quod fuit causa huius immunitatis et privilegii mariani. Ad haec omnes non eodem modo respondent.

Debitum originalis peccati est necessitas antecedens et moralis exigentia incurrendi hoc peccatum, cadendi scil. sub lege transmissionis peccati originalis, ac proinde contrahendi, i. e. trahendi cum natura in Adam lapsa, illud peccatum, quod ideo omnes sine speciali Dei interventu contrahunt. Debitum aliud est *proximum* seu immediatum, quod immediate disponit ad contrahendum peccatum, et est necessitas ipsius peccati contrahendi seu cum natura trahendi; aliud est *remotum* seu mediatum, quod ad hoc disponit mediante aliquo alio, et est necessitas cadendi sub lege propagationis peccati et ita mediate disponendi ad peccatum. Sed ista non semper accurate, nec eodem modo ab omnibus explicantur[1]. Proximum enim aut magis remotum debitum possunt sumi :

a) *In ordine ad decreta praedestinationis divinae*, prout

1. L. JANSSENS, o. c., diss. de imm. conc., p. 34; J. SCHEEBEN, *Handbuch für kath. Dogmatik*, l. V, c. 5, n. 1676-1678. De tota hac quaestione scripsimus in *Rev. Eccl. de Liège*, IX, 1913 : *Immaculate concepta*, p. 170-178.

debitum sequatur praedestinationem et ideo *actuale* sit et *absolutum;* aut praedestinationem solum praecedat et sit tantum *potentiale* et mere *conditionatum.*

b) *In ordine ad ipsam personam B. Virginis,* prout debitum *formaliter* sit in ipsa et eam afficiat, quasi dispositio in ipsa ad contrahendum peccatum ; aut, e contra, solum *radicaliter* existat in causis.

c) *In ordine ad conditionem legis transmissionis peccati,* prout Maria fuerit subiecta huic legi et solum praeservata ab eius applicatione, aut etiam immunis ab ipsa lege.

Hinc ad pleniorem intelligentiam immaculatae conceptionis investigandum erit :

1° An debitum contrahendi peccatum originale fuerit actuale et absolutum, vel mere conditionatum et in potentia?

2° An debitum illud existat formaliter in B. Virgine, vel solum radicaliter in causis?

3° An debitum fuerit immediatum, ita ut Maria cadat sub ipsa lege transmissionis peccati, quamvis ab applicatione huius legis fuerit exceptionaliter praeservata ; vel mediatum, ita ut solum fuerit ipsi necessitas cadendi sub lege peccati transmittendi, sed tamen ab ipsa hac lege fuerit praeservata?

Tribus hisce quaestionibus respondendum est. Interea omittimus explicationes certo falsas, antiquatas, aut quasi legendarias conceptionis immaculatae : vel per conceptum virginalem sub influxu miraculoso Spiritus Sancti ; — vel per actionem generativam parentum sine concupiscentia naturae lapsae exercitam, — vel per sanctificationem B. Mariae anticipatam, quae eius conceptionem praecederet et non esset ex meritis Christi Salvatoris. Omnes illae sententiae a dogmate definito recedunt, et hoc ipso reiiciendae sunt, quod B. Virgo Maria non indigeret redemptione, nec esset a Christo redempta.

56. Debitum originalis peccati est actuale et absolutum, nec sufficit mere conditionatum et in potentia. — Dixerunt plures B. Virgini debitum peccati non fuisse actu et absolutum, sed tantum fuisse conditionatum et in potentia, ac si B. Virgo solum debuisset aut potuisset debitum contrahere, sed non debuit,

nec in ipsa debitum aliquando fuit ; quia, conformiter ad falsum modum intelligendi peccatum originale, tenent Mariam non fuisse seminaliter in Adam quoad amissionem iustitiae originalis et gratiae, nec Adam hanc pro ea perdidisse :

a) Vel quasi Deus in voluntate Adae incluserit omnes posteros, excepta tamen Maria, uti loquuntur v. g. Lugo et S. Alphonsus ; aut ac si Adam B. Virginem voluntate sua excluserit.

b) Vel quasi Deus, in pacto inito cum Adam, noluerit (ante praevisum peccatum) B. Virginem includere in perditione qua minatus est totum genus humanum pro infidelitate primi hominis : ita Catharinus et Wirceburgenses.

c) Vel quasi Deus, in decreto positivo suae liberae voluntatis, quo Adam constituitur caput morale generis humani, B. Virginem comprehendere noluerit : ita inter alios Mazella ; quod tamen diversimode explicatur.

Hi omnes admittunt debitum quod fuisset, si non exempta sed in Adam comprehensa fuisset ; non autem debitum quod revera aliquando fuit. Sed, aequivalenter et de facto, id est revera negare omne verum debitum : Virgo in casu habuisset debitum, si alius ordo a Deo statutus fuisset, sed in praesenti ordine debito caret.

Omnes isti modi falsi sunt. Nam :

1° Opponuntur rectae doctrinae de peccato originali, cuius propagatio non a positiva Dei voluntate pendet sed ex natura rerum. Per hoc enim quod, Deo volente, iustitia originalis et gratia data fuit, non quidem separatim singulis hominibus, sed ipsi naturae humanae et totum genus humanum in Adam fuit elevatum, eo ipso, non libere ex quadam positiva voluntate Dei, sed ex natura rei necessario agit Adam loco omnium posterorum, etiam Mariae, in ordine ad transmittendum gratiam iustitiae originalis, aut eius privationem. Unde Maria vere fuit in Adam, quoad gratiam et peccatum, et ideo, Adam peccante, ipsi revera fuit verum debitum capitis Adae ad contrahendum peccatum originale.

Requiritur sane liberum decretum positivum Dei ut genus

humanum elevaretur ad ordinem supernaturalem et gratiam, ut Adae, tamquam capiti physico totius suae posteritatis, daretur iustitia originalis, et haec intime uniretur ipsi naturae humanae. At, hoc posito, sine ullo novo decreto et extra omnem aliam voluntatem Dei positivam, necessario Adam conservabat, aut amittebat, gratiam iustitiae originalis pro omnibus suis posteris sine exceptione. Ergo, sicut, non peccante, eam conservasset ad eam transmittendam Mariae, ita nunc, ipso peccante, eam pro Maria perdidit.

2° Opponuntur etiam dogmati universalis Redemptionis (I Tim. II, 5 ; Hebr. XII, 15 ; Ioann. XIV, 6). Si vera necessitas contrahendi non fuit, B. Virgo non est ullo modo *liberata* a peccato, nec proinde est *redempta*. Posset gratiam habere ex liberalitate et esse sanctificatam etiam ex meritis Filii quia mater Dei ; non tamen haberet ex misericordia Dei et ex meritis Christi *Redemptoris*, ut aiunt Alexander VII et Pius IX, i. e. liberantis a peccato primi hominis, nec *ex morte Christi*, ut dicit Sixtus IV, or. in Off. imm. Conc. Non enim intelligitur quomodo merita Redemptoris, quae logice peccatum Adae supponunt, vim haberent excipiendi a peccato capitis, seu a necessitate dependendi a capite quae logice peccatum antecedit. Prius enim ad redemptionem videt Deus peccatum originale ; si ergo tunc B. Virgo iam erat exempta, quomodo erit redempta ?

Apposite Palmieri[1] : « Sepositis meritis Christi Redemptoris, B. Virgo, eo quod filia Adae, habuisset peccatum vel non ? Si affirmas, ponis debitum... ; si negas, negas fuisse eam redemptam, seu intuitu meritorum Redemptoris praeservatam a peccato. Nec debitum debiti fingi potest ; secus iremus in infinitum. Itaque quemadmodum, si Adam non peccasset, inducta esset necessitas quaedam, et B. Virgo ex eo orta haberet iustitiam originalem, ita peccante illo, inducta est necessitas Virgini contrahendi peccati ».

57. Debitum absolutum originalis peccati formaliter in B. Virgine non videtur ponendum, sed sufficit radicaliter existat, scil. in ipsius causis. — Supposito debito revera existente, non videtur admittendum debitum omnino proximum in B. Virgine for-

1. *De Deo Creante*, t. LXXXIX.

maliter realisatum et actuatum, inquinans aut maculans ut in nobis ; quod plures posuerunt sive in anima, sive in corpore.

a) *In anima*, dixerunt primo temporis momento, positivam adesse dispositionem ad originale peccatum. In hoc uno temporis momento debent logice distingui plura instantia rationis, quatenus unum alteri praesupponitur : prius scil. est animam creari, tunc infundi seu uniri corpori, tunc corpus animari, tunc humanam personam constitui quae est subiectum capax gratiae et peccati tunc gratia dotari sanctificante et peccatum excludente. Haec omnia in B. Virgine facta sunt tempore simul, scil. in primo momento temporis suae existentiae ; sed ista distinguenda sunt ratione, quia unum alterum logice praecedit, sicut alterum primum supponit et consequitur. Iamvero dicunt in instanti rationis quo persona humana cogitatur subiectum capax gratiae vel peccati, B. Virginis animam esse peccati originalis vere obnoxiam, sicut nostram ; ac proinde esse in anima veram necessitatem aut exigentiam peccati, qua scil. gratiae fit moraliter incapax et positive indigna ; quae indignitas instanti rationis sequenti, adveniente gratia, evanescit.

Ita debitum concipiunt v. g. Caietanus, in opusc. de Concept. B. M. V., c. 3 ; et Suarez, de mysteriis Christi, disp. 3, sect. 4[1] ; — imo Vasquez, in III^{m}, disp. 106, c. 5, tenet B. Virginem semper mansisse obnoxiam debiti, sed hoc videtur excessivum, nam gratia informante extinctum est. Debitum enim extinguitur remissione debiti ; hinc durante tota vita sua verum est quod B. Virgo semper *debuit* primo instanti habere peccatum, sed in posterum non amplius *debet*.

Huiusmodi debitum ad minus admittere debent illi, qui S. Thomam existimant non oppositum immaculatae conceptioni ; quia S. Doctor admittit animam Virginis primo momento fuisse contagio peccati infectam eiusque macula inquinatam, ita ut non solum natura humana in ipsa, sed ipsa eius persona indiguerit redemptione[2].

1. Id nonnunquam tribuitur Scoto. Legendo tamen insignem immaculatae conceptionis defensorem, id nobis non apparuit, licet ipse admiserit verum debitum absolutum et proximum, non solum remotum et conditionatum, sed in naturali origine consistens qua Maria vere subiiciebatur necessitati peccatum contrahendi.
2. Cfr. de hac re DEL PRADO, o. c., p. 126.

At ista aegre videntur posse componi cum dogmate immaculatae conceptionis. Nam dispositio, necessitas et exigentia peccati simul tempore cum gratia remissiva esse non potest, et positiva indignitas gratiae et vitae aeternae non potest esse simul cum gratia quae nos reddit vitae aeternae positive et intrinsece dignos. Inter gratiam et peccatum est oppositio formalis : gratia omne excludit debitum, necessitatem aut exigentiam maculae et peccati.

b) *In corpore*, ob peccatum Adae, est habitualis dispositio ad inordinate concupiscendum, quae est medium transmittendi peccatum originale, ac privationem gratiae et iustitiae exigit. Ita post Augustinum, sat generatim docent theologi. Quapropter plures dixerunt in carne B. Virginis esse eamdem dispositionem habitualem ac in nobis, et ab ea exigi privationem gratiae et iustititae in anima ipsius, sicque esse debitum seu necessitatem incurrendi peccatum originale, quod a carne derivatur ad animam. Sed hoc non necessario debet admitti ; nam ab illa dispositione concupiscendi B. Virgo potuit praeservari, sicut a peccto, in primo momento suae conceptionis et infusionis animae, ut dicemus q. 3 ; imo ante infusionem animae, in ipsa inchoata conceptione seu efformatione corporis[1].

Docuerunt magni Scholastici concupiscentiae fomitem in B. Virgine non fuisse ab initio extinctum, sed solum ligatum ne in inordinatum motum transiret ; extinctum vero in ea fuisse, superveniente in ea Spiritu sancto ad conceptionem et incarnationem Christi. Ita Petrus Lombardus, Alexander Alensis, S. Bonaventura, S. Albertus M., S. Thomas, Petrus a Tarentasia, Richardus a Mediavilla, Aegidius Romanus, etc. Scotus vero docuit carnem B. Virginis numquam fuisse infectam, sed a primo momento conceptionis esse a concupiscentia praeservatam, sicut anima Mariae praeservabatur a peccato ; et eodem modo post ipsum, plures defensores immaculatae conceptionis. A tempore vero quo consensus in veritatem conceptionis immaculatae factus est sat unanimis, et praesertim post definitionem Pii IX, fere omnes id admittunt.

1. Moderni ista distinguere non solent, cum sat generatim a primo momento ponant in ovulo fecundato advenire animam rationalem. At etiam pro eis qui animationem posteriorem existimant, facilius est dicere Spiritum sanctum ab initio ovulum fecundatum et embryonem radicaliter praeservasse ab omni tendentia ad inordinate concupiscendum, quam postea illam exstinguisse.

Igitur debitum peccati non ponit necessario aliquid in B. Virgine, sed ex culpa protoparentis mera necessitas est ut omnes qui ab eo generantur peccatum habeant, ac proinde etiam Maria, si sibi ipsi fuisset relicta. At, si debitum non est formaliter in Virgine, ubinam est reponendum ? Existit radicaliter, scil. in causis : in Adam, eiusque actuali peccato, et in facto naturalis generationis, ex quibus Mariae debitum fuit ut ipsa peccatum contraheret, nisi Deus impediret ; hoc tamen Ipse impedivit.

58. **Debitum peccati originalis probabilius est proximum,** ita ut B. Virgo cadat sub lege transmissionis peccati et praeservata fuerit ab huius applicatione, nullatenus vero ab ipsa lege immunis fuerit. — Admisso debito absoluto, sed non inquinante ipsam B. Virginis personam, minoris momenti est quaerere utrum debitum fuerit ita *proximum*, ut Maria subiecta fuerit ipsi legi transmittendi peccatum, eodem modo ac iustitiam, et a sola applicatione legis fuerit exempta, — aut e contra debitum fuerit magis *remotum*, ita ut etiam ab ipsa lege possit aliquo rationabili sensu dici immunis, quamvis ex naturali sua conditione filiae ex Adam genitae, sine speciali interventu Dei, huic legi subiecta fuisset.

Immunem fuisse et a lege dicunt omnes qui debitum mere conditionatum ponunt, sed ita falso opinantur, quia id est revera omne debitum negare, ut diximus, n. 56[1]. Unde multi debitum proximum statuunt, quia eo ipso quod Maria in Adam fuerit, *prius* subiecta fuerit legi transmittendi peccati originalis, et tantum *post* stabilitam legem et praevisum peccatum Deus voluit ipsam dispensare a lege et eam non applicare[2]. Forsitan tamen dici

1. Solum debitum remotum asserunt Catharinus, Viguerius, Salazar, Lezana, Nierenberg, Wirceburgenses, Vega, Mazzella, L. Janssens, Campana, Blondiau (in *Coll. Namurc.*, 1912) et Neo-Scotistae, hac in re a Scoto recedentes (cfr. *Thesis Franciscalium de praeelectione Ch' logica deductione ipsos duxit ad Imm. Conc. pro viribus tuendam*), de Caparroso, Alastruey.

2. Debitum proximum tuentur Scotus, Suarez, Vasquez, Valentia, S. Bellarminus, Tannerus, Becanus, Hurter, Palmieri, Billot, Pignataro,

posset etiam ab ipsa lege immunis, secundum quod innuit Lugo[1], quatenus Deus *simul* ac legem constituit et sancivit (et ideo ante praevisum peccatum), exceptionem conditionalem in ipsa lege introduxisset : in hypothesi peccati et incarnationis, illi quae erit mater Christi volo omnino, propter Christi merita, concedere gratiam titulo personali. Ita matri Christi novum titulum ad gratiam concederet loco tituli quem Adam pro ea amitteret, et ideo B. Virgini semper remaneret aliquis titulus ad gratiam, et sic non subiiceretur legi transmittendi gratiae privationem.

Id tamen stricte demonstrari nequit quia ita facere Deus non tenetur : ex maternitate divina non oritur verum ius seu stricta exigentia, sicut in Christo, sed sola convenientia et titulus decentiae ad gratiam habendam. Et ideo Deus, statuendo et sanciendo legem, non debuit definire an gratiam concederet in omni hypothesi ; sed etiam potuit solum concedere post statutam legem et peccatum praevisum, quo Adam gratiam pro Maria amisit, ac tunc Mariam a consequentia legis excipere.

Ne dicatur : a) Debitum proximum esse maculam et infectionem, quae minuit puritatem et repugnat maximae sanctitati Virginis. Nam dicta sanctitas intelligi nequit nisi existat persona, et nullus maculae capax est antequam existat ; et ideo, cum debitum non attingat personam Mariae nec illi insit, verum manet B. Virginem in primo existentiae momento ab *omni* macula immunem fuisse.

b) Vel puritate et sanctitate B. Virginem esse angelis et protoparentibus maiorem ; isti autem non habuerunt peccati debitum. Nam, cum debitum non sit macula, puritati Mariae nullatenus est obstaculum ; secus enim et ab omni debito, etiam remoto, deberet esse immunis, nec indigere redemptione, quod repugnat dogmati[2].

c) Nec propterea est dicendum B. Virginem in Adam peccasse ac gratiam amisisse. Id verum non est nisi in actu primo, radi-

Van Noort, Van der Meersch, in *Coll. Brug.* 1905, Del Val, Lépicier, Van Crombrugghe, Zubizarreta, et generatim Thomistae, ut videre est apud Del Prado, o. c.

1. *De Incarnatione*, disp. 7, sect. 3, n. 37 sq.

2. Hinc de sententia debiti remoti, ait Suarez, disp. 3, sect. 2, n. 2 : « Licet speciem quamdam pietatis prae se ferat, tamen nec Scripturae sanctae nec Patribus videtur consentaneum ».

caliter, quoad sufficientiam et hypothetice, quatenus in Adam peccasset et gratiam amisisset si Deus non impedisset. Ut enim Anselmus dicit : « Non quia tunc peccavimus in Adam, qui nondum eramus, sed tunc facta est necessitas, ut cum essemus, peccaremus », nisi tamen Deus hoc impediret. Ista necessitas seu debitum non est nisi origo nostra naturalis[1].

59. Conclusio. — Maria itaque non peccavit nec gratiam amisit, sed Adam amisit pro ipsa. Non fuit affecta quadam intrinseca necessitate et morali exigentia contrahendi peccatum, seu inquinata quadam dispositione qua esset peccati digna, gratiae indigna ; sed ex Adae culpa fuit ipsi debitum et necessitas ut inquinaretur. Quod debitum ad hoc reducitur : considerata naturali origine, non solum potuisset aut debuisset, sed vere potuit et debuit habere peccatum, ac istud etiam contraxisset, nisi Deus exceptionaliter legem peccatum incurrendi in ea suspendisset.

60. Animadversio. — Ne existimetur solutionem quaestionis pendere a loco Mariae reservato in divina praedestinatione :

1. Ac, si in decretis *prius* sit destinata mater Dei sanctissima antequam intenta ut filia Adae, censenda sit habere solum debitum remotum ; e contra si prius cogitetur filia Adae antequam praedestinetur mater Dei, habeat debitum proximum. Iamvero primum videtur convenientissimum, uti censent plures Neo-Scotistae, et etiam L. Janssens et Campana.

Etenim in decretis divinis *simul* volita est ut filia Adae et ut mater Dei, nec mater Dei nisi ut filia Adae. Nam, iuxta decreta divina, Verbum incarnandum non erat nisi in carne de Adam sumpta, quia Verbum voluit esse de nostro genere ex Adam oriundo. Et ideo in ipso primo incarnationis decreto, includitur quod Christus nasceretur ex filia Adae. Non ergo Maria prius

1. Nonnumquam invocant Scripturam, nempe dictum de Esther, quae erat typus Mariae : *Non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est* (XV, 13) ; ergo Maria non solum ab applicatione legis est immunis, sed ab ipsa lege. — At argumentum non est rigorosum. Nam 1° agitur forsan de sensu mere accomodatitio, qui valorem non habet nisi in mensura qua exprimit sensum Ecclesiae ; istius autem, textum applicando, intentio deest proferendi quod Maria iure sit a lege exempta, sed solum quod ab ipsa fuit liberata de facto. 2° Ceterum sensus obvius, etiam spectato contextu, videtur intelligendus : Non enim pro te *applicanda* haec lex constituta est. Esther, sicut omnes sub potestate Assueri constituti, erat subdita legi cuius applicationem timebat, sed rex executionem legis pro ipsa suspendit.

praedestinata fuit mater Dei quam filia Adae, nam *ante omnia* voluit Christus nasci de natura humana nostra et de carne nostra.

2. Nec sufficit dicere, cum Salazar et Campana, quod Maria nec cogitata fuisset nec extitisset, si Adam non peccasset, ac proinde debitum proximum habere non potuit.

Etsi id verum sit, licet certo non constet, conclusio tamen non sequitur. Nam multi sunt qui nunc existunt et non extitissent in statu innocentiae, sicut e contra plures sunt qui tunc extitissent, nunc autem non existunt. Et nihilominus omnes nunc nascituri peccatum originale contrahere debent, quia lex non lata est pro his determinatis personis, sed indeterminate : Omnis qui nascitur ex Adam naturali generatione subiicitur peccato. Maria ergo huic legi poterat subiici, eo ipso quod mater Dei volita erat filia Adae.

61. Corollaria. — Quia B. Virgo peccato originali caruit, ideo :

1º Nec debuit subire effectus seu sequelas peccati, i. e. non habuit ipsum morale debitum proximum et immediatum ad hos effectus contrahendos, quod est ipsum peccatum originale, sed solum debitum remotum, scil. subeundi peccatum originale : a debito proximo subeundi effectus liberata fuit simul ac a peccato.

2º Unde si quaedam sequelae in ipsa fuerint, non habent rationem poenae, sed sunt naturales defectus naturae sibi relictae. Quod constat ex damnatione propositionis 73 Baii.

3º Nam ex eo quod liberata fuerit ab originali peccato per gratiam, non sequitur quod liberata fuerit ab effectibus : Deus enim qui peccatum impedivit et gratiam ab Adam perditam restituit, potuit non reddere dona connexa iustitiae originalis quae Adam simul deperdidit. Sic baptizatis restituitur gratia, at sine reliquis donis originalis iustitiae.

4º Ita B. Virgo passibilitatem et mortalitatem habuit, — quamvis non ut poenam peccati, — quia ex una parte cum perfecta sanctitate componuntur, et ex altera parte in finem Redemptionis ab ipso Christo assumptae fuerunt, cui B. Virgo assimilatur, utpote ipsi cooperatura : non tamen *corruptionem*, v. g. morbos, habuit quam includunt, sicut nec Christus, v. g. reversionem in pulverem.

5º E contra non habuit inordinatam concupiscentiam, nec proinde ignorantiam : illa enim ad peccatum inclinat et morale quoddammodo inquinamentum includit et a Christo aliena remansit, perfectioni sanctitatis seu maximae puritati repugnat, ac imperfectionem moralem accusat ; quare motus eius sunt culpabiles nisi ignorantia vincibilis, aut impotentia eos vitandi excuset. De quo longius sumus dicturi in quaest. 3ª.

Quodsi, dubio existente immaculatae conceptionis, multi cum S. Thoma docuerint concupiscentiam prius ligatam fuisse, postea extinctam, quando B. Virgo recepit plenitudinem gratiae in Incarnatione, hodie tamen docent quasi omnes absentiam completam concupiscentiae inde ab initio, quia tunc iam erat Maria gratia plena. Imo possibile videtur im embryone, etiam ante infusionem animae, nullas fuisse dispositiones ad concupiscendum, sed illas a Spiritu sancto fuisse impeditas, licet connaturaliter secuturae erant ex generatione parentum, secundum naturam concupiscentiae subiectam generantium.

6º Hinc *cum donis* iustitiae orginalis creata fuit *quoad animam*, ac proinde in ipsa fuit integritas, seu immunitas ab ignorantia et concupiscentia, et ideo nulla vulnera erant peccati : non error intellectus, non voluntatis malitia, non debilitas et infirmitas vis irascibilis, nec libido concupiscibilis. Non autem in originali iustitia fuit *quoad corpus*, ac proinde non erat immunitas a passibilitate et mortalitate, seu posse non pati et non mori, sed vera necessitas physica hisce subiacendi, sicut in Christo.

7º Non tamen creata fuit *in statu* originalis iustitiae, ac si iustitia originalis esset connexa eius naturae, nam Adam eam amisit pro tota natura et omnibus posteris eius ; sed ipsam gratiam ac quaedam dona iustitiae originalis, uti donum integritatis, personaliter habuit inde a primo momento suae creationis.

Nam B. Virgo praeservata fuit « a peccato originali quantum ad maculam personalem : non tamen liberata fuit a reatu, quo tota natura tenebatur obnoxia », ait S. Thomas, III, q. 27, a. 1, ad 3.

8º Hinc facile intelligitur quod nullum peccatum

committere potuit actuale, nec minimum veniale, et quod aliquo sensu dici possit impeccabilis.

De quo nunc est dicendum.

QUAESTIO SECUNDA

MATER DEI EST IMMUNIS AB OMNI ETIAM MINIMO PECCATO ACTUALI.

62. Status quaestionis. — In hac re nonnulli erraverunt :

1° Protestantes, ut Luther et Calvinus cum suis, non paucorum peccatorum B. Mariam inculpant : sive incredulitatis scil. (Lc. I, 34), sive negligentiae in amittendo Filio (Lc. II, 43), sive desperabundae anxietatis et impatientiae in ipsum quaerendo (Lc. II, 48), sive inanis gloriae et ostentationis in miraculo ab eo requirendo (Io. II, 3), necnon ambitionis et importunitatis, quando ut ostenderet se Filio dominari et in eum auctoritatem exercere, intempestive ad eum docentem accessit, ei nuntiando : *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes te* (Mt. XII, 47).

2° Etiam quidam Patres non recte senserunt hac in re, uti Tertullianus asserens Mariam per tempus in Christum non credidisse (de carne Ch[i], c. 7 ; de monogamia, 8) ; Origenes (hom. 17 in Lc.) et Cyrillus Alexandrinus (in Ioan. XIX, 25) gladium doloris a Simeone praedictum interpretantes de dubitatione et scandalo quod experta est in passione ; Chrysostomus (hom. 21 in Ioan. 2 et hom. 44 in Mt. 2) eam ream habens inanis gloriae et ambitionis : similia inveniuntur apud Theophylactum, Amphilochium et Euthymium ; Basilius vero (ep. 260, n. 9) animum eius dubitationi et fluctuationi dicit obnoxium sub cruce Filii.

63. B. Virginem Mariam ab omni peccato actuali fuisse immunem, etiam minimo, est certa et catholica doctrina. — Ita enim aperte declaratur in solemni definitione Conc. Tridentini, sess. 6, can. 23 :

« Si quis hominem semel iustificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, *quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*, a. s. » Non tamen est de fide, quia non dicitur Ecclesia id credere, sed solum *tenere*. Etiam patet ex damnatione prop. 73 Baii et ex bulla *Ineffabilis Deus :*

« Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa *ab omni prorsus peccati labe semper libera*, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest ».

Probatur : A. *Ex Scripturis :*

1° *Implicite affirmatur* in Protoevangelio, Gen. III, 15, ubi inimicitiae absolutae et perpetuae ad daemonem indicant immunitatem a peccato saltem mortali.

2° *Innuitur* ab angelo salutanti, Lc. I, 28 : *Ave, gratia plena ;* et quidem universaliter quantum ad omne peccatum. Nam mortale gratiam evacuat ; et « ubi aliquid de peccato veniali, ibi aliquid vacuum de gratia ; sed ipsa Maria plena gratia fuit ; ergo nihil de peccato fuit in ipsa », ait S. Albertus M., Mariale, q. 133.

3° Unde in Cant. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias ;* et IV, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

B. *Ex Traditione*, cuius plura documenta de hac re suasionem manifestant[1] :

1° quidem, primis saeculis familiaris reperitur comparatio inter Mariam et Ecclesiam, quarum utraque *virgo casta* exhibetur, libera ab omni macula et ruga ; quae comparatio est ad modum fundamenti in declarationibus Hermae, Hegesippi, Clementis Alex. ;

2° inde a saec. II, denominatio *virgo sancta* applicari solet Mariae ad instar nominis proprii atque distinctivi, ad indicandum qualis fuerit, secundum corpus et se-

1. VAN CROMBRUGGHE, o. c., c. 3, a. 1, prop. XII ; NEUBERT, *Maria dans l'Église anténicéenne.*

cundum animam, illa quae est electa in matrem Filii Dei : ita Liber *Ascensio Isaiae* declarat S. Ioseph custodivisse Mariam tamquam virginem sanctam ; et eadem expressione utitur S. Hippolytus, qui de cetero testatur Dominum ex lignis immunibus a putrefactione, i. e. ex Virgine et Spirito sancto, ortum esse ;

3° inde a saec. IV, abundant testimonia explicita, ut Athanasii, fragm. comm. in Lc. ; Ephraemi Carm. Nis. ; op. gr. lat. III, p. 258 ; Ambrosii exp. in Ps. 118, serm. 22, n. 30 ; et de Virg. l. 2 ; Augustini, de nat. et gr., c. 36 ; Liturgia S. Iacobi ap. a Conc. oec. VI suscepta ; Ioannis Dam. (?), hom. in Nat. Mar., n. 4 ; Bernardi, in ep. 174, n. 5, ad Canonicos Lugdunenses.

C. *Ratione* quam ita proponit S. Thomas, III, q. 27, a. 4 :

« Dicendum quod illos quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id quod eliguntur, inveniantur idonei... Beata autem Virgo fuit electa divinitus ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod angelus ad eam dicit, Lc. I, 30 : *Invenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies...*

Non autem fuisset idonea mater Dei si peccasset aliquando :

1° Tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prov. XVII, 6 : *Gloria filiorum, patres eorum ;* unde et per oppositum ignominia matris ad filium redundasset.

2° Tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem, II Cor. VI, 15 : *Quae conventio Christi ad Belial?*

3° Tum etiam quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem, Sap. I, 4 : *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Et ideo simpliciter fatendum est quod B. Virgo nullum peccatum actuale commisit, nec mortale, nec veniale ;

ut sic in ea impleatur quod dicitur, Cant. IV, 7 : *Tota pulchra es, amica mea et macula non est in te*[1] ».

Ita quod « B. Virgo quae fuit a Deo electa in matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam Ioannes Baptista..., cuius signum est quod B. Virgini praestitum est ut de cetero non peccaret, nec mortaliter nec venialiter : aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse ut de cetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente » (a. 6, ad 1).

Confirmatur ex consortio B. Virginis in opere Redemptionis : Maria enim tamquam nova Eva electa est a Deo, ut Christo novo Adamo cooperaretur in genere humano a peccatis redimendo ; cui fini nihil est magis contrarium quam peccatum, quod ceteroquin satisfactionis virtutem impedit vel infirmat, nam, ut ait Eccli. XXXIV, 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus.*

64. **Obiiciunt** contradictionem apparentem hodiernae doctrinae de perfecta Virginis impeccantia, cum quibusdam dictis Scripturae et antiquae traditionis ; quae peccata saltem venialia affirmare de ea videntur vel et ipsi tribuunt.

Resp. A. *Quantum ad Scripturam*, nullum peccatum Mariae adscribitur :

1° Non *incredulitatis ;* verba proferendo ad angelum, Lc. I, 34 : *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco ?* non movebatur incredulitate, sed religione ob suum votum, siquidem non dubitat de facto, sed modum requirit et ordinem : neque enim quaerit an fiet istud, sed quomodo. Unde et Elisabeth, repleta Spiritu sancto, Maria de fide sua laudat, dicendo : *Beata quae credidisti...*, Lc. I, 45.

2° Non *negligentiae* in amittendo Filium, nam existimabat esse in comitatu (Lc. II, 44), cum sociis itineris, quia turmatim proficisci solebant in tali occasione, et ceteroquin cognoscens virtutem et sapientiam eius, non erat cur sollicitior esset de Filio.

3° Non nimiae *anxietatis aut impatientiae* in ipsum quaerendo, nam verba Lc. II, 48 : *Fili, quid fecisti nobis sic ? ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te ?* nihil manifestant nisi ingentem eius amorem et dolorem. Responsum autem Christi : *Quid est quod me quaerebatis ? Nesciebatis quia in his quae Patris mei*

1. Istae rationes etiam valent pro peccato originali, et defensores privilegii ipsis his rationibus S. Thomae usi sunt ad illud stabiliendum.

sunt, oportet me esse? (49), non est reprehendentis, sed instruentis, quoniam praeter operationes communes in quibus parentibus subditus erat, alias oportebat habere spectantes ad divinam missionem, in quibus soli Patri obediebat quando et quomodo ipsi placuerit.

4° Non *inanis gloriae et ostentationis* in requirendo miraculo, nam verba Io. II, 3 : *Vinum non habent*, non sunt nisi discreta ex confidentia petitio, ut Iesus sociali invitantium honori vellet providere, cui ceteroquin obsequens, signorum suorum fecit initium [1].

5° Non *ambitionis et importunitatis*, Mt. XII, 46-47. Nam nullum est ibi signum ambitionis. Ut constat ex loco parallelo Mc. III, 21, cognati *sui exierunt tenere eum: dicebant enim quoniam in furorem* (i. e. exaltationem) *versus est*, sive ipsi hoc dicebant, sive ab aliis dicebatur per rumorem. Unde *veniunt mater eius et fratres: et foris stantes miserunt ad eum vocantes* (31). Neque Maria dicitur ita cogitasse aut voluisse ostentare se Filio dominari, et in eum auctoritatem exercere; at sequebatur cognatos ex materna pietate et affectu, non quasi rumòri morem gerens, sed de agendis circa Filium pie sollicita [2].

B. *Quantum ad traditionem Patrum*, animadvertendum quosdam ita locutos, non ut doctores fidei et testes traditionalis doctrinae Ecclesiae sed ut doctores privatos, ad enodandas quasdam e locis Scripturae difficultates, atque re minime discussa, et nondum universaliter invalescente traditione explicita de perfecta Mariae impeccantia; aut falso ducti principio quod nisi peccasset, redemptione non eguisset : principio scil. necessitatis peccati admissi, ut possit esse redemptio.

In specie : 1° Tertullianus, hac in re, a traditione recedit, cuius ceteroquin textus difficiliores sunt ab eo tempore quo plus minusve ad montanismum inclinabat.

2° Origenes ponebat in Maria peccatum ut ipsa posset redimi, et mortuus esset Iesus pro peccatis eius; at satis indicabat se hac in re innovare ac coaevis contradicere, cum loquatur interrogando : « Quid? Putamus quod scandalizatis apostolis, Mater Domini a scandalo fuerit immunis? » Nec sibi constans videtur, cum alibi singularem omnino et perfectam plenitudinem gratiae asserat, quae immunitatem ab omni peccato implicite continet.

1. Vide supra, p. 49-50.
2. Cfr. de his omnibus, S. Petrus Canisius, *De Maria Deipara Virgine*, l. IV; Knabenbauer, *Comm. in Lucam;* Lagrange, *Évangile selon S. Marc; Évangile selon S. Matthieu.*

3° Chrysostomus non est hac in re probandus, cum nihil in Scripturis indicet ambitionem. Unde S. Thomas, ad 3 : « In verbis illis Chrysostomus excessit »; nihilominus verba Christi abnuentis, forsitan « possunt exponi, ut intelligatur in ea Dominum cohibuisse, non inordinatum inanis gloriae motum quantum ad ipsam, sed id quod ab aliis posset aestimari ».

4° Cyrillus Alexandrinus gladium a Simeone praedictum interpretatur, non de dolore compassionis, ut probabilius videtur intelligendus, sed de gladio contradictionis quo cor dividebatur quasi in duas partes, et quidem per dubitationes circa fidem; at id non formaliter tribuit culpae, sed possit censeri merae debilitatis femineae et infirmitatis, aut tentationis.

5° Basilius denique similem habet interpretationem quasi in passione Maria dubitationem peccaminosam passa esset et divisionem mentis, quia « vice omnium de morte gustandum erat Domino » : reputans scil. id necessarium fuisse ut indigeret redemptione. Licet benignius dicat S. Thomas, ad 2, « non est intelligenda dubitatio infidelitatis, sed admirationis et discussionis. Dicit enim Basilius quod « B. Virgo assistens cruci et aspiciens singula, post testimonium Gabrielis, post ineffabilem divinae conceptionis notitiam, post ingentem miraculorum ostentationem animo fluctuabat », ex una parte videns eum pati abiecta, et ex alia parte considerans eius mirifica ».

Ceterum iidem Patres alibi solent extollere praeclaram Mariae perfectionem.

65. **Corollarium.** — Non solum minima peccata, sed etiam quaecumque *imperfectiones morales* a B. Virgine ablegandae sunt, tum quia minus conveniunt sanctitati perfectae et omnimodae ad Christum assimilationi; tum quia B. Virgo erat sub ductu Spiritus sancti cuius inspirationibus et gratiis perfecte respondebat, et a quo ceteroquin nihil eam retardabat, cum a peccati fomite et potentiarum deordinatione immunis esset.

66. **An B. Virgo dici possit impeccabilis?** — Quaeritur scil. utrum B. Virgini non solum agnoscenda sit *impeccantia facti*, sed an etiam aliquo sensu ipsi tribui possit *impeccabilitas iuris*, seu *antecedens impossibilitas* peccandi?

Diversa distinguidur impeccabilitas : alia est substantialis quae excludit omnem potentiam peccandi, et competit soli Deo, qui est actus purus et substantialis

sanctitas ; alia est participata in creaturis rationalibus, in quibus semper remanet radicalis potentia peccandi seu deficiendi a Deo, licet ista potentia possit non esse ad actum reducibilis propter unionem ad Deum : haec est triplex, scil. metaphysica, physica, vel tantum moralis, prout possibilitas peccati aut metaphysice, aut physice, aut solum moraliter in quadam creatura repugnet.

Impeccabilitas metaphysica competit soli Verbo incarnato, homini Iesu Christo, quia metaphysice omnino repugnat quod persona divina peccatum committat, etiam in natura assumpta, et illud ipsi sit imputabile : ita intrinseca nempe ratione unionis hypostaticae et infinitae Christi dignitatis.

Impeccabilitas physica est in beatis, ex forma intrinseca, lumine gloriae, quia naturaliter repugnat videre Deum et simul peccare, cum impossibile sit quod videndo Deum, deficere et separari a Deo possit apparere bonum.

Impossibilitas mere moralis est ex magna difficultate peccandi, quae oritur ex munere gratiae quo quis ita inclinatur ad bonum ut non de facili possit a bono deflecti, et ex speciali Dei assistentia et custodia removente causas peccati, atque ex motione efficaci divinitus excitante ad resistendum ne deflectat in peccatum[1].

Iamvero B. Virgini, in hac vita, competit quidem impeccabilitas, at non metaphysica, nec physica, sed solum moralis, ratione specialis omnino difficultatis in peccando ac moralis impossibilitatis. Cum enim donis originalis iustitiae sit ornata quantum ad animam, quantum ista manerent, impossibile erat peccatum veniale ex imperfectione actus, quia vires inferiores perfecte subdebantur rationi ; impossibile quoque veniale per se et ex genere, quia ratio et voluntas totaliter subdebantur Deo[2]. Ergo, sicut Adam, non poterat peccare venialiter, nisi prius peccaret mortaliter. Mortaliter autem peccare erat ipsi valde difficile, quia erat confirmata in gratia : ex abundantia plenitudinis gratiae scil. et intensae ac ferventis charitatis, simul ac singulari custodia divinae providentiae efficaciter invigilantis ne voluntas eius a bono deflecteret. Ceterum maternitas divina erat ipsi titulus maximae convenientiae ad hanc impeccabilitatem, quatenus moralis adest repu-

1. S. Thomas, *Q. D. de Veritate*, q. 24, a. 9 et ad 2.
2. S. Thomas, I-II, q. 89, a. 3 ; I, q. 94, a. 4 ; q. 95, a. 1.

gnantia, velut indecentia et indignitas, coniungendi maternitatem Dei dignam et peccati villitatem.

Igitur a peccato « immunitas a tribus causabatur : scil. 1° ex ligatione fomitis, qui ad malum non inclinabat ; 2° ex inclinatione gratiae, quae in bonum ordinabat, quamvis nondum per eam liberum arbitrium erat in fine ultimo stabilitum, sicut est in beatis, qui ad finem vitae pervenerunt ; et iterum 3° ex conservatione divinae providentiae, quae eam intactam custodivit ab omni peccato, sicut et in primo statu hominem ab omni nocivo (corporali) protexisset[1] ».

Itaque Adam et homines in statu innocentiae immunes erant ab omni peccato veniali, sed non erant confirmati in bono, cum potuerint peccare mortaliter ; Apostoli non erant immunes ab omni veniali, propter concupiscentiam, sed, post acceptum Spiritum sanctum, immunes erant a mortali, in gratia confirmati. Maior istis omnibus, B. Virgo erat simul immunis a veniali, ob absentiam concupiscentiae, et a mortali, ob confirmationem in gratia.

Non sola impeccantia sed vera impeccabilitas videtur ipsi tribuenda ab initio suae conceptionis, et non solum a momento incarnationis Christi, ut S. Thomae et magnis Scholasticis visum est : ita quia semper ab omni concupiscentia fuit praeservata, quod nunc est ostendendum.

QUAESTIO TERTIA.

MATER DEI EST IMMUNIS A CONCUPISCENTIA.

67. Concupiscentia in praesenti intelligitur inordinata, et est appetitus sensitivus tendens ad bonum sensibile praeter et contra ordinem rationis, seu absque debita subordinatione ad rationem. Qui defectus attingit ordinem moralem, quatenus a peccato est et ad peccatum inclinat, ut ait Conc. Trid., sess. 5, can. 5, et hac ratione ab Apostolo, ad Rom. VII, 27, vocatur peccatum. Unde et dicitur peccati fomes, i. e. stimulus et occasio.

Potest spectari in actu primo, prout est habitualis dispositio et naturalis inclinatio appetitus qua inordinate fertur in bona sensibilia, praeter rationem, seu pronitas ad malum

1. S. Thomas, in III Sent., d. 3, q. 1, a. 2, sol. 2.

impellens et difficultas a bono retardans ; — et in actu secundo, et sic est ipse motus eiusdem appetitus imperium rationis praeveniens eique resistens : ipse motus peccati.

Iamvero quaeritur utrum a tali concupiscentia, quae est ab originali peccato et ad peccandum inclinat et trahit, fuerit B. Virgo praeservata immunis, et quonam sensu? Immunitas enim intelligi potest dupliciter : vel ita quod fomes concupiscentiae solum ligatur et consopitur, quo fit ut remanente facultate proclivi ad motus inordinatos, impeditur ne prodeat in motus rationi contrarios ; — vel ita quod totaliter extinguitur, quo fit ut nec in actu primo maneat expedita facultas ad actus praeter ordinem rationis, licet tamen B. Virgo fomitem illum simul ac peccatum originale contrahere debuisset.

68. Status quaestionis. — *De facto* immunitatis a concupiscentia in actu secundo seu a motibus concupiscentiae inordinatis, constans est omnium theologorum doctrina, B. Virginem ab iis per totam vitam fuisse totaliter immunem ; de *modo* autem varia fuit apud eos opinio. S. Thomas, III, q. 27, a. 3, recitat quatuor sententias :

1° « Quidam enim dixerunt quod in ipsa sanctificatione B. Virginis, qua fuit sanctificata in utero, totaliter fuit ei fomes subtractus ».

« Posset enim intelligi quod totaliter fuerit sublatus fomes hoc modo quod praestitum fuerit B. Virgini ex abundantia gratiae descendentis in ipsam, ut talis esset dispositio virium animae in ipsa quod inferiores vires nunquam moverentur sine arbitrio rationis : sicut dictum est fuisse in Christo, quem constat peccati fomitem non habuisse, et sicut fuit in Adam ante peccatum per originalem iustitiam ; ita quod quantum ad hoc gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis iustitiae ». Quae sententia potest applicari primae sanctificationi, sive ista locum habuerit brevi post animationem, ut S. Thomas intelligere videtur, sive locum habuerit in ipso instanti animationis per conceptionem immaculatam.

2° « Quidam vero dicunt quod remansit fomes quantum ad hoc quod facit difficultatem ad bonum, sublatum tamen fuit quantum ad hoc quod facit pronitatem ad malum ».

At « oportet considerare quod fomes nihil aliud est quam inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, habitualis tamen, quia actualis concupiscentia est motus peccati. Dicitur autem concupiscentia sensualitatis esse inordinata, in quantum repugnat rationi ; quod quidem fit, in quantum inclinat ad malum vel difficultatem facit ad bonum. Et ideo ad ipsam rationem fomitis pertinet quod inclinet ad malum vel difficultatem faciat in bono. Unde ponere quod remanserit fomes in Virgine non inclinans ad malum, est ponere duo opposita simul ». Eadem scil. est causa quae facit pronitatem ad malum et difficultatem ad bonum.

3° « Alii vero dixerunt quod sublatus fuerit fomes, in quantum pertinet ad corruptionem personae, prout impellit ad malum et difficultatem facit ad bonum ; remansit tamen in quantum pertinet ad corruptionem naturae, prout scil. est causa traducendi originale peccatum in prolem ».

Sed « etiam *videtur* oppositionem implicare quod remanserit fomes, in quantum pertinet ad corruptionem naturae, non autem in quantum pertinet ad corruptionem personae. Nam secundum Augustinum, de nupt. et conc. I, 24 : libido est quae peccatum originale transmittit in prolem. Libido autem importat inordinatam concupiscentiam, quae non totaliter subditur rationi. Et ideo si totaliter fomes subtraheretur, in quantum pertinet ad corruptionem personae, non posset remanere, in quantem pertinet ad corruptionem naturae ». Id scil. difficulter intelligeretur, an autem sit omnino impossibile, posset aliquis dubitare.

4° « Alii vero dicunt quod in ipsa prima sanctificatione remansit fomes secundum essentiam, sed ligatus ; in ipsa autem conceptione Filii fuit totaliter sublatus ».

Quam sententiam S. Thomas dicit praeferendam : « Videtur melius dicendum quod per sanctificationem in utero non fuerit sublatus B. Virgini fomes secundum essentiam, sed remanserit ligatus : non quidem per actum rationis suae, sicut in viris sanctis, quia non statim habuit usum rationis suae [1], scil. adhuc in ventre existens, — hoc enim est speciale privilegium Christi ; — sed per abundantiam gratiae quam in sanctificatione recepit, et etiam perfectius per divinam providentiam, sensualitatem eius ab omni inordinato motu prohibentem. Postmodum vero in ipsa conceptione carnis Christi, in qua primo debuit refulgere pec-

1. Usus rationis indicat permanentiam, ait Caietanus, non merum motum transeuntem.

cati immunitas, credendum est quod ex prole redundaverit in matrem, totaliter fomite subtracto ».

Ita docuit Petrus Lombardus, et post eum non solum S. Thomas sed et alii magni Scholastici, ut Alexander Alensis, S. Bonaventura, Richardus Victorinus, S. Albertus M., Petrus de Tarentasia, Aegidius Romanus, Richardus a Mediavilla, etc. Scotus vero cum suis tenuit a primo momento conceptionis, i. e. infusionis animae in corpus, B. Virginem accepisse donum integritatis, et eo ipso fomitem in ipsa totaliter fuisse extinctum. Ita quoque tenuerunt plurimi immaculatae conceptionis defensores, ut Suarez, Vasquez, Valentia, Salazar, etc., licet nonnulli ita explicent ut non videantur plus admittere quam S. Thomas ligatione ex divina gratia et assistentia externa specialis providentiae ; — post definitum autem dogma quasi communiter omnes habent fomitem totaliter extinctum, imo quidam maluerunt dicere fomitem in B. Virgine non esse extinctum, sed exclusum, ita ut numquam exstiterit in ea : ita recentius Hugon.

69. Doctrina tenenda est B. Virginem a concupiscentia seu fomite peccati durante tota vita fuisse immunem, non solum in actu secundo sed etiam in actu primo.

A. *Prima pars* est *communis et certa:* B. Virginem numquam pravos motus concupiscentiae habuisse. *Probatur :*

1° *Ex Bulla Ineffabilis Deus*, dicente : « Quapropter (Deus) illam (Filii matrem) longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati semper libera, ac *tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur...* » Quae vera non essent, si B. Virgo inordinatis concupiscentiae motibus fuisset quandoque obnoxia.

2° *Ex traditione Patrum*, qui

a) tum implicite id enuntiant generalibus affirmationibus, quae perfectam mentis puritatem et corporis ac virginitatem vindicant ; supra indicatis, n. 51.

b) tum explicitis testimoniis, ut ps.-Hieronymi, serm. de Ass. ; Ioannis Dam. (?), in Nat. Deip., hom. 1, n. 9 ; hom. 2, n. 7 ; Hesychii Hier., hom. 1 in Deip. ; Petri Dam. (?), serm. 40 ; Andreae Cret., or. 2 in Dorm. Deip. ; Ioannis Geom., serm. in S. Deip. Ass., 8, 35 ; Iacobi Mon., or. in Praes., 4 ; Georgii Nicom., or. in S. Deip. ingressum ; Bernardus, hom. 2 sup. Missus est, n. 7 ;

c) imo in controversia de immaculata conceptione, adversarii aeque ac defensores immunitatem Virginis a concupiscentia actuali professi sunt, exinde quoque arguentes.

3° *Ratione theologica :* a) Maria tota pulchra est, ita ut in ipsa nulla sit macula (Cant. IV, 7) ; sed concupiscentia actualis est quaedam macula afficiens carnem ; ergo non est in Maria.

b) Mater Dei debuit esse immunis ab omni peccato, non solum actuali, sed et originali ; ergo debuit esse immunis ab huius sequela quae ad peccandum trahit : concupiscentiae motibus.

c) Nam concupiscentia actualis est formaliter motus praeter et contra rationem. Huiusmodi motus autem de se sunt mali, deordinati atque culpabiles, nisi ignorantia invincibilis aut impotentia eos excuset.

d) B. Virgo excellentem sanctitatem et puritatem habere debuit quae Dei matrem decet ; sed turpitudo sensualitatis Dei matrem dedecet ; ergo contrariatur sanctitati et puritati matris Dei.

e) Perfectae quoque et absolutae virginitati obstat mentis ac carnis, quae implicat perfectam integritatem ab omni labe etiam minima et ab omni etiam levissima commotione, imo indeliberata suggestione, atque ab omni vel minima cogitatione et inclinatione ad malum indeliberata, qualis motum carnis comitatur.

B. *Secunda pars* est *sententia communissima :* B. Vir-

ginem nec umquam habuisse concupiscentiam habitualem et in actu primo. *Probatur :*

1º Indecens est quod Virgo purissima umquam propensa fuerit ad malum ; concupiscentia habitualis autem plus dicit quam meram potentiam peccandi, nempe pronitatem et inclinationem ad malum ; ergo concupiscentia habitualis dedecet Virginem purissimam.

2º B. Virgo Deipara ab initio sanctitatem et virtutem habuit perfectissimam : virtus autem perfectissima excludit et possibilitatem motus contrarii[1].

3º Mater Dei praedestinata fuit tamquam consors Redemptionis, ut quodammodo contribueret una cum Christo et sub Christo ad satisfaciendum pro peccatis generis humani. Concupiscentia habitualis autem non conducit ad satisfactionem sed inclinat ad peccatum satisfactioni oppositum.

4º Donum integritatis seu immunitatis a concupiscentia collatum est protoparentibus : ergo multo magis conferri debuit B. Virgini, multo sanctiori et puriori in sua immaculata conceptione.

5º Mater Dei debuit per totam vitam esse immunis a minimo peccato veniali ; sed magis consentaneum est divinae Providentiae quod peccata arceat dispositionibus et principiis Virgini intrinsecis, seu dono integritatis

1. Conformiter ad doctrinam S. THOMAE, III, q. 15, a. 2 : « Virtus moralis, quae est in irrationali parte animae, eam facit esse rationi subiectam, et tanto magis quanto perfectior fuerit virtus, sicut temperantia concupiscibilem, et fortitudo et mansuetudo irascibilem... Ad rationem autem fomitis pertinet inclinatio sensualis appetitus ad id quod est contra rationem. Sic igitur patet quod quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis. Cum igitur... fuerit virtus secundum perfectissimum gradum, consequens est quod... fomes peccati non fuerit ». Et licet « inferiores vires pertinentes ad sensibilem appetitum naturaliter sunt obedibiles rationi, non autem vires corporales, vel humorum corporalium, vel etiam ipsius animae vegetabilis... Et ideo perfectio virtutis, quae est secundum rationem rectam, non excludit passibilitatem corporis ; excludit autem fomitem peccati, cuius ratio consistit in resistentia sensualis appetitus ad rationem » ad 1. Et « quamvis fortitudo spiritus aliqualis ostenditur ex hoc quod resistit concupiscentiae carnis sibi contrariantis ; sed maior fortitudo spiritus ostenditur, si per eius virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra spiritum concupiscere possit » ad 3.

concupiscentiae extinctivo, quam solo regimine externae invigilantiae impedientis ne concupiscentia in actus malos prorumperet. Ergo ita factum esse in Maria censendum est.

Quae argumenta, ut vim totam obtineant, non separatim sed simul veniunt consideranda.

70. Animadversio. — Supposito quod de B. Virginis conceptione immaculata non constaret, poterat videri naturalius, congruentius ac probabilius tenere sententiam S. Thomae, iuxta quam fomes prius in ea fuerit ligatus, postea vero extinctus. Nam admisso quod corpus Mariae constet carne corruptioni concupiscentiae subiecta, quae naturaliter provenit ex sua causa, carne parentum, qui concupiscentiae subiiciebantur et eam naturali generatione filiis transmittebant ; hoc scil. admisso, naturalius est quod B. Virgo ab ista concupiscentia prius imperfecte purificetur eam ligando, postea perfectius, adveniente Christo, eam totaliter auferendo et extinguendo. At, immaculata conceptione iam definita, qua in primo instanti conceptionis B. V. ab ipso originali peccato totaliter praeservatur, naturalius et dogmati conformius est cogitare Deum etiam, primo hoc instanti, eam a concupiscentia praeservasse, atque impediisse quin eius caro umquam concupiscentiae subiiciatur : quae concupiscentia est peccati originalis effectus et signum, imo et materiale eius elementum, atque instrumentum et medium propagationis.

Ceterum, stante illius dogmatis veritate, iam rationes nullatenus apparent graves, quae S. Thomas adducit contra eos qui tenent fomitem totaliter fuisse a Maria sublatum in prima sanctificatione :

1º « Quamvis haec positio ad dignitatem Virginis matris pertinere videatur, derogat tamen in aliquo dignitati Christi, absque cuius virtute nullus a prima damnatione liberatur ». Sed ista ratio satis vana est, cum praeservatio a concupiscentia, aeque ac immunitas a labe originalis peccati, dicenda sit intuitu et virtute facta meritorum Christi Redemptoris, sicut etiam intuitu meritorum Salvatoris Patriarchae V. L. fuerunt gratia sanctificati.

2º « Sicut ante immortalitatem carnis Christi resurgentis, nullus adeptus fuit carnis immortalitatem, ita inconveniens

videtur dicere, quod ante Christi carnem, in qua nullum fuit peccatum, caro Virginis matris eius vel cuiuscumque alterius fuerit absque fomite, qui dicitur lex carnis sive membrorum ». Nam « quamvis per fidem Christi aliqui ante Christi incarnationem sint secundum spiritum ab illa damnatione liberati, tamen quod secundum carnem aliquis ab illa damnatione liberetur, non videtur fieri debuisse nisi post incarnationem eius, in qua primo debuit immunitas damnationis apparere ». Sed ista ratio tantum probat quod ante incarnationem praedicti effectus non possunt esse a Christo ut a causa efficiente instrumentali, sed nihil prohibet quod sint ab ipso ut a causa meritoria. Ceterum responsio, ait L. Janssens, vim habet pro eo dumtaxat qui tenet, carnem B. M. V. non fuisse exemptam a lege carnis peccati per aliquam purificationem specialem, qualem admittere possumus.

Ne dicatur : fomite sublato quantum ad corruptionem personae, non videtur posse remanere quantum ad corruptionem naturae ; unde iam non esset natura lapsa. — Nam sicut gratia donata fuit Mariae ut donum personale, et natura eius humana ut talis gratiam non habuit, sicut in Adam, generatione transmittendam, ita donum integritatis concupiscentiam auferens et impediens fuit Mariae personaliter concessum, non vero ipsi naturae adnexum, quae proinde ut talis remanet integritate privata et de se concupiscentiae habituali subiecta, et sic natura lapsa. Quare tale donum personale sive gratiae sive integritatis non impedit transmissionem peccati originalis, quia generatio fit in similitudinem non personae sed naturae.

71. **Corollarium.** — Itaque in B. Virgine, sicut in Christo, passiones animae rationi erant totaliter subiectae ; quapropter potius dicuntur *propassiones*. Nam huiusmodi passiones in ea aliter fuerunt quam in nobis, quantum ad tria, ut notat S. Thomas de Christo, III, q. 15, a. 4 :

1° *Quantum ad obiectum*, quia in nobis passiones plerumque feruntur ad illicita, quod in Christo et B. Virgine non fuit.

2° *Quantum ad principium*, quia passiones frequenter in nobis praeveniunt iudicium rationis, sed in Christo et B. Virgine omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis.

3° *Quantum ad effectum*, quia in nobis quandoque huiusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem, quod in Christo et B. Virgine non fuit ; quia motus naturaliter humanae carni convenientes sic ex eius dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere ea quae conveniebant.

Caput II.

DE POSITIVA SANCTITATE MATRIS DEI SEU PLENITUDINE GRATIAE.

72. **Multiplex sanctitas.** — *Sensu generaliore* sanctitas est segregatio ab usu profano per consecrationem factam Deo et divinis, scil. famulatui, servitio, cultui divino. Haec est ontologica *in linea essendi*, seu *entitativa*, quae potest competere non solum personis, sed etiam locis et rebus.

Strictiore autem *sensu*, sanctitas est *personalis* et *moralis*, quae solum competere potest enti rationali *in linea operandi :* consecratio Deo facta, ut principio et supremae normae rectitudinis et moralitatis, ad constantem amorem Summi Boni, Ultimi Finis. Est recta habitudo ad ultimum finem, rectitudo voluntatis circa finem ultimum : habitualis scil. conversio et consecratio totius hominis ad Deum, et actualis applicatio firma et adhaesio ad Deum. Quae in ordine praesenti supernaturali est ex gratia.

Negativa est immunitas a peccato et defectu morali, quod rectitudinem ad ultimum finem tollit aut impedit ; *positiva :* in actu primo est qualitas quae hominem reddit Deo gratum atque dignum et aptum operationis supernaturalis et vitae aeternae ; in actu secundo est in operatione supernaturali recta et exercitio virtutis.

73. **Sanctitas Christi.** — *Vi unionis hypostaticae*, Christus homo est *vere* sanctus : tum *sanctitate entitativa*, quia unitus divinitati quae est substantialis sanctitas, unde divinitas est unctio humanitatis qua entitative consecratur Deo ; tum *etiam sanctitate morali*, saltem *radicaliter et exigitive*, quatenus necessario est principium quod et fons rectae operationis. Cum enim humana

Christi natura a Verbo divino dependeat ut organum divinitatis, absolute et metaphysice repugnat quod persona divina per eam peccatum faciat aut ab ea fieri permittat ; e contra, omnino exigitur quod in ea operetur bonum et nonnisi bonum. Ex ipsa igitur *gratia unionis* hypostaticae necessario sequitur radicalis repugnantia peccati et immunitas a peccato et defectu, ac radicalis necessitas bene agendi seu firmitas in bono.

Sed praeterea adest in Christo sanctitas personalis et moralis *ex habituali gratia gratum faciente*, cum virtutibus et Spiritus sancti donis, quibus formaliter et proxime sanctus est, seu capax in ordine ad omnes operationes sanctas et supernaturales perfecte exercendas. Haec autem gratia data est Christo, tum ab ipso in omnibus refundenda, et sic est *gratia capitis ;* tum ad propriam excellentiam et superelevationem suae naturae humanae, et sic est *gratia personalis* quam habet ut hic singularis homo individuus.

Triplex ergo gratia Christi : gratia unionis ; — gratia personalis ; — gratia capitis.

74. Sanctitas Mariae. — B. Virgo est *entitative sancta* in linea essendi, ex ipsa maternitate divina, quatenus eâ consecratur tota famulatui, servitio et cultui Dei ; non tamen hoc ipso est *moraliter et personaliter* sancta in linea operandi entis rationalis, quidquid dixerit Ripalda[1], — et post eum Vega et Sedlmayr, — omnes effectus formales gratiae sanctificantis maternitati divinae tribuens atque dignitatem operationis ; sed in hoc non fuit ab aliis theologis probatus.

Est enim differentia inter unionem hypostaticam in Christo, et divinam maternitatem in B. Virgine. Humana natura Christi non est aliena a sanctitate Verbi, sed ipsi unitur ; B. Virgini vero haec sanctitas non communicatur, cum in ea sit solum relatio realis ad Verbum, quare Verbum est merus terminus istius relationis, nullatenus vero forma Mariam sanctificans, informans, et inhaerens aut perficiens. Quare in Christo homine est absoluta repugnantia

1. *De ente supernaturali*, disp. 79.

peccati, et absoluta exigentia firmitatis in bono ; non ita est in B. Virgine, sed sola moralis disconvenientia peccati et convenientia boni.

Licet enim *secundum se* summe conveniens sit quod Mater Dei non habeat peccatum et firmiter stet in bono, et indecens sit contrarium, non tamen est absolute et omnino impossibile, cum nulla creatura sit impeccabilis omnino ; imo, in praesenti ordine reparandi generis humani lapsi, si Christus sumpsisset carnem ex peccatrice, hoc videri posset conveniens quod in casu matrem sibi eligere voluisset e genere lapsorum, ratione scil. specialis huius circumstantiae peccati reparandi.

Nec igitur exigitive nec radicaliter a maternitate divina est B. Virgo personaliter et moraliter sancta ; sed solum de convenientia maxima, quatenus maxime convenit ut mater Dei sancta sit. Divina maternitas ergo est radix et fundamentum de convenienti postulans sanctitatem personalem, non eam praebens ; sed haec est formaliter ex gratia.

Quam sanctitatem B. Virgo consecuta est maximam, cum titulo omnino singulari, prae ceteris omnibus, dicatur gratia plena, ut intelligimus ex Scriptura, traditione Patrum interpretata, sicut notavimus.

Hinc dicemus : 1° de plenitudine gratiae qua B. Virgo est dotata[1] : a) secundum se, b) comparative ad gratiam aliorum, c) comparative ad gratiam totius creationis ;

2° de operationibus ex plenitudine gratiae factis : a) de exercitio virtutum, b) de scientia virtutum directiva, c) de effectu virtutum, seu merito.

1. De tota hac quaestione conferri possunt : S. ALPHONSUS, *Li Glorie di Maria*, p. II, disc. 2 ; TERRIEN, *La Mère de Dieu*, I, l. IV, c. 4 ; II, l. VII ; LÉPICIER, *De Bma Virgine Maria*, p. II, c. 1, a. 4, 5, 6 ; HUGON, *La mère de grâce*, Paris, 1904 ; GODTS, *La grâce initiale de l'Immaculée*, Bruxelles, 1904 ; CAMPANA, *Maria nel Dogma cattolico*, p. II, q. 3 ; MERKELBACH, *Gratia plena*, et *Tota pulchra es*, in *Rev. Eccl. de Liége*, 1913-1914 ; *Gratia plena*, in *De Standaard van Maria*, 1924 ; ALASTRUEY, *Mariologia*, I, p. II, c. V, a. 2, Vallisoleti, 1934 ; KEUPPENS, *Mariologiae compendium*, I, Deipara, c. II, B.

QUAESTIO PRIMA.

MATER DEI GRATIAE PLENITUDINE EST DOTATA.

Articulus I.

DE PLENITUDINE GRATIAE SECUNDUM SE.

75. **Doctrina communis et certa.** — S. Thomas, hac in re, accuratius posuit quaestionem, unde et theologi communiter eum secuti sunt. Duplicem distinguit plenitudinem gratiae : absolutam et respectivam, seu plenitudinem gratiae in seipsa, et plenitudinem gratiae respectu subiecti quod eam recepit.

« Plenitudo gratiae potest attendi dupliciter : uno modo, ex parte ipsius gratiae ; alio modo, ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem ipsius gratiae, dicitur esse plenitudo ex eo quod aliquis pertingit ad summum gratiae, et quantum ad essentiam (i. e. *intensive* seu *in gradu*), et quantum ad virtutem (i. e. *extensive* seu *in extensione ad effectus*) : quia scil. habet gratiam, et in maxima excellentia qua potest haberi, et in maxima extensione ad omnes gratiae effectus [1]. Et talis gratiae plenitudo est propria Christo. — Ex parte subiecti, dicitur gratiae plenitudo quando aliquis habet plene gratiam secundum suam conditionem : sive secundum intensionem, prout in eo est intensa gratia usque ad terminum praefixum ei a Deo, secundum illud Eph. IV, 7 : Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi ; sive etiam secundum virtutem, in quantum scil. habet facultatem gratiae ad omnia quae pertinent ad suum statum sive officium, sicut Apostolus dicebat ad Eph. III, 8-9 : Mihi autem, omnium sanctorum minimo, data est gratia haec, illuminare homines... Et talis gratiae plenitudo non est propria Christo, sed communicatur aliis per Christum » III, q. 7, a. 10.

Iamvero *communis et certa doctrina* tenet :

1. Abstrahimus a quaestione controversa, utrum id intelligendum sit de gratia summa absolute possibili, an de summa possibili in praesenti ordine Providentiae ; quia nihil refert ad gratiae plenitudinem qualis est in Maria.

1° B. Virginem non habuisse plenitudinem gratiae absolutam, sicut Christus, sed solum respectivam ;

2° Nihilominus eam habuisse plenitudinem respectivam, sed prae omnibus aliis maiorem.

76. **Christus habet plenitudinem gratiae absolutam, Maria plenitudinem gratiae respectivam ad munus matris Dei.** — Unus Christus habet absolutam plenitudinem gratiae, quia habuit eam in summo, secundum perfectissimum modum qui potest haberi : primo quantum ad essentiam eius seu quantitatem intensivam, quia anima Christi, quae propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationales, recipit maximam inflentiam gratiae eius, et quia recepit gratiam ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios ; — etiam quantum ad gratiae virtutem, quia habuit eam ad omnes operationes vel effectus gratiae, qui sunt virtutes et dona et aliae huiusmodi qualitates [1].

Maria non habuit absolutam gratiae plenitudinem : nec summam secundum quantitatem gratiae possibilem, nec summam secundum extensionem et virtutem, quae se extenderet ad omnes gratiae effectus. Sed tantum habuit quamdam plenitudinem gratiae respectivam : totam gratiam quae sufficiebat ut esset idonea ac digna mater Dei.

« Beata Virgo dicitur gratia plena, non ex parte ipsius gratias (*in gradu intensionis*), quia non habuit gratiam in summa excellentia qua potest haberi ; nec ad omnes effectus gratiae (*in extensione virtutis*) : sed dicitur fuisse plena gratiae per comparationem ad seipsam, quia scil. habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut scil. esset mater Dei » III, q. 7, a. 10, ad 1.

Haec est ratio, quare in doctrina S. Thomae, nullo sensu possit dici caput Ecclesiae [2], nec possit gratiam nobis mereri *de condigno* [3], nec ut causa efficiens possit eam

1. Haec est summa doctrinae contentae in art. 9, quaest. 7.
2. III, q. 64, a. 4, ad 3 ; q. 8, a. 6 ; IV *Sent.*, d. 5, q. 1, a. 3, qc. 2.
3. I-II, q. 114, a. 2 ; III, q. 19, a. 4, ad 2 ; II *Sent.*, d. 27, q. 1, a. 6.

immediate nobis infundere[1], nec sacramenta possit instituere[2]. Omnes praedicti effectus reservati sunt Christo, et nullatenus conferunt ad dignitatem Matris Dei.

« Unicuique a Deo datur gratia secundum hoc ad quod eligitur. Et quia Christus, in quantum est homo, ad hoc fuit praedestinatus et electus ut esset praedestinatus Filius Dei in virtute sanctificationis, hoc proprium fuit sibi, ut haberet talem plenitudinem gratiae quod redundaret in omnes, secundum quod dicitur Io. I, 16 : De plenitudine eius nos omnes accepimus. Sed B. Virgo Maria tantam gratiae obtinuit plenitudinem ut esset propinquissima auctori gratiae : ita quod eum qui est plenus omni gratia, in se reciperet, et, eum pariendo, *quodammodo* gratiam ad omnes derivaret » III, q. 27, a. 5, ad 1.

77. **B. Virgo Maria habuit plenitudinem gratiae respectivam, cunctis aliis pleniorem et altiorem.** — Absoluta plenitudo est una et indivisibilis, et pertinet ad solum Christum. E contra, plenitudo respectiva, quae dicit sufficientiam ad uniuscuiusque statum aut officium. Cum igitur status ac munera in dignitate differant, ideo tot sunt diversi gradus distinguendi in plenitudine gratiae respectiva :

« B. Virgo... dicitur fuisse plena gratiae per comparationem ad seipsam, quia scil. habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut scil. esset mater Dei. Et similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc ut esset idoneus minister et testis Dei, ad quod erat electus. Et eadem ratione dicendum est de aliis. Harum tamen plenitudinum una est plenior alia, secundum quod aliquis divinitus est praeordinatus ad altiorem vel inferiorem statum » III, q. 7, a. 10, ad 1.

Munus autem ceteris omnibus altius est munus matris Dei, quod in dignitate omnia alia longe excedit, ut ostendimus supra. Mater Dei proinde est in summo gradu respectivae plenitudinis gratiae, et plenitudinem recepit gratiae prae omnibus aliis.

Deus « unicuique dat gratiam proportionatam ei ad quod eligitur, sicut homini Christo data est excellentissima gratia, quia

1. III, q. 27, a. 5, ad 1 ; *Comm. S. Ioan.*, c. 1, lect. 10.
2. III, q. 64, a. 4, ad 1 et 3 ; IV *Sent.*, d. 5, q. 1, a. 3, qc. 2.

ad hoc est electus, ut eius natura in unitatem personae divinae assumeretur ; et post eum habuit maximam plenitudinem gratiae B. Maria, quae ad hoc est electa, ut esset mater Christi[1] ».

Possidet igitur gratiam respective altiorem in gradu intensitatis, et pariter, ob eamdem rationem, gratiam respective maiorem in extensione ad effectus : non sane eo sensu quod gratia ei data fuerit ad cunctos effectus possibiles, sicut in Christo, sed quod maiores effectus in ea producit quam in ceteris sanctis. Qui effectus duplicis sunt generis : habitualia seu permanentia dona, et transeuntes usus et fructus operationum, exercitationum ac operum. Habet ergo Maria gratiam respective omnibus creaturis maiorem, seu *summam gratiam in gradu intensitatis, — pleniorem et completiorem in omnis generis donis, — et efficaciorem in exercitiis et fructibus.*

78. **Mater Dei habet gratiam respective altiorem in gradu intensitatis,** et ideo *prae ceteris est particeps divinae naturae.*

Quod sequenti ratiocinio etiam ostendi potest :

« Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii ; unde dicit Dionysius, c. 4, Coel. Hier., quod angeli, qui sunt Deo propinquiores magis participant de bonis divinis quam homines. Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem instrumentaliter ; unde et Io. I, 17 dicitur : Gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Beata autem Virgo propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo plenitudinem gratiae obtinere » III, q. 27, a. 5.

Igitur liceret etiam, cum pluribus auctoribus, plenitudinem gratiae distinguere triplicem : est scil. absoluta *plenitudo efficientiae et effluentiae* in Christo ; respectiva *plenitudo praeeminentiae et abundantiae ac redundantiae* in Maria ; et respectiva *plenitudo merae sufficientiae*, quae

1. S. Thomas, *Com. in ep. ad Rom.*, c. 8, lect. 5.

aliis sanctis prae diverso gradu competit. Haec ultima spiritum implet interiorem et etiam exterius redundat sed tantum in actus, operationes et bona opera animae iusti ; altera insuper redundat in propriam Beatae Virginis carnem ita ut possit concipere Filium Dei ; prima, quae est Christi, redundat quoque in omnes homines[1].

Haec triplex distinctio quoque invenitur indicata apud S. Thomam, quin ideo differat ab illa quam supra tradidimus e Summa Theologica : « Est autem plenitudo sufficientiae, qua aliquis est sufficiens ad actus meritorios et excellentes faciendos, sicut in Stephano. Item est plenitudo redundantiae, qua B. Virgo excellit omnibus sanctis, propter eminentiam et abundantiam meritorum. Est autem plenitudo efficientiae et effluentiae, quae soli homini Christo competit quasi auctori gratiae. Sic enim B. Virgo redundavit gratiam in nos, ut tamen auctrix gratiae nequaquam esset, sed ab anima eius gratia redundavit in carnem.

---

1. Appellationes differunt apud auctores, sed tamen ad idem reduci possunt. S. ALBERTUS M., in *Mariale*, q. 34, § 3 et 4, quem secutus est S. ANTONINUS, *Summa Theol.*, p. IV, tit. 15, c. 15, distinguit plenitudinem quae est *effluxiva et non receptiva :* « plenitudo gratiae dativa tantum et effluxiva, et non recepta », *quae est plenitudo aeterna et soli Deo convenit ;* — et plenitudinem quae est *primo receptiva et post illud effluxiva :* haec altera convenit *creaturis et participatur ex tempore*, et est duplex : *receptiva sine mensura et effluxiva*, in Christo homine ; — et *receptiva cum mensura et effluxiva* in sanctis. Ultima rursus distinguitur triplex : *plenitudo merae sufficientiae*, omnibus sanctis communis, quae mentem implet et effluit in exterius opus : plenitudo fidei per dilectionem operantis interna bona opera et externa, ad sui salvationem et aliorum aedificationem ; — *plenitudo abundantiae* in apostolis, quae effluit per doctrinam salutarem in Ecclesiae aedificationem ; — *plenitudo excellentiae*, quae effluit per animae suae, i. e. vitae, pro fide positionem, ut in Stephano. Triplex haec plenitudo fuit in Beata Virgine sed super omnes excellentius.

RICHARDUS A S. LAURENTIO, *de Laud. B. V.*, I, c. 4, n. 2, enumerat : plenitudinem *sufficientiae* in sanctis : plenitudinem fidei et bonorum operum, quae mentem implet et opus ; plenitudinem *praeeminentiae* in Virgine, quae mentem implet et corpus ; plenitudinem *perfectam* in Christo, quae cor implet et intellectum, cum non tantum sit gratiae plenus, sed et veritatis, beata nempe Dei visione, et scientia ipsi a Deo infusa.

E contra HUGO a S. CHARO, *Postilla, in Luc.*, I, 28, loquitur de plenitudine *apta* quae sufficit (in sanctis), de *aequa* quae perfecta est (in Maria), et de *cumulata* et totali quae effluit (in Christo).

S. BONAVENTURA, in III *Sent.*, dist. 13, a. 1, q. 3 et S. THOMAS, in *Comm. in Sent.*, III, dist. 13, q. 1, a. 2, notant plenitudinem *sufficientiae* quae satis est ; plenitudinem *specialis praerogativae* in Maria ; et plenitudinem *superabundantiae* seu *ad omnes effectus*, quae singularis est in Christo. Quibus adhuc addunt plenitudinem multiplicitatis : *copiae* quae in Ecclesia invenitur quae omnes gratias suorum membrorum possidet. Istam B. Virgini non tribuunt.

Nam per Spiritum sanctum gratia non solum mens Virginis fuit Deo perfecte per amorem unita, sed eius uterus Spiritu sancto supernaturaliter impraegnatus[1] », « ita quod, sicut supra notavimus ex Summa Theologica, eum qui est plenus omni gratia, in se reciperet et, eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret[2] ».

79. Mater Dei habet gratiam respective pleniorem et completiorem in habitualibus cuncti generis donis, quibus *prae ceteris est particeps divinae vitae et virtutis.*

Possunt distingui triplicis generis dona : communes *gratiae gratum facientes*, quae ad propriam sanctificationem tribuuntur personalem ; *gratiae* mere *gratis datae*, quae ad salutem conceduntur aliorum ; et *gratiae privilegiatae* seu *singularis privilegii*, quae ad personalem quamdam eminentiam ordinantur et exaltationem.

1° Maria habuit dona sanctificantia seu omnes *gratias gratum facientes* quae cum ipsa habituali gratia formaliter sanctifiante necessario sunt connexa et ex ea fluunt tamquam proprietates, scil. omnes supernaturales *habitus et virtutes*, tam *theologicas* quam *morales* cum earum regina : divina charitate, omnes in eodem intensitatis gradu sublimi ac ipsa gratia et charitas ex qua derivantur, — etiam *dona Spiritus sancti*, in eadem intensiva proportione. Quibus omnibus B. Virgo parata erat et perfecte apta ad omnis generis operationes supernaturales ac meritorias, tam extraordinarias quam ordinarias, ponendas, quas ratio fide illuminata ipsi ostenderet, aut Spiritus sanctus ipse inspiraret. Ita ut totam vitam in Deum et vitam aeternam perfecte convertere posset.

Omnes virtutes habuit in gradu heroico et excellenti, saltem quantum ad habitum ; non enim potuit omnes actus exercere, saltem illos qui quamdam dicunt imperfectionem perfecto eius statui repugnantem, uti sunt lucta et resistentia adversus passiones et harum continentia, quae supponunt eas adhuc renitentes rationi ; item contritio et poenitentia quae supponunt peccatum actuale commissum. Id tamen eam non impedire potuit a satis-

---

1. In *Comm. super Ioanne*, c. 1, lect. 10.
2. III, q. 27, a. 5, ad 1. Cfr. supra, p. 162.

factoriis operibus poenalibus, pro aliis, nimirum peccatoribus, ex charitate et misericordia susceptis.

2° Maria quoque habuit, in gradu perfecto, dona non sanctificantia et omnes *gratias gratis datas*, ut donum miraculorum, prophetiae, sanitatum, interpretationis Scripturae, sermonis sapientiae aut scientiae, discretionis spirituum, linguarum, et alia quae Apostolus enumerat in I ad Cor. XII, 8-10.

Iuxta theologos non est dubium quin Maria, ut regina Ecclesiae, omnia charismata et dona gratiae debuerit possidere; non tamen habuit omnium perfectum usum, sed solum in quantum conveniebat aut necessarium erat eius conditioni Matris Dei. Ita non fecit, durante vita, publica miracula, quia Apostoli missi fuerunt ad annuntiandam et confirmandam doctrinam Christi; usum tamen habuit doni prophetiae, ut patet in Cantico Magnificat[1].

3° Denique habuit Maria abundanter *gratias singularis privilegii*, quae in nullo alio sancto inveniuntur. Duodecim enumerari solent, eo quod sacri scriptores eas viderint significatas corona stellarum duodecim, quacum apparebat mulier amicta sole, in Apoc. XII, 1.

S. Bernardus sequentes tradit[2]. Accepit Maria quatuor privilegia de coelo : mirabilem originem[3], salutationem angeli, interventum Spiritus sancti, et conceptionem Filii Dei; — item pariter habuit quatuor privilegia in carne : quod fuerit in virginitate prima, sine violatione fecunda, sine onere gravida, et sine dolore puerpera; — denique quatuor privilegia cordis : pudicitiae decorem, humilitatis devotionem, fidei magnanimitatem, et martyrium cordis.

Multo accuratior et verior[4] est divisio S. Alberti M., qui cuncta privilegia ad sequentem reducit ordinem[5] : 1. quod Maria fuit mater et virgo; 2. quod est mater Dei; 3. quod est virgo virginum; 4. quod est nullius ignorantiae aut erroris : licet enim non omnia noverit, sciebat tamen omnia quae mater Dei scire debebat aut conveniebat; 5. quod est puritas in summo, scil. a) quod minimum veniale numquam commiserit, b) ac moraliter fuerit impeccabilis, c) imo ab omni macula originalis culpae pura et ab omni concupiscentia ad malum; 6. quod omni motu mereri potuit; 7. quod est mater omnium; 8. quod est stella maris; 9. quod est porta coeli; 10. quod est passionis Christi communicatio; 11. super omnes creaturas exaltatio; et 12. quod est regina misericordiae[1].

1. III, q. 27, a. 5, ad 3.
2. *Homilia in Dom. infra Oct. Assumpt., de 12 Praerogativis B. M. V.*
3. Alii huius loco ponunt *sanctitatem*, ut v. g. opusculum *Biblia Mariana*, quod invenitur inter opera S. Alberti M.
4. Bernardus varia distinguit quae idem privilegium spectant; — magis indicat transeuntem causam quam donum permanens; — quandoque potius dat exercitium et fructum donorum sanctificantium, — et alia realia privilegia praetereundo tacet.
5. *Mariale*, a q. 133, speciatim in q. 163.

Concludit S. Albertus M. : B. Virgo dicitur gratia plena, non quia maior gratia non fuit, cum in Christo maior fuerit; nec quia summam gratiam habuit vel omnem, quia gratiam unionis non habuit, quae in numero gratiarum summa est, nec scientiam omnium infusam in via aut plenam divinitatis cognitionem per speciem, sicut Filius; sed relative plenior est omnibus creaturis : 1. quia omnes gratias generales et speciales omnium creaturarum in summo habuit; 2. quia illas gratias habuit a quibus omnis creatura vacua fuerit; 3. quia sua gratia tanta fuit, quod pura creatura maioris gratiae capax non fuit, scil. maternitatis divinae; 4. quod gratiam increatam totam in se continuit, Christum gestando in utero, et sic per omnem modum gratia plena fuit[3].

80. Mater Dei habet gratiam respective efficaciorem in exercitationibus et fructibus, quibus prae ceteris est *particeps divinarum actionum* et *operum*.

Non quidem ac si semper esset in actu et singulis momentis: id erat privilegium Christi qui indesinenter Patrem intuebatur, atque insuper scientia sibi indita poterat uti omni instanti et virtutem exercere[4]; sed quia omnes eius actiones humanae, deliberatae scil. et liberae, super-

1. S. Antoninus, *Summa Theol.*, p. IV, tit. 15, c. 20, fere eumdem sequitur ordinem. Dividit tamen quintum privilegium in 3; sed quartum et octavum praeterit, quae respective reduci possunt ad 5, c et ad 9. — *Biblia Mariana* coniungit 11^m et 12^m, dividit 5^m et tacet 4^m.
2. *Mariale*, q. 35.
3. *Mariale*, q. 164.
4. III, q. 27, a. 3.

naturales erant, et magna cum perfectione, absque ullo peccato aut defectu, fiebant, ac ipsa quasi continuo sub ductu stabat Spiritus sancti et influxu eius *gratiarum actualium*. Nec unquam gratiae restitit, sed semper plene ipsi respondit.

Exinde quaedam concludere liceat :

a. *In omnibus actionibus* plene utebatur tota sua supernaturali vi, et virtutem exercebat in alto gradu suae charitatis ad Deum omnia superantis.

b. Excellenti modo fruebatur *delectationibus fructuum Spiritus sancti*. Isti sunt opera cuiuscumqùe generis virtuosa, quae sub Spiritus sancti motione cum speciali perfectione exercentur, et ideo supernaturalem delectationem adnexam habent et ita fruitionem divinam coelestem praenuntiant [1].

c. Exercebat quoque *actus altiores et excellentiores*, qui nonnisi speciali inspiratione Spiritus sancti fiunt, uti sunt actus eminentes altioris contemplationis et mysticae coniunctionis ad Deum.

d. Quare implebat, eminenti quoque modo, opera excellentia *beatitudinum* [2].

e. Atque his omnibus *magna merita* sibi comparabat, cum omnia fecerit ex ferventissima, magnanimi et intensissima charitate, cum perfecta conformitate voluntati divinae.

Quibus omnibus potuit, ut ait S. Albertus M. [3], agere mediatricem, ita ut genus humanum eius *exemplo*, *suffragio* et *merito* per mare huius saeculi possit ducere ad portum coeli.

81. Corollaria. — Exinde fluunt conclusiones sequentes valde notandae :

A. Potuit B. Virgo crescere in gratia et divina charitate. Humana natura Christi non poterat in gratia crescere, quia possidebat plenitudinem gratiae absolutam, scil. gratiam quae cogitari possit maxime possibilem ; et quia ab initio pervenit ad terminum : visionem Dei beatificam, nec consequenter mereri poterat augmentum gratiae tendentis ad eam [4]. Maria vero non habet nisi quamdam plenitudinem gratiae respectivam, et erat in via ad visionem

1. Cfr. ad Gal. V, 22 et I-II, q. 70.
2. Cfr. Mt. V, 3-10 et I-II, q. 69.
3. *Mariale*, q. 29, § 2.
4. III, q. 7, a. 12.

coelestem quam merito sibi comparare debebat. Quapropter in gratia crescere quotidie poterat.

Crescebat autem tripliciter :

1° *Actibus meritoriis.*

Siquidem minimae eius actiones perfectae erant ; cum omni perfectione sibi possibili impletae, ita ut singulis actibus liberis conaretur ad gratiae augmentum. Quare in sanctitate progredi poterat de die in diem, et omnibus actibus quasi continuo et indesinenter crescere in Dei charitate, ut infra magis declarabimus.

2° *Ipsa incarnatione Verbi.*

Si Christi praesentia sufficiens erat ad sanctificationem Ioannis Baptistae in sinu matris, si ipsa eius praesentia nos sanctificet in communione, multo magis debuit sanctificare B. Virginem ipsa incarnatione, et diuturna mansione in utero materno. Haec scil. debuit ipsi conferre maximam, extraordinariam, unicam gratiae progressionem.

3° Denique et *ipsa Sacramentorum susceptione.*

Docent communiter theologi eam recepisse S. Baptisma [1], non quidem in purificationem a labe originalis peccati, sed in cooptationem Ecclesiae. Die Pentecostis, recepit gratiam sacramentalem et effectus Confirmationis. Et post ascensionem Christi fruebatur sacramentali praesentia Filii sui in s. quam recipiebat Communione [2].

B. In continua crescentia gratiae suae plenitudinis, triplex cum S. Thoma distingui potest stadium perfectionis [3] : perfectio dispositionis, perfectio formae, et perfectio finis. Prima perfectio fuit quasi dispositiva et praeparatoria, per quam B. Virgo reddebatur idonea ad

1. Non tamen videtur omnino certum. Nam poterat Christus, absque sacramento gratiam sacramentalem et characterem ipsi conferre, vel et Apostolis, atque Ecclesiae cooptare, sicut fecit pro Confirmatione, et apostolis pro Ordine.
2. S. Ordinem recipere non poterat, propter sexum femineum ; atque etiam, opinatur S. Albertus M., quia destinata erat socia Christi atque regina, quare non decebat esse de ministris. Alia sacramenta non recepit, quae supponunt imperfectionem peccati aut concupiscentiae ; ceterum matrimonium in V. Lege initum nondum erat sacramentum.
3. III, q. 27, a. 5, ad 2.

hoc quod esset mater Christi, et haec erat perfectio primae sanctificationis. Secunda fuit perfectio plenae formationis, scil. gratiae quam habuit B. Virgo ex praesentia Filii Dei in eius utero incarnati. Tertia perfectio finis, quam habet in coelesti gloria et in fruitione omnis boni.

Addit S. Thomas secundum placita sui temporis : « Quod autem secunda perfectio sit potior quam prima, et tertia quam secunda, patet quidem, uno modo, per liberationem a malo. Nam 1° in sua sanctificatione fuit liberata a culpa originali, 2° in conceptione Filii Dei fuit totaliter mundata a fomite ; 3° vero in sua glorificatione fuit liberata etiam ab omni miseria. — Alio modo, per ordinem ad bonum. Nam 1° in sua sanctificatione adepta est gratiam inclinantem ad bonum ; 2° in conceptione Filii Dei consummata est ei gratia confirmans eam in bono ; 3° in sui glorificatione consummata est eius gratia perficiens eam in fruitione omnis boni ». Nunc autem, post immaculatam B. Virginis conceptionem firmiter stabilitam, iam solent purificationem a fomite, et confirmationem in bono ipsi tribuere inde ab initio. Unde triplex stadium gradationis ita protest distingui : confirmationis in bono, — illuminationis plenae de bono effluentis a Verbo incarnato, — et fruitionis omnis boni.

C. B. Virgo habuit gratiam multo altiorem et intensiorem in gradu sublimitatis, multo pleniorem in effectibus et donis, multo efficaciorem in exercitationibus et actibus, quam omnes angeli et sancti, et ideo super omnes creaturas invenitur elevata.

Docet S. Thomas Christum habuisse gratiae plenitudinem *absolutam*, et quidem :

1° *secundum rationem causae finalis*, quia coniunctionem obtinet cum Deo maxime possibilem, cum Christus non solum cognitione et amore sed et unione personali Deo coniunctus sit ;

2° *secundum rationem causae efficientis*, quia Ipse gratiam quoque habebat in omnes derivandum ;

3° *secundum rationem causae formalis*, quia eius gratia extendebatur ad omnes effectus possibiles.

Primum spectat gratiam unionis, alterum gratiam capitis, tertium gratiam Christi personalem.

Pariter B. Virgini quodammodo competebat huiusmodi eminentia gratiae, quae erat extraordinarie magna :

1° *secundum rationem causae finalis*, quia gratia eam duxit ad altiorem ad Deum propinquitatem in divina maternitate ;

2° etiam quodammodo *secundum rationem causae efficientis*, quia Maria ipsum fontem gratiae poterat generare Christum, et ita *mediante Christo*, gratiam ad omnes alios derivare ;

3° *secundum rationem causae formalis*, quia gratia eius ad multo plures effectus se extendebat quam in angelis aut sanctis.

Quam superabundantem gratiam recepit ab ipso primo instanti suae conceptionis, ut nunc magis est ostendendum.

Articulus II.

DE PLENITUDINE GRATIAE COMPARATIVE AD GRATIAM ALIORUM.

82. Doctrina communis et tenenda asserit Mariam, in primo instanti suae conceptionis et initialis sanctificationis, accepisse maiorem sanctitatem prae omni creatura. In qua assertione aliquid omnino certi continetur, aliud vero communiter tenetur saltem ut valde probabile : a) initialem gratiam et sanctitatem Mariae superasse gratiam initialem cuiuscumque creaturae, est omnino certum ; b) eam fuisse etiam maiorem gratia finali seu consummata cuiuscumque creaturae, communiter tenetur saltem ut valde probabile.

Quae duo in sequentibus sumus explicaturi.

83. Certum est gratiam initialem B. Virginis fuisse maiorem et excellentiorem gratia quam Angeli aut sancti receperunt in prima sua sanctificatione seu iustificatione. — Id intelligendum est de prima gratia Mariae, seu de gratia eius immaculatae conceptionis. Quod triplici ratione ostendi potest, secundum principia S. Thomae :

1° Unicuique a Deo datur gratia proportionaliter secundum conditionem et dignitatem muneris ad quod eligitur[1]. Atqui conditio et status Matris Dei, ad quem Mariam Deus prae aliis elegit et praedestinavit, omnes alios excedit in excellentia et dignitate. Ergo Deus Matri Dei dedit maiorem prae aliis gratiam.

Breviter S. Thomas, III, q. 27, a. 4 : « Illos quos Deus eligit, ita praeparat et disponit ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei... B. Virgo fuit electa divinitus ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit ». Id autem fecit Deus per gratiam primae sanctificationis, quae in B. Virgine fuit « quasi dispositiva, per quam reddebatur idonea ad hoc quod esset mater Christi » (a. 5, ad 2).

2° Nam, ait S. Thomas « quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii ».

Sed Christus est principium gratiae : secundum divinitatem ut eius auctor et causa principalis, secundum humanitatem tamquam organum et instrumentum, dupliciter quidem : per meritum, quia omnibus gratiam meruit, et per efficaciam quia virtutem habuit gratiam influendi in omnes[2]. Et Maria creata fuit ut esset propinquissima Christo secundum humanitatem ; quia ex ea accepit humanam naturam : angeli enim non sunt nisi legati, ministri et servi Dei, Maria autem vera eius mater.

Ergo Maria prae ceteris maiorem debuit a Christo plenitudinem gratiae obtinere.

Itaque illa quae ad ipsum gratiae fontem magis appropinquaret, atque eum conciperet, gestaret, nutriret, et pareret qui totum mundum impleret tota plenitudine gratiae et veritatis, ab ipso magis de hac plenitudine quam alii obtinere debebat.

3° Gratia est effectus et signum dilectionis Dei ; unde gradus eius excellentiae mensuratur ad eius effectus et fructus. In Maria autem gratia multo plures fructus producebat, et effectus habebat multo excellentiores,

1. III, q. 27, a. 5, ad 1.
2. III, q. 8, a. 1, ad 1 et q. 64, a. 3.

cum ipsa sola praeservata fuerit non solum a peccato, sed et ab omni inclinatione et concupiscentia peccati, atque in bono fuerit confirmata, ita ut per gratiam et providentiam Dei peccare moraliter non potuerit. Ergo multo maiorem recepit prae ceteris gratiam.

Obiici posset, quod B. Virgini sufficeret possidere hanc eminentiorem sanctitatem et gratiam, ipso momento incarnationis Verbi et divinae maternitatis. At Theologi inveniuntur in respondendo unanimes, Filium Dei ipsam Virginem iam considerasse et dilexisse ut suam matrem ab initio huius vitae, primam gratiae plenitudinem in ipsa immaculata sua conceptione ipsi fuisse datam intuitu futurae suae maternitatis, atque hanc primam gratiam ipsi praebuisse, ad futuram suam electionem et eminentem dignitatem, convenientem dispositionem, « per quam, ait S. Thomas, reddebatur idonea ad hoc quod esset mater Dei », et quidem digna mater Dei. Quod si secus dicerent, obliti forent inchoationem debere proportionari consummationi, initium termino, et fundamentum toti construendo aedificio[1].

84. Tenendum est, quod communiter asserunt saltem ut valde probabile, initialem gratiam B. Virgini tamquam Matri Dei concessam, fuisse maiorem et excellentiorem gratia finali, quam angeli aut sancti habent in sua ultima et definitiva conditione[2].

Semel admisso ipsam gratiam conceptionis immaculatae concessam fuisse Mariae tamquam dispositionem praeparatoriam divinae maternitatis futurae, id facile ostendi potest. Et quidem triplici modo :

1° Oportet gratiam proportionari dignitati ad quam praeparat, disponit atque idoneum reddit : sic gratia primae sanctificationis, ut vidimus, iam debebat B. Virginem idoneam reddere ad hoc quod esset mater Dei.

B. Virgo autem, ut mater Dei altiorem dignitatem habet ceteris creaturis, etiam in statu termini et in conditione gloriae coelestis spectatis[3] : ipsa enim propinquius et

1. Cfr. S. Thomas, III, q. 27, a. 5, ad 2.
2. Ita v. g. explicite dicunt Laurentius Iustinianus, B. de Medina, Suarez, Miechow, Chr. de Vega, Contenson, S. Alphonsus, Terrien, Hugon, Godts.
3. Vide supra, n. 28.

intimius, prae sanctis et beatis, est coniuncta cum Deo, quia pertinet ad ordinem altiorem incarnationis Filii Dei, qui est et Filius eius, ad ordinem scil. unionis hypostaticae quae omnibus est superior et sublimior. Nam ipsa est *vera* mater Dei, beati non sunt nisi filii Dei adoptivi.

Ergo gratia initialis B. Virginis, quae eam debebat reddere idoneam ad hoc quod esset digna mater Dei, debet esse maior et excellentior quam gratia angelorum aut sanctorum, etiam in statu finali et in conditione sua ultima gloriae coelestis.

2° Gratia unicuique tribuitur proportionata relationibus eius ad Deum : quanto enim aliquis propinquius debet accedere ad Deum atque ei esse conformius, tanto plus de gratia Dei accipere debet [1]. Ita concedunt omnes gratiam initialem Mariae proportionari altioribus eius ad Deum relationibus.

Sed Dei mater prae omnibus aliis Deo est propinquissima, atque, ut talis, Deo conformior prae ceteris creaturis etiam in conditione coelestis gloriae spectatis.

Ergo Maria, ut esset idonea mater Dei, debuit gratiam maiorem et excellentiorem accipere prae ceteris creaturis etiam in conditione gloriae coelestis spectatis.

3° Gratia est effectus et signum amoris quo nos diligit Deus. Atqui Mariam, a primo momento suae existentiae, iam diligebat Deus tamquam suam matrem, proinde magis quam omnem aliam creaturam, etiam sanctissimam et eminentissimam in suo introitu gloriae : hoc principium continetur in traditione, Bulla *Ineffabilis Deus* etiam confirmata.

Ergo gratia initialis Mariae multo maior est quam gratia finalis omnis alius creaturae.

85. Animadversio de modo quo prima sanctificatio B. Virginis facta est. — Generatim dicunt recentiores theologi B. Virginem gratiam et sanctificationem humano modo accepisse, i. e. secundum proprium

1. Cfr n. 78 et 83, 2° et S. THOMAS, III, q. 27, a. 5.

actum, ex consensu liberi arbitrii, seu concursu suae voluntatis sub motione Spiritus sancti se ad gratiam sanctificationis paravisse propria dispositione. Quae dsispositio, cum sit mere spiritualis, non indiget tempore sed fieri potest in instanti, ita ut ordine logico praecedat sanctificationem gratiae, sed haec simul tempore adsit, ut explicat S. Thomas, I, q. 95, a. 1, ad 5.

Id quidem asserunt ut *probabile*. Talis enim modus sanctificationis tamquam excellentior, competit Christo, ut notat S. Thomas, III, q. 34, a. 3 ; etiam tribuitur angelis et protoparentibus, imo ipsi Ioanni Baptistae, qui ad praesentiam Christi et B. Virginis exsultavit in utero matris, et secundum Ecclesiam eo momento sanctificatus fuit [1]. A pari igitur, tamquam excellentior tribuendus est B. Virgini. Ceterum tanta gratiae eminens plenitudo non poterat manere iners, sed oportebat esse operosa saltem in initio ; atque ita conveniebat celebrationi nuptiarum cum divino sponso, Spiritu sancto, in primo instanti quo erat virginea sua sponsa. Unde et ait Ecclesia : « Immaculata conceptio est hodie B. Mariae Virginis, quae serpentis caput virgineo pede contrivit », active.

Certum tamen non est, quia non est modus iustificationis naturaliter competens puero in sinu matris, sed miraculosus, et quia etiam dubitari posset de protoparentibus et de angelis. Et exsultatio S. Ioannis forsan intelligi posset, non de motu fidei et consequentis deliberati gaudii, sed de motu inconscio a Spiritu sancto causato et ab infanti passive recepto.

Etiam, post S. Augustinum, ep. 57 ad Dard., c. 7, dubitantem de Ioanne, videtur S. Thomas negare, aut saltem dubitare de Virgine, dicens, III, q. 27, a. 3 : « non statim habuit usum liberi arbitrii adhuc in ventre matris existens : hoc enim est speciale privilegium Christi » ; sed Caietanus, et plures post illum, id intelligit de usu habituali et permanenti libertatis, non autem de usu transeunter et miraculose concesso. Cfr. III, q. 27, a. 6.

86. Conclusio totius doctrinae. — In ipsa bulla *Ineffabilis Deus*, qua Pius IX immaculatam B. Virginis

1. Vide BUZY, *S. Jean a-t-il été sanctifié dans le sein de sa mère?* in *Rev. des Sc. Phil. et Théol.*, 1913. Ita IRENAEUS, *adv. haer.*, III, 16 ; TERTULLIANUS, *de carne Christi*, 21; ORIGENES, *in Luc. hom.* 7 ; AMBROSIUS, *de Fide*, XIV, 113 ; *in Luc.*, II, n. 1 ; CYRILLUS HIER., *cat.* 3 ; HIERONYMUS, ep. 107 *ad Laetam ;* LEO M., *serm. in N. D.*, 10, c. 4. Legimus quoque in hymn. pro 1[is] vesp. S. Ioannis : « Ventris obstruso recubans cubili, *senseras* regem thalamo manentem, hinc parens, nati *meritis*, uterque abdita pandit ».

conceptionem definivit tamquam dogma, enuntiata quoque invenitur doctrina in praesenti articulo exposita, si verba sumantur in primo suo, obvio, et naturali sensu :

« Ineffabilis Deus... ab initio et ante saecula unigenito Filio suo Matrem... tanto *prae creaturis universis* est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complaceret. Quapropter illam longe *ante omnes angelicos spiritus, cunctosque sanctos*, coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Decebat omnino, ut B^ma^ Virgo Maria perfectissimae sanctitatis splendoribus *semper* ornata fulgeret... » *Semper*, ac proinde a primo instanti fuit in gratia super cunctas alias creaturas, etiam coelestes, elevata.

Id scil. est, quod occasione definitionis simul a Pontifice fuit ad eam collustrandam affirmatum. Et ita intelligendo, nullatenus extendimus naturalem sensum verborum, sed potius illum ad minimum restringimus.

Ex iisdem quoque principiis quaestio sequens erit solvenda de comparatione gratiae matris Dei cum gratia universae creationis.

Articulus III.

DE PLENITUDINE GRATIAE COMPARATIVE AD GRATIAM UNIVERSAE CREATIONIS.

87. **Status quaestionis.** — Quaestio passim non invenitur posita apud veteres. Apud modernos autem, licet forsan non omnino certa habeatur, unanimis tamen sonat doctrina : B. Virginem habere maiorem gratiam quam omnes angeli atque sancti collective sumpti, quia plures et maiores sunt ipsi tituli ad gratiam quam toti collectivitati creaturarum.

Nihilominus id triplici diverso modo intelligunt : alii, ut Theophilus Raynaudus, Terrien et Lépicier, id Mariae tantum tribuunt in fine suae terrenae et mortalis vitae ; alii vero, magis logice, cum Valentia, a momento incarnationis Christi ; alii denique ab ipso primo instanti suae sanctificationis et immaculatae conceptionis. Ita S. Alphonsus, Li Glorie di Maria, II, disc. 2, p. 1, et maior pars coaevorum nostrorum cum ipso[1].

Tres illas quaestiones theologi tractare solent una simul et absque distinctione ; unde et eorum argumentatio non semper apparet satis efficax. Quare existimamus haec tria puncta esse separatim consideranda.

88. **B. Virgo, in fine saltem vitae suae mortalis, habuit maiorem gratiam quam omnes angeli et sancti simul sumpti.** — Haec est *doctrina communis* recentiorum theologorum, quae fundatur in triplici ratione :

1° Gratia unicuique datur proportionaliter ad munus et dignitatem, sicut et ad maiorem aut minorem propinquitatem cum Deo, primo gratiae principio atque auctori.

Atqui munus matris Dei tam eminens est quod Maria elevatur supra totum creationis universum : pertinet etenim ad ordinem unionis hypostaticae qua humana Christi natura coniungitur Deo, et hac ratione est ordinis superioris atque intimioris coniunctionis ad Deum quam gratia gratum faciens aut gloria coelestis ; quare superat omnes ordines inferiores rerum, atque excellentiam et dignitatem omnium creaturarum etiam in statu gloriae[2]. Maria scil. propinquissime accedit ad Deum, prae ceteris omnibus.

Ergo mater Dei debet habere, saltem in fine suae mortalis vitae, gratiam maiorem quam omnes creaturae simul sumptae, etiam in statu eorum glorificationis.

2° Mater Dei-hominis tanto a Deo est dilecta, quod eligitur et praedestinatur ut, una cum Christo, in coelesti

1. Ante S. Alphonsum ita dixerunt : Paciuchelli, Contenson, De Rhodes, Chr. de Vega et Sedlmayr ; post illum Dechamps et Godts, Petitalot, Monsabré, Hugon, L. Janssens et Billot. De mente Suarezii disputatur.
2. Vide supra, n. 28. Sicut humanitas Christi unitur divinae personae Filii Dei, ita haec eadem persona est terminus divinae maternitatis B. Virginis.

beatifica Dei visione et fruitione glorificaretur tamquam regina et finis totius creationis ; ac proinde tamquam finis ipsius sanctitatis et gloriae omnium angelorum et electorum ac totius curiae coelestis[1]. Ergo mater Dei-hominis in sanctitate et gloria excedit totam communitatem omnium creaturarum simul sumptarum.

Sed gratia datur proportionaliter ad gloriam coelestem et sanctitatem.

Ergo mater Dei-hominis totam communitatem creaturarum simul sumptarum excedit in gratia.

3° Est quoque Maria mediatrix totius Ecclesiae atque humanitatis redemptae, ita quod omnes gratiae salutis, nonnisi ipsa cooperante et intercedente, vel et dispensante, nobis tribuantur ; ac si esset fons ex quo omnes gratiam hauserint.

Fons autem plus continet quam omnes canales aut fluvii qui ex eo derivantur.

Ergo Maria habet plus gratiae quam omnes homines simul.

Nisi esset gratior Deo atque diligibilior, non posset efficaciter pro omnibus simul intercedere atque iis omnibus gratiam obtinere[2].

Id quoque invenitur in opusculo S. Thomae quod inscribitur : *Expositio Salutationis Angelicae :*

B. Virgo dicitur gratia plena, « quantum ad tria : Primo quantum ad animam... nam ipsa omne peccatum vitavit..., ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit... in exemplum omnium virtutum... Secundo plena fuit gratia quantum ad redundantiam animae ad carnem vel corpus... ita quod... ipsa conciperet Filium Dei... Tertio quantum ad refusionem in omnes homines. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum, sed quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum et hoc est in Christo et in B. Virgine. Nam[3] in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa... Item in omni opere virtutis potes

1. Quare Matri Dei applicantur verba Sapientiae, Prov. VIII, 22 sq. Vide supra, n. 40.
2. S. ALPHONSUS, *Li Glorie di Maria*, I, c. 5.
3. Merito scil. et intercessione eius.

eam habere in adiutorium, et ideo dicit ipsa, Eccli. XXIV, 25 : *In me omnis spes vitae et virtutis.* Sic ergo plena est gratiae et excedit angelos in plenitudine gratiae ; et propter hoc convenienter vocatur Maria, quae interpretatur illuminata in se... et illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum ».

Ultimum argumentum ostendit quare Maria in gratia excedat omnes homines, non autem quod excedat et angelos : non enim apparet quod etiam sit mediatrix spirituum coelestium.

89. B. Virgo cunctos angelos et sanctos excedit in gratia, inde a momento conceptionis Christi seu incarnationis Filii Dei. — Id *non minus certum* videtur quam conclusio praecedens.

B. Virgo habuit gratiam proportionatam

a) muneri matris Dei ad quod idonea sit oportet,

b) et eius propinquitati ad Deum, auctorem gratiae, ac conformitati cum Deo,

c) et dilectioni quam Deus ad eam habet.

Atqui a momento incarnationis Christi

a) realiter et de facto habet dignitatem matris Dei, quae excedit totam dignitatem omnium simul angelorum et sanctorum ;

b) hoc ipso propinquior est Deo, ac etiam quodammodo conformior, quam tota communitas angelorum et hominum in statu beatae glorificationis ;

c) quare a Deo magis diligitur quam totum creationis universum, quod in dignitate excedit.

Ergo a momento incarnationis Christi habuit gratiam maiorem quam omnes creaturae simul unquam haberent.

Quod etiam ex eo confirmari potest, quod, ab eius consensu in incarnationem Christi ac sui maternitatem divinam, tamquam mediatrix intervenit atque adiutrix redemptoris ac Nova Eva, mater spiritualis humanitatis lapsae quam regenerare debebat ad gratiae vitam. Igitur ab hoc saltem momento debet habere gratiam maiorem, quam tota humanitas redimenda unquam possideret.

90. A primo instanti suae conceptionis immaculatae, B. Virgo videtur habuisse gratiam maiorem

ac omnes angeli et sancti simul sumpti habent in statu gloriae. — Id scil. est *valde probabile et verisimile.*

Probatur :

1° A primo instanti suae conceptionis immaculatae, gratia Mariam praeparare debebat suae destinationi futurae, ut esset idonea et digna mater Dei. Id est certum in doctrina conceptionis immaculatae, quod privilegium Mariae datum fuit intuitu suae maternitatis divinae. Quare ad minus videtur valde verisimile, gratiam a primo instanti ipsi concessam fuisse proportionatam suae futurae dignitati matris Dei.

Sed dignitas matris Dei, ut supra ostendimus, excedit excellentiam ac dignitatem cunctorum angelorum et sanctorum, etiam in statu gloriae.

Ergo a primo instanti suae conceptionis immaculatae, gratia maior fuit Mariae concessa quam gratia finalis omnium creaturarum simul sumptarum.

2° Pariter, iam a primo momento suae conceptionis immaculatae, Deus Mariam considerabat et diligebat ut futuram suam matrem, quae prae omnibus creaturis esset ipsi propinquior, ac proinde eam diligebat magis quam totum creationis universum, ac totam communitatem electorum quam in dignitate superaret.

Sed gratia directe proportionatur divinae erga nos dilectioni, cuius est effectus atque signum.

Ergo a primo instanti suae conceptionis Maria accepit gratiam maiorem prae gratia ab omnibus electis simul in coelis possessa.

« Mater Dei..., ait S. Bonaventura, I, d. 44, dub. 3, tantam habuit bonitatis dignitatem, quod nulla mulier amplius capere potuit. Si enim omnes creaturae, quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent praesentes, omnes deberent reverentiam matri Dei ».

3° Id quoque est sensus obvius verborum Bullae *Ineffabilis Deus*, quae supra allegavimus : « Decebat omnino, ut B. Virgo Maria perfectissimae sanctitatis splendoribus *semper* ornata fulgeret », ut ibi dicitur, « quapropter Deus illam longe ante omnes angelicos spiritus..., cunctosque sanctos coelestium omnium charismatum copia de theusauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit..., qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam nemo assequi cogitando potest ». Quodsi in gratia non excederet omnes simul creaturas, *maior facile excogitari posset ;* et si ab initio huiusmodi gratia non fuisset impleta, *non semper* perfectissimae sanctitatis splendoribus fulgeret.

S. Patres quoque, prosequitur Bulla, « compellarunt videlicet Deiparam... sanctiorem sanctitate, solamque sanctam purissimamque anima et corpore, quae sola tota facta domicilium universarum gratiarum sanctissimi Spiritus, et quae sola Deo excepto exstitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim et *omni exercitu* angelorum natura pulchrior, formosior, sanctior, cui praedicandae coelestes et terrenae linguae minime sufficiunt ». Quibus verbis maiorem videntur sanctitatem indicare quam illa quae toti communitati creaturarum est concessa ; hancque sanctitatem Mariae tribuunt inde ab initio, cum ita interpretentur verba Angeli salutantis : Ave gratia plena, quae ante divinam maternitatem ad eam fuerunt directa [1].

91. Animadversio. — Doctrina praedicta omnino conformis est sanae philosophiae. Gratia est quid immateriale, quod nec quantitatem habet nec mensuram, sed tantum est qualitas. Qualitates autem non constant compositione ex numeris et quantitatibus. Quare proprie non est summa aut additio aut collectio gratiarum. Si sanctitas aut gratia Mariae est maior quam gratia primi aut altioris electi, necessario est maior quam gratia

1. LÉPICIER, *Analecta Ecclesiastica*, 1905, has conclusiones impugnavit. Docet ipse Mariam 1° in sua immaculata conceptione accepisse gratiam maiorem gratia finali cuiusque angeli aut sancti : id ob Bullam *Ineffabilis Deus ;* — 2° eam in incarnatione Christi gratiam maiorem accepisse gratia finali omnium angelorum simul et sanctorum hucusque existentium : tunc cepit esse mediatricem ; — 3° sub cruce autem gratiam maiorem gratia finali cunctorum angelorum simul et sanctorum : tunc enim revera et perfecte est cunctorum mater et mediatrix ; — 4° in coelo gratiam maiorem gratia consummata quam cuncti angeli simul et sancti possident in beatitudine : est enim coelorum regina. Haec positio videtur nobis subiectiva et quodammodo arbitraria : distinctiones istae non habent fundamentum in revelatione aut doctrina traditionali.

omnium simul electorum[1]. Pariter intellectus altioris spiritus et perfectioris angeli excedit intellectum omnium simul spirituum inferiorum; atque potestas regum, utpote altioris ordinis, maior est toti potestati omnium simul illorum qui potiuntur inferiori dignitate et munere. Quod videtur esse ratio, quare veteres quaestionem nostram praesentem non explicite tractarent aut ponerent. Docentes Mariam in gratia et sanctitate excedere etiam primum inter electos, eo ipso docebant eam superare omnes.

At etiam pro illo, qui haec sana humanae sapientiae principia non admitteret, doctrina nostra innititur solidis fundamentis. Maria enim habet plures et maiores titulos ad gratiam quam omnes creaturae simul sumptae.

Sicut ergo gratia Christi maior et eminentior est tota gratia omnium electorum, etiam B. Virginis, simul sumptorum, quia in ipso erat ut in principe et capite totius creationis, ac proinde plenius et perfectius quam in omnibus in quos erat derivanda; ita quoque dici debet B.Virginem gratiam accepisse maiorem prae omnibus simul electis quorum est Regina, vel et mediatrix quae iis gratiam a Filio est obtentura.

92. **Conclusio.** — « Gratia plena ! B. Virgo est gratia plena sibi et superplena nobis : de cuius plenitudine omnes accipimus... Itaque et de plenitudine Christi, et pariter de Virginis plenitudine omnes accipimus, hoc tamen discrimine, quia a Christo accipimus gratiam tamquam ab auctore illius, a B. Virgine tamquam a pariente nobis eiusmodi auctorem et tamquam ab imperante et deprecante ».

Ita Paciuchelli, O. P., in *Excercit.* 15 *in Sal. Aug.*, gr. pl., n. 2.

1. Qui gratiam habet in gradu 20mo, habet maiorem sanctitatem ac daret gratia 20 personarum in gradu 2°. Gratia 20 illarum personarum simul coniuncta est tantum in gradu 2°, nullatenus in gradu 40°.

QUAESTIO SECUNDA.

MATER DEI EX PLENITUDINE GRATIAE SUPERNATURALITER EST OPERATA.

Articulus I.

DE EXERCITIO SUPERNATURALIUM VIRTUTUM.

93. **Activitas supernaturalis reducitur ad operationes virtutum.** — Cum gratia habituali gratum faciente infunduntur *virtutes*, tum *theologicae*, tum *morales*, quae ab ea derivantur tamquam proprietates, seu potentiae supernaturales, quibus iustus capax est eliciendi bonas operationes supernaturales, conformiter scil. ad rationem fide elevatam et illustratam, et quidem in omni genere ; pariter *dona Spiritus sancti* quibus aptus fit moveri a Spiritu sancto ac motionibus eius et inspirationibus obedire, quibus movet ad opera supernaturalia virtutum, sive perfectiora et excellentiora, sive perfectius excercenda ; quare *gratiae actuales* conceduntur, tum motionis supernaturalis ordinariae qua virtutes simpliciter applicantur ad agendum, tum motionis specialis qua Spiritus sanctus movet ad excellentius operandum, ad quod pertinent eminentiores operationes *beatitudinum*, et operationes delectabiles *fructuum Spiritus sancti ;* porro ad omnia praedicta conferre quoque possunt *gratiae gratis datae*, quae primario conceduntur ad bonum et salutem, non quidem illius in quo sunt, sed aliorum. Ita tota activitas supernaturalis reduci potest ad operationes virtutum.

Cum autem virtutes et dona Spiritus sancti infundantur proportionaliter ad quantitatem gratiae gratum facientis, B. Virgo ea recipere debuit, et exercere ac augere, in aequali et perfectissimo gradu suae sanctitatis seu plenitudinis gratiae, prae omnibus creaturis plenioris, ut omnino *certum* est. Quare S. Thomas, op. VI Exp. Sal. Ang. : « Gratia Dei datur ad duo, scil. ad bonum agendum et ad malum vitandum, et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit B. Virgo... Ipsa omnium virtutum

opera exercuit; alii autem specialia quaedam... et ideo dantur in exemplum specialium virtutum..., sed B. Virgo in exemplum omnium virtutum »; ut S. Ambrosius, de Virg., l. II, c. 2, longius describit.

94. B. Virgo excellentissime habuit virtutes theologicas. — Sunt virtutes theologicae proxima principia operationum, quibus ad Deum immediate ordinamur et ipsi Deo fini ultimo adhaeremus. Sine dubio Mater Dei debuit eas habere in speciali eminentia; et quidem non solum in ea fuit perfectissima charitas, quae in coelis quoque permanet in aeternum, sed etiam fides, ad quam naturaliter sequitur spes, quae competunt imperfectioni status viae, per quam Maria gradiebatur hic in terris. Quare, ad differentiam Christi, de cuius fide Scripturae consulto tacent, fides B. Virginis laudatur, Lc. I, 45 : *Beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino.*

A. *Fidem* ipsi Veritati revelanti datam habuit, sine qua non potuisset iustificari; et quidem *perfectissimam:* tum ex parte obiecti, quod plenius, perfectius et profundius cognovit ob expressam revelationem mysteriorum quibus erat intime consociata, et ob familiarem cum divino praeceptore Christo conversationem; tum ex parte subiecti, sive ob maiorem certitudinem et firmitatem intellectus, sive ob maiorem promptitudinem et confidentiam voluntatis[1].

Heroicam eam exercuit et eminentius :

1° *In Annuntiatione* statim et sine dubitatione credens rem sublimem Incarnationis Filii Dei ac propriae maternitatis divinae, et excedentem ordinem rerum quae eousque divinitus factae erant; unde Ambrosius, in Luc. I : « Vides Mariam non dubitasse, sed credidisse, et ideo fructum fidei consecutam ».

2° *In Christi Infantia,* monet S. Alphonsus[2] : « filium vidit in stabulo nascentem et creatorem universi credidit; vidit ab Herode fugientem et regem regum credere non destitit; vidit nascentem et credidit aeternum; vidit pauperem necessariis

1. Cfr. S. Thomas, II-II, q. 5, a. 4.
2. O. c., p. III, § IV.

carentem et dominum credidit universi; vidit iacentem in foeno et credidit omnipotentem; vidit loquendi incapacem, et credidit sapientiam esse aeternam; audivit plangentem, et credidit esse Paradisi laetitiam! »

3° *In Christi Passione,* quando, fugientibus apostolis, a Christi cruce non potuit dimoveri, atque filium omnibus contemptibus expositum et crucifixum intuens morientem, in fide eius divinitatis constanter perstitit ac resurrecturum non dubitavit.

Unde S. Albertus M., in Luc. I : « Fidem habuit in excellentissimo gradu, quae rei sibi promissae fidem habuit; quae, etiam dubitantibus discipulis, non dubitavit; quae omnia possibilia esse credenti certissima fuit ». Quapropter fides eius meruit esse causa nostrae salutis, dicente Irenaeo, adv. haer. III, 33 : « Quod Eva ligavit propter incredulitatem, Maria solvit per fidem ».

Hinc a) non est dicendum, sicut Luther, in fide superatam fuisse a centurione, de quo Christus testatus est, Mt. VIII, 10 : *Non inveni tantam fidem in Israël;* Christus enim comparationem non instituit cum omnibus et singulis credentibus in eum, sed ad *ordinariam* proportionem fidei illorum quibus praedicabat;

b) nec cum Erasmo dicendum, dum non legitur Mariam, statim ac peperit, Filium adorasse, forsan non ut Deum agnovisse : de hoc dubitari nequit cum virgo conceperit, ab angelo didicerit nasciturum ex ea esse ipsum Sanctum per excellentiam et Filium Altissimi, et ab Elisabeth impleta Spiritu sancto, mater Domini fuerit vocata;

c) nec cum Theophylacto, qui putat Virginem ad Elisabeth porrexisse, ut experimento dictum angeli comprobaret et sic de mysterio annuntiato ipsa certior fieret; nam, ut ait Ambrosius, in Luc. I : « Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festiva prae gaudio ad montana porrexit »;

d) nec a fortiori cum Origene existimante eam amisisse fidem christianam in passione Filii sui, aut de illa dubitasse; nam numquam peccavit nec venialiter, nec motus primos inordinatos umquam habuit (n. 63 et 69). Quare Bernardo tribuitur dictum : « In ipsa enim sola, in triduo illo fides Ecclesiae stabat, et dum unusquisque haesitabat, haec quae fide concepit, fidem quam a Deo simul suscepit, nunquam perdidit, speque certissima Domini resurgentis gloriam expectavit[1] ».

1. *De Lament. Virg. Mariae.* — Imo nec dicendum est fidem in ea sola remansisse, eo quod apostoli in Christo scandalum passi sunt : scandalum non est existimandum infidelitatis, sed potius infirmitatis et pusillanimitatis ex qua Christum reliquerunt solum, aut ad summum cuiusdam dubitationis et vacillationis, aut obtenebrationis in fide, quin ipsam incurrerint infidelitatem. Quare Petrus statim poenituit,

B. *Spem* quoque habuit, quae fidem naturaliter consequitur, et sine qua nec Mariae possibile esset tendere ad possidendum Deum nondum visum; et quidem *perfectissimam*, innixam soli Omnipotentiae divinae auxilianti, atque ipsum Deum et omnia inde cum plena fiducia exspectantem. Quare cum omnimoda firmitate et absoluta certitudine sperabat Maria, utpcte in sola immutabili omnipotentia Dei immobiliter fundata, et nullatenus in seipsa, fundamento instabili et incerto, nec ullis motibus perturbationis aut diffidentiae in contrarium distracta, cum gratia et charitate plenam se novisset ab omni peccato et inordinatione puram, ac in bono se vidisset firmatam.

Quam spem eminentem exercuit, cum in iuventute ardenti desiderio Messiae adventum instanter postulabat in salutem populi, et ita in se descensurum merebat, tum in specialibus necessitatibus heroice :

1° Cum a Deo exspectavit ut castitatis suae simul ac praegnantiae secretum sponso suo Ioseph manifestaretur.
2° Cum Aegypti exilium patientissime sustinuit.
3° Cum ministros in Cana Galilaeae, non obstante apparente repulsa, admonuit ut quodcumque Iesus dicturus esset adimplerent.
4° Tempore passionis, cum speravit Christi in morte perfectam victoriam.
5° Post Christi mortem, dum plena cum fiducia et sine ulla dubitatione exspectavit eius resurrectionem ac glorificationis triumphum.

C. *Charitatem* denique erga Summam Bonitatem in se infinite amabilem, habuit supereminentem, maiorem charitate omnis purae creaturae, utpote eminentiore plenitudine gratiae, et speciali amicitia Deo copulata tamquam filia praedilecta et unica Patris, mater et consocia Filii, sponsa Spiritus sancti, atque singulari titulo sacrarium totius SS. Trinitatis. Deus enim magis dilexit illam omnibus creaturis, atque grandioribus et singularioribus beneficiis cumulavit, quibus Maria respondit, illum

---

et Ioannes Christo morienti astitit, et alii, ut Nicodemus, Ioseph ab Arimathaea, Lazarus, Maria Magdalena piaeque mulieres manserunt fideles.

amando toto conatu plenitudinis gratiae suae atque suae intensissimae virtutis, Ipsi se consecrando a primo momento suae conceptionis et totaliter se ordinando ad ipsum in plena concordia eius divinae voluntatis. Qua dilectione Maria eo perfectius Deo inhaerebat ac divinis, quod ab omni inquietudine passionis erat libera, ab omni distractione et inordinatione aliena, atque gratia et donis incomparabiliter repleta. Unde assidue ferebatur in Deum; sed nec minus in proximos quos aequali proportione charitatis diligebat in Deo : homines quorum parata erat procurare salutem oblatione sui, et Filii sui in mortem.

Charitatem eminentem tota vita durante exercuit, in specialibus adiunctis cum heroica perfectione :

1° Initio suae existentiae cum totaliter se consecravit Deo.
2° Oblatione sui in templo, et voti perfectae castitatis emissione.
3° Consentiendo angeli nuntio, in perfecta conformitate divinae voluntatis ex amore omnium salutis.
4° In conceptione Filii carnem de ea sumentis, et in eius nativitate.
5° Oblatione Filii in templo.
6° Dum Filium requirebat amissum, et in templo inveniebat inter doctores.
7° Tempore passionis ac mortis Filii, dum ipsum patientem et morientem offerebat, simul ac proprios dolores, in honorem Dei, reparationem peccati, et omnium hominum salutem.

Itaque Maria est omnibus in exemplum virtutum divinarum, quare ab Ecclesia ipsi applicari solent verba Eccli. XXIV, 24 : *Ego mater pulchrae dilectionis et timoris, et agnitionis et sanctae spei.* Quod etiam illustrat Pius X, encycl. *Ad diem illum*, 2 Febr. 1904 :

« Agitur in crucem Iesus, eique in maledictis obiicitur quia Filium Dei se fecit; at illa divinitatem in eo constantissime agnoscit et colit. Demortuum sepulchro infert, nec tamen dubitat revicturum. Charitas porro qua in Deum flagrat participem passionum Christi sociamque efficit; cumque eo, sui veluti oblita, veniam interfectoribus precatur, quamvis hi obfirmate inclamant : Sanguis eius super nos et super filios nostros ».

95. B. Virgo excellentissime habuit virtutes morales infusas. — Versantur virtutes morales circa mores

ordinandos, et sunt habitus qui nos reddunt habiles ad ordinandos actus nostros humanos tamquam media ad ultimum finem. Quatuor sunt fundamentales seu cardinales : in ratione practica est prudentia, quae rectitudinem rationis ceteris omnibus imponit ; in voluntate iustitia, quae actus nostros rectificat in ordine ad alios ; in appetitu sensitivo, fortitudo et temperantia, quae appetitum rectificant in ordine ad nosipsos, sive eum firmando ad bonum arduum prosequendum, sive moderando in quaerendo bonum delectabile : ad quas omnes aliae reducuntur sive ut partes subiectivae seu species, sive ut partes potentiales et virtutes adnexae[1].

Iamvero virtutes morales supernaturales nobis infunduntur simul et aequali gradu cum gratia gratum faciente et charitate, et in eadem proportione cum ea crescunt et augentur. Unde B. Virgo habuit illas in gradu eminentissimo suae plenitudinis gratiae, omnium creaturarum gratia et charitate maioris ac plenioris.

A. *Prudentiam* habuit eminentem, sine qua nec ulla virtus recte exerceri potest. Ipsa enim omnes actus suos ordinavit et omnia quae operata est direxit iuxta rationis et fidei normas et praescripta, ita ut nec in minimo ab iis deflexerit. Quare ab Ecclesia invocatur *Virgo prudentissima;* ab Ephraem salutatur « princeps omnium prudentissima ac sagacissima et lucifera virgo », de SS. Dei Gen. M. Laudibus ; et a Bernardo dicitur : « virgo prudens lampadem habens et in vase Deum portans », serm. 2 in Ass. B. M.

Prudentiam sapientissime exercuit in Annuntiatione, secum cogitans et deliberans qualis esset illa salutatio angeli, nec cito respondens turbata sed mature volens considerare tam extraordinarium nuntium ; dein modum inquirens quo illud Deus fieri voluit, ut necessarium sibi videbatur, cum virginitatem vovisset servandam ; denique voluntati divinae clare manifestatae statim obsecundans : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quare Richardus a S. Laurentio, De Laud. B. M., l. III : « Habuit ex prudentia, quod siluit turbata, quod intellexit audita, quod respondit ad proposita ».

1. Non recte a quibusdam affirmatur virtutes, etiam tamquam partes integrales, reduci ad cardinales : licet in cardinalibus et partes integrales distinguantur, istae tamen non sunt habitus nec virtutes, sed solum conditiones aut dispositiones ut actus virtutis perfectus sit.

B. *Iustitiam* perfectissime servavit erga alios, tum generalem, ordinans totam vitam in maximum bonum totius humanitatis lapsae reparandae, speciatim in salutem propriae gentis, ac in omnibus se subiiciens ordinationibus Legis ; tum particularem, omnino declinans a malo nocivo aliis inferendo aut volendo, et faciendo bonum omnibus debitum, vel et ex honestate et decentia conveniens.

In specie : 1° Iustitiam erga Deum coluit, *religionem*, cum esset devotissima, prompte se tradens in servitium divinum, et excellentiam Dei supremam agnoscens ac absolutam sui dependentiam in affectu plenae servitutis ; speciatim :

a) infans Deo se offerens in templo ; ac opportuno tempore se consecrans voto perfectae castitatis ;

b) celebrans laudes divinas in psalmis ac cantico suo Magnificat ;

c) adorans Filium ex ea conceptum et natum cum profunda reverentia ;

d) puerum in templo offerens Deo Patri ;

e) quotannis ascendens Hierosolymam in die solemni Paschae ;

f) Filium offerens in propria carne et sanguine, simul ac proprios dolores, in sacrificio crucis, ad honorem Dei et propitiationem nostri omnium peccati ac totius generis reconciliationem : qui fuit actus latriae omnium excellentissimus.

2° *Obedientiam* exhibuit praeclaram et singularem, declarans : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Lc. I, 38), cui normae indesinenter mansit fidelis, obediens Dei eiusque voluntati, lege et superioribus ac quibuscumque manifestatae. Beata obedientia, nam ut Irenaeus dicit, adv. haer. III, 22 : « Quemadmodum... Eva inobediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis, sic et Maria... obediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis ».

3° *Misericordiam* maxime exercuit, libenti iniuriarum Christo et sibi illatarum condonatione, pia commiseratione nostrae omnium peccatorum miseriae, ac larga necessitatis indigentiaeque, praesertim spiritualis, alleviatione ; nam omnibus auxiliari paratissima est mediatrix et omnes gratias distribuit salutis. Quare *regina misericordiae* et *mater* vocari meruit, cum misericordia eius repleta sit omnis terra.

Poenitentiam an habuerit disputari potest :

a) Certo non fuit in ipsa virtus poenitentiae *quantum ad actum*,

quia in ea nullum fuit peccatum nec minima inordinatio ; unde de iis non poterat dolere aut pro iis satisfacere: quamvis multa opera externa poenitentiae perfecerit pro mundi expiatione et satisfactione nostrorum peccatorum ; at non sunt actus poeninitentiae virtutis, sed misericordiae et charitatis, sicut apud offensum pro alio intercedere aut debita aliena solvere.

b) Unde aliqui dicunt nec in ea fuisse poenitentiam *quantum ad habitum*, sicut nec in Christo, propter sui impeccabilitatem : ipsa enim moraliter fuit impeccabilis, Christus etiam radicaliter et metaphysice.

c) Conformius tamen doctrinae generali de virtutibus, dicitur in ea fuisse virtutis poenitentiae habitum. In Christo esse non potuit, cum ipse radicaliter et metaphysice fuerit peccati incapax, nam Deum peccare omnino repugnat ; Maria vero moraliter dicitur impeccabilis et potius extrinsece, ex speciali invigilantia et assistentia divinae providentiae, non intrinsece nec a fortiori radicaliter, cum omnis pura creatura ex propria deficientia essentialiter sit capax peccandi. Unde et Theologi, cum S. Thoma[1], generatim tribuunt Adamo virtutem poenitentiae, licet in statu innocentiae ad actum venire non possit, cum omne peccatum veniale, statu durante, sit impossibile ; statu autem per peccatum mortale soluto, iam amittitur virtus. Propter radicalem capacitatem peccandi admittunt in Adam virtutem poenitentiae, qua dispositus erat, ut si peccatum praecessisset de eo doleret, eodem modo quo infantes baptizati ante usum rationis habitu poenitentiae disponuntur ad dolendum de peccato quod commisissent : ita B. Virgo per habitum poenitentiae poterat disponi ad vere dolendum de peccato, si quod committere potuisset.

C. *Fortitudine*, seu animi firmitate contra gravissima pericula et durissimos labores, singulariter effulsit in oneribus vitae perferendis atque doloribus, potissimum in passione ac morte Filii firmiter sustinendis. Quare meruit vocari *regina martyrum*, quia internis doloribus plus passa est et generosius quam veri martyres externis cruciatibus.

Magnanimitatem quoque ostendit, cum prompte esset parata ad omnia etiam maxima facienda aut ferenda pro Christo et hominum salute ; *magnificentiam*, sub cruce Filii stans ut palma et atrociores dolores tranquille et modeste perferens, non ponderi cedens ; *patientiam*, tristitias, dolores et adversitates aequanimiter ferens ex iniuriis et blasphemiis ac cruciatibus Christo illatis ;

1. I, q. 95, a. 3.

imo pro ea inferentibus condonationem deprecans, in patientia invincibilis ; *perseverantiam*, stabiliter immobilis et absque vacillatione in opere incepto persistens inflexibilis, arduitate non obstante ex diuturnitate duri laboris et continuatione ingentis doloris exorta, nec incommoditates supervenientes reformidans. Christi quasi cruci confixa, intensissime cum Christo patiens ipsa, ac compassione sua commoriens, inexpugnabilis stetit in magnitudine dolorum, donec corpus Filii depositum in suis brachiis exceperit contemplans vulnerum livorem, anima gladio dolorum transfixa. Quare *Mater dolorosa* merito vocatur atque *mater dolorum*[1].

D. In *Temperantia* singulariter praefulgens fuit, cum commessationes excessivas, ebrietates et voluptates carnales, omnes abhorruit, spiritualibus deliciis affluens ; quare species temperantiae : abstinentiam, sobrietatem, et una cum pudicita castitatem, excellentissime servavit cum angelica puritate, pulchritudinem et decorem ex lumine rationis et gratiae refulgentem in functionibus maxime inferioribus et animalibus ponens, easque moderans, et ad debitam proportionem reducens.

Hinc perfectissime quoque moderata est omnes alias passiones et motus ; quare :

1° *Humilitatem* exercuit singulariter, ex reverentia divina appetitum propriae excellentiae moderans cum agnitione et contemptu propriae vilitatis. Nam ad dignitatem matris Dei et reginae universi electa, se confessa est *ancillam Domini* (Lc. I, 38), cuius *Dominus respexit humilitatem* i. e. humilem et infimam conditionem (I, 48). Quare S. Bernardinus Senensis : « Sicut nulla post Filium Dei creatura tantum ascendit in gratiae dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundae » serm. 4 de B. M. V., a. 1, c. 3. Quam alte celebrant Patres.

2° *Mansuetudinem* quoque in ira perfecte moderanda, ex magna animae lenitate et dulcedine, ita ut nec indignationem senserit in crucifixores Filii. De quo Bernardus : « Revolve diligenter evangelicae historiae seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quid denique signum, vel tenuis

1. Quare minus rectum erat, nonnullos libellos devotionis asseruisse, aut quasdam picturas, imagines, icones, repraesentasse B. Virginem, spasmo quodam collapsam, aut syncopen passam, vel imbecillitate omnino depressam. De quo CAIETANUS scripsit *Opusculum de Spasmo B. Virginis Mariae*. Quapropter, iussu Inquisitorum fidei, picturae huiusmodi aut imagines interdictae fuerunt.

indignationis, occurrerit in Maria, de cetero suspectam habeas et accedere verearis » serm. de Nat. M. Unde Ecclesia cantat : *Virgo singularis, inter omnes mitis.*

3° *Modestiam* denique tum in motibus : gestu, incessu, locutione, voce, visu, aspectu, vultus explanatione, etc., cum omnes motus interiores et exteriores perfecte ordinaverit, nihil indecori aut inordinati in iis admittens ; — tum in cultu proprii corporis et externo apparatu, humilitatis habitum mediocriter servans[1] : ad quod pertinent parcitas et sufficientia moderata paupertatis.

« Sit igitur vobis, ait Ambrosius, de virg., l. 2, c. 2, tamquam in imagine depicta virginitas, vita Mariae de qua velut speculo refulgeat species castitatis et forma virtutis », ut dein late ostendit.

Non habuit Maria *continentiam* in sensu stricto, quae supponit imperfectionem et disponit ad resistendum passionibus insurgentibus contra rationem : cum enim in ipsa non fuerit fomes concupiscentiae, nec ullus motus insurgere potuerit praevie ad imperium rationis. At sensu latiore continentia etiam dicitur abstinentia ab omnibus delectationibus venereis, et in hoc sensu habuit continentiam perfectissimam.

96. In excellentiore exercitio virtutum B. Virgo multum progressa est Spiritus sancti donis. — Dona Spiritus sancti sensu speciali vocantur supernaturales qualitates, quibus homo disponitur ad prompte obediendum inspirationibus Spiritus sancti, in iustis per charitatem, tamquam motoris proprii, inhabitantis. Divina autem inspiratio non est motio Dei ordinaria seu communis applicans potentias ad agendum, bonum faciendum et malum vitandum, sed est specialis impulsio et motio directiva ad prosequendum hic et nunc id ad quod Spiritus sanctus instinctu suo impellit. Quare dona sunt *habitus* infusi ut homo operetur supra humanum modum *ex connaturalitate affectuosa* ad res divinas, et ex quadam experientia affectiva illarum prout movetur ex instinctu Spiritus sancti ; differunt a virtutibus quibus homo disponitur ad agendum conformiter ad rationem secundum modum deliberationis humanae, donis vero per internum affectum et specialem instinctum, praeter regulas deliberationis et prudentiae mere humanae, secundum normas

1. ALBERTUS M., *Mariale*, q. 61.

Spiritus sancti. Quare dona nos ordinant ad eminentius operandum, sive ratione materiae ad actus eminentiores et altiores, sive ratione modi altioris, ad agendum absque praevia diuturna humana deliberatione, ex instinctu divino.

B. Virgo excellentissime habuit dona Spiritus sancti, proportionaliter ad magnam suam gratiam et charitatem ; unde ea exuberantius habuit prae ceteris creaturis.

Ceterum convenientissimum est ut Sponsa Spiritus sancti perfectissime ab ipso moveretur et regeretur, in omnibus ei obsequens. Et quamvis a primo momento creationis, Spiritus sancti donis plena fuerit sicut et sua gratia, notabile tamen incrementum eorum accepit in vita, non solum in conceptione Christi virtute Spiritus sancti peracta, sed etiam in Spiritus sancti solemni missione, ipsa die Pentecostes quando illapsus est in Mariam et in apostolos (Act. I, 14 ; II, 3-4).

In specie : 1° Dono *intellectus*, sub motione Spiritus sancti, ex connaturalitate affectuosa vel experientia affectiva ad res divinas, B. Virgo simpliciter percipiebat et penetrabat mysteria fidei, eorum credibilitatem, intimum sensum et convenientiam, et quidem clarissime prae ceteris omnibus, nam nulli personalis experientia tam copiosa data est mysteriorum : conceptionis virginalis Christi et incarnationis, consequenter Dei unius et trini sibi praesentis, eminentiae gratiarum suarum, et oeconomiae redemptionis divinae, cuius ipsa consors existebat.

2° Dono *sapientiae*, sub motione Spiritus sancti, de rebus divinis iudicabat, et de rebus humanis iuxta rationes divinas, secundum connaturalitatem ad charitatis amorem, quo proportionabatur et conformabatur Deo amato et intime ac praesentialiter sibi unito, et cuius experientiam habebat suavis gustus et delectabilis affectus ; et quidem praecellentissime cum omnibus fuerit in charitate altior et ferventior, et frequentissime, suavissime et inaestimabiliter divina contemplando gustaverit, a quibus nihil eius mentem retardabat. Et id forsan et aliis modis, quos ignoramus, vel nec quidem suspicari possumus. Ad quod apte disponebatur profunda sua humilitate, atque virginitate purissima.

3° Dono *scientiae*, ex speciali Spiritus sancti instinctu, de rebus creatis secundum veritates fidei iudicabat ex quadam interna experientia et affectiva connaturalitate, moderate iis inhaerendo in quantum ad Deum et salutem conferri possint,

et recte aestimando earum caducitatem et vanitatem : ita quod celerrime de iis mentem transferret ad Deum.

4° Dono *consilii*, ex speciali instinctu Spiritus sancti, Maria quoque iudicabat de particularibus agendis convenienter ad vitam aeternam ; praesertim in casibus difficilioribus, inopinatis et ambiguis, in quibus non est sufficiens prudentia humana : iudicabat scil. ex consilio Dei qui potest cuncta disponere et omnes difficultates superare, et ab eo dirigebatur indeviabiliter, ita ut constanter operaretur sub ductu Spiritus sancti, et quidem in plena fiducia et sine haesitatione.

5° Dono *pietatis*, sub motione Spiritus sancti, Maria amanter reverebatur Deum ut Patrem, et omnia ad Deum pertinentia affectu cultuque filiali prosequebatur, maxime homines in quantum pertinent ad Deum ; et quidem modo insigni, cum Dei fuerit praedilectissima filia, et nulla tam bene et tam incessanter experta sit paternam eius bonitatem in omnibus beneficiis ; quare pro eius gloria et fratrum salute seipsam et dilectum suum Filium offerre non dubitavit.

6° Dono *fortitudinis*, ex instinctu Spiritus sancti, ardua et gravia pericula sustinuit Maria, ad quae non sufficit debilitas virium humanarum nec ipsa virtus fortitudinis, sed praeter humanum modum et ultra humanum consilium, dirigente consilio divino, et iuxta vires et brachium Dei, et quidem firmiter et plena cum fiducia, sine trepidatione aut timore, viribus divinis quasi propriis : ita fortissima ad summum gradum pervenit, martyrium cordis.

7° Dono *timoris Dei*, sub divino instinctu, ex filiali affectu movebatur Maria ad reverentiam divinae maiestatis et eminentiae : non quidem timendo sibi peccatum et separationem a Deo, cum hoc malum ipsi accidere non deberet idque certo confideret ; at humiliter respiciendo eminentiam tantae maiestatis et praecellentem eius omnipotentiam a quo omnia dependent, ac refugiendo peccatum contra Dei honorem ut in creatura absolute possibile, resiliendo in propriam parvitatem ac voluntarie subiiciendo hanc sui parvitatem et nihilitatem.

Uno verbo, Spiritus sanctus cum suis donis in Maria inenarrabili plenitudine incessanter requievit, et animam eius exornavit ; de quo legendus est Dionysius Carthusianus, de Laudibus glor. Virg. M., l. II et III.

97. **Animadversiones.** — 1° Plures tenent B. Virginem habuisse non solum virtutes supernaturales, sed etiam *virtutes morales naturales*, a primo momento sibi *per accidens* fuisse *infusas* a Deo, tamquam perfectiones morales naturae convenientes, et causas proximas et connaturales actuum moraliter bonorum ; et hoc quidem tam ad sui perfectionem, quam ad virtutum naturalium exemplum, ita ut in tenella aetate iam esset virtutum magistra. Sicut enim Christus eas per infusionem obtinuisse existimatur, et pariter Adam, ut ab exordio essent perfecti, ita et de B. Virgine est dicendum.

Haec quidem probabilia sunt et sat generatim admitti videntur in theologia posttridentina ; apud S. Thomam autem, quantum sciamus, non inveniuntur explicite dicta.

2° In B. Virgine non tam sunt virtutes *politicae*, quibus homo recte se habet in rebus humanis secundum conditionem suae naturae, vel et *purgatoriae*, quibus se trahit ad divina et in similitudinem divinam tendit, quam virtutes *iam purgati animi*, quae sunt divinam similitudinem iam assequentium, scil. « beatorum vel aliquorum in hac vita perfectissimorum », ut habet S. Thomas, I-II, q. 61, a. 5.

Hinc ait Albertus M., in Mariale, q. 61, § III, eam habuisse virtutes morales per modum patriae, quantum ad actuum perfectionem, per modum viae quantum ad merendi conditionem, ita quod habuerit eas excellentius viatoribus quantum ad actum, et comprehensoribus quantum ad effectum. Et similiter dicit de donis Spiritus sancti in Maria, q. 69.

3° Cum virtutes et dona tam perfecte possederit B. Virgo, non est dubitandum quin etiam *beatitudines* et *fructus* plenissime habuerit.

Beatitudines scil. sunt actus superexcellentes donorum Spiritus sancti, qui beatitudinem specialiter merentur et securitatem praebent de beatitudine futura (Mt. V, 3-10) ; fructus Spiritus sancti sunt actus virtutum qui sub motione instinctiva divina fiunt magna cum perfectione et exquisita, quasi coelesti, delectatione (ad Gal. V, 22-23).

4° Ad exercitium virtutum conferri possunt *gratiae gratis datae* (I Cor. XII, 7-10), quantum ad actus quibus B. Virgo erat in relatione ad alios, quos hisce erudire posset. Iis gratiis eam insignitam fuisse convenientissimum est, tum quia est Dei mater, plenitudine omnium gratiarum cumulatarum decenter decorata, tum quia est socia et

adiutrix redemptionis, tum quia est regina totius Ecclesiae, Apostolorum, Prophetarum, Pastorum et Doctorum. Unde « non est dubitandum, ait S. Thomas, III, q. 27, a. 5, ad 3, quin B. Virgo eas acceperit excellenter ».

Addit tamen S. Doctor : « Non tamen accepit ut haberet omnes usus harum... gratiarum, sicut habuit Christus, sed sesecundum quod conveniebat conditioni ipsius. Sapientiae enim usum habuit in contemplando, secundum illud Lc. II, 19 : *Maria conservabat omnia verba haec conferens in corde suo;* non habuit autem usum sapientiae quantum ad docendum, quia non conveniebat sexui muliebri ; secundum illud I Tim. II, 12 : *Docere autem mulieri non permitto* », scil. publice in Ecclesiae coetibus[1] ; nihil tamen prohibet quin B. Virgo in familiari colloquio aliqua particularia facta explicuerit apostolis aut discipulis, ait Caietanus, v. g. ex vita sua aut vita Christi, vel etiam privatim uni vel alteri quidquam declaraverit. « Miraculorum autem usus ei non competebat, dum viveret ; quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis. Et ideo soli Christo, et eius discipulis, qui erant baiuli doctrinae Christi, conveniebat miracula facere... », scil. publice et in confirmationem doctrinae. Sed nihil prohibet quominus Maria privatim quoddam miraculum fecerit in gratiam cuiusdam particularis personae, et exceptionaliter, quia de hac re nihil legitur. « Usum autem prophetiae habuit, ut patet in Cantico quod fecit : *Magnificat anima mea Dominum*, etc. Lc., I, 47 ».

Articulus II.

DE SCIENTIA VIRTUTUM DIRECTIVA.

98. **Status quaestionis.** — Exercitium virtutum rationali cognitione dirigi oportet, quae generaliore sensu vocari potest *scientia*, sed diversa esse potest et diverso gradu perfectionis, a simplici notitia vulgari principiorum moralium rationis et fidei, traditione maiorum aut superiorum accepta, usque ad perfectam sapientiam acquisitam aut infusam.

Ita in Christo, praeter divinam scientiam quam habet ut Deus, triplex distinguitur scientia in humana sua natura :

1° scientia beata seu intuitivae Dei visionis beatificae ;

1. Cfr. II-II, q. 177, a. 2.

2° scientia infusa seu indita, qua speciebus a Deo infusis cognoscebat ad modum angelorum ;

3° scientia acquisita seu naturalis, quam ope experientiae per exercitium proprii intellectus sibi naturaliter acquisivit.

Haec ex naturali lumine intellectus agentis oritur secundum species a phantasmatibus abstractas ; secunda est ex lumine superiore infuso excedente proportionem phantasmatum ; prima ex lumine divino.

Angelis naturalis est scientia infusa, qua res intelligunt per species spirituales sibi a Deo in creatione inditas. Potest autem Deus scientiam humanam, similem illi quae a nobis acquiritur, etiam cuidam infundere, qualem dedit Adam et Apostolis, quae tunc est per accidens infusa, dum scientia angelorum est infusa per se et ex natura sua.

Iamvero quaeritur utrum illae scientiae etiam competant B. Virgini. Et quidem :

1° Scientiam beatam visionis intuitivae Dei communiter ei denegant ; solus Chr. de Vega fertur ut probabile habere eam in tota vita terrestri habuisse Dei visionem ; at plures tenent ista visione quandoque transeunter fuisse dotatam.

2° Scientiam per se infusam plures in ea admittunt, ut Suarez, Salazar, Sedlmayr, Garriguet, Terrien, Hugon, Alastruey ; alii tamen negant, ut Gerson, Estius, Lépicier, Campana, Dourche.

3° Scientiam naturalem acquisitam ipsi tribuunt omnes ; huiusmodi scientiam per accidens infusam ordinario in ea admittunt illi qui negant per se infusam, ut Estius, Lépicier, Campana, praeterea et alii, ut S. Albertus M., S. Antoninus, Alastruey.

In hisce multae quidem sunt possibilitates, quarum plures forsitan in B. Virgine fuerunt a Deo impletae. At meras possibilitates theologus in sua scientia non considerat, sed solum assertiones certa demonstratione munitas, aut in solida probabilitate fundatas.

99. **B. Virgo non demonstratur in vita terrestri**

habuisse visionem intuitivam Dei : nec permanenter scientiae beatificae, quae ipsi deneganda est, nec etiam transeunter.

A. *Prima pars* est doctrina *communis et certa*, contra unum forsan Chr. de Vega. — *Probatur :*

Visio beatifica evacuat fidem, meritum impedit vitae aeternae, et crescentiam in gratia tollit. Atqui B. Virgo, durante vita terrestri, habuit fidem (n. 94) ; mereri debuit vitam aeternam, quae soli Christo connaturaliter debita erat iure filii naturalis ; atque in gratia crescere potuit (n. 80), utpote viatrix.

Ergo B. Virgo non habuit visionem intuitivam beatificam seu permanentem.

B. *Secunda pars* disputationi est obnoxia. Plures enim vere probabile, imo probabilissimum, dicunt eam visione Dei dotatam fuisse in quibusdam momentis, uti solemnioribus. Si enim Moyses (Num. XII, 8 ; Ex. XXXIII, 19) et Paulus (II Cor. XII, 2-4) transeunter per instans potuerunt Deum ipsum videre, quod ipse S. Thomas dicit probabilius [1], a fortiori id asserendum est de Matre Dei, ut ait Dionysius Carthusianus [2].

Argumentum allatum valorem de se habet magnae probabilitatis ; at, cum hodierni interpretes Scripturae sententiam de visione ipsius Dei a Paulo et a Moyse non habeant vere fundatam [3], consequenter evanescit exinde deducta probabilitas visionis in B. Virgine.

Hinc non est *affirmandum* eam visione huiusmodi donatam fuisse, in primo momento suae conceptionis immaculatae, aut in conceptione Christi, aut in eius nativitate, aut in gloriosa Filii resurrectione vel ascensione. Haec quidem sunt merae possibilitates, quas Deus potuit ad ordinem realem deducere ; at nullum est indicium, nullum positivum argumentum quod ita revera factum sit, ac proinde non sunt verae et solidae probabilitates [4].

1. II-II, q. 175, a. 3.
2. *De Laudibus glor. Virg. Mariae*, l. II, n. 12.
3. Cfr. F. CEUPPENS, *Theologia Biblica*, I, De Deo Uno, p. 143-145.
4. Non tamen negamus magnam *probabilitatem* apparitionis, qua ex pietate filiali Christus post resurrectionem, et quidem primo et ante omnes alios, apparere voluit matri suae, ostendens ei non suam

100. B. Virgo non probatur in vita terrestri habuisse scientiam habitualem per se infusam ; licet transeunter in quibusdam adiunctis huiusmodi cognitione infusa mens illius illustrari potuerit.

A. *Prima pars probatur :* Scientia per se infusa non est naturaliter possibilis in hac vita mortali ; sed

a) est perfectio intellectus humani in statu termini, quatenus anima visione beatifica donata, omnino supra sensus corporis elevatur, angelis similis effecta in spiritualitate et in modo intelligendi ; imo etiam competit animae separatae visione beatifica carenti ;

b) est perfectio connaturalis intellectui angelico et propria angelorum ;

c) a primo momento suae vitae humanae, est in Christo qui ab initio debebat esse omnino perfectus, ut caput omnium creaturarum, et iam erat in statu termini secundum animam ; secus morte sua illam scientiam obtinere debuisset.

Atqui B. Virgo

1° non debebat habere scientiam animae separatae congruentem, quia nondum erat in statu termini, sed in statu viae ;

2° nec debebat habere scientiam angelorum, quia natura angelus non erat ;

3° nec debebat habere scientiam infusam ab initio sicut Christus, quia ab initio non debebat perfectionem habere quae Christo competebat in quantum iam erat comprehensor, et caput totius creationis, dum ipsa non sit ; nam simpliciter adhuc erat viatrix, et dignitate capitis non fuit donata.

Ergo B. Virgo scientiam per se infusam in vita terrestri regulariter habuisse non demonstratur.

Conformiter omnino ad doctrinam S. Thomae, III, q. 27,

divinitatem, sed corpus gloriosum, ut affirmant quidem Patres et Doctores ; licet etiam id certum non sit. Et dato quod ista apparitio locum non habuerit, explicari id posset ex firma certitudine quam habebat Maria resurrectionis Filii, a magna sua fide vel a cognitione quadam superiori infusa, et ideo apparitione Filii non indigebat ad fidem roborandam.

a. 3, dicentis fomitem concupiscentiae in Maria fuisse ligatum « non per actum rationis suae..., quia non statim habuit usum liberi arbitrii, adhuc in ventre matris existens : hoc enim est speciale privilegium Christi ». Si autem ipsi data fuisset scientia per se infusa, quae non dependet a concursu phantasiae, statim ab initio habuisset usum rationis et liberi arbitrii, et quidem continuo, etiam durante somno vel corporis defatigatione. Ceterum sententia cui contradicimus non est fundata in traditione, cum non videatur orta ante saec. XIV[1].

Itaque scientiam per se infusam fuisse in B. Virgine est sane possibile ; at cum huiusmodi scientia non sit homini naturalis, ac proinde miraculum constituat, factum non est praesumendum sed probandum ; nullum autem est eius indicium aut positivum fundamentum, unde adesset vera et solida illius probabilitas[2].

B. *Altera pars :* Cognitionem infusam transeuntem Mariae fuisse communicatam conveniens erat in quibusdam specialibus adiunctis, v. g. in primo instanti conceptionis et sanctificationis, aut dum huiusmodi cognitio perfectior hic et nunc opportuna aut decens videbatur ad pleniorem intelligentiam cuiusdam mysterii, aut ad interpretationem cuiusdam loci Scripturae ; et si prophetis aliquando videatur concessa, aut etiam sanctis, quo altius in contemplando assurgerent, sicut testantur auctores mystici, non est tale privilegium B. Virgini denegandum.

Obiiciunt : 1° Sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei (Rom. XI, 29), praesertim data in utilitatem, perfectionem et sanctificationem suscipientium. Sed talis est usus rationis, ex cognitione infusa in primo instanti conceptionis immaculatae concessus. Ergo durare debuit.

Resp. Principium valet de donis habitualibus et permanentibus, non de essentialiter transeuntibus quae dantur ad unum vel alterum actum, et quae cum actu cessare debent, qualis est gratia

1. POHLE, *Dogmatik*, II, p. 251.
2. Quandoque etiam optimi auctores sibi contradicunt. Ita in doctrina mariana notissimus Terrien. Non vult admittere gratiam initialem B. Virginis fuisse maiorem gratia omnium simul angelorum et sanctorum, quia Virgo est in statu viae et sufficit talem perfectionem attingere in fine vitae. Explicite affirmat principium : *De Maria nunquam satis*, esse intelligendum de solis privilegiis quae conveniunt statui viae. Quod tamen non impedit quonimus omnibus viribus adstruat in Maria scientiam per se infusam, — quae est cognitio propria status termini, — et hoc ad augenda eius merita, quae sunt actus proprii status viae. Sic admittit miraculum permanens, ut B. Virgo citius perveniat ad illum gratiae gradum, quem Deus, absque miraculo, potuisset ipsi conferre a primo momento creationis.

actualis et illustratio B. Virgini data ad consecrationem Deo faciendam, et libere consentiendum infusioni habitualis gratiae primo momento conceptionis immaculatae. — Vel : valet solum de donis naturae rerum conformibus, non de miraculosis, qualis est homini scientia per se infusa.

2° Repugnat ingentem gratiae plenitudinem, qualis in Maria fuit, manere inoperosam.

Resp. Omnis gratia, sive ingens sive parva, ex natura sua aeque tendit ad activitatem operis ; si ergo non repugnat parvae gratiae manere sine opere, ut in infantibus baptizatis, aut in adultis dormientibus vel amentibus, neque repugnat gratiae ingenti.

3° Decebat Mariam actibus ac meritis se disponere et praeparare ad dignitatem matris Dei et munus consociae et adiutricis Redemptoris ; id autem perfecte sine interruptione non posset facere absque scientia per se infusa.

Resp. Decebat Mariam se disponere et praeparare actibus conformiter naturae humanae in statu viae ; non autem privilegiis naturae angelicae aut animae in statu termini reservatis, qualis est scientia per se infusa.

101. B. Virgo habuit scientiam connaturalem propriis actibus acquisitam, imo convenienter in quibusdam adiunctis scientia ampliari de nonnullis veritatibus potuit infusione a Deo. — Est doctrina *communis*.

Probatur : B. Virgo habuit potentias sensitivas et intellectuales, et quidem, propter perfectionem sui corporis et animae, valde aptas ad connaturales operationes. Ergo per experientiam rerum sensibilium, ope intellectus agentis abstrahentis a phantasmatibus conditiones individuales et mediantibus speciebus mentalibus sibi formatis, potuit intelligere rerum essentias, principia intueri, et exinde ope rationis alias veritates deducere ac scientiam sibi comparare, atque in ea progredi. Principium enim activum non potest manere expers propriae operationis propter quam est et quam habere debet.

Nihilominus decebat quod Deus cognitionem connaturalem B. Virginis infusione specierum ampliaret et extenderet ad munus suum perfectissime exequendum. Sicut primus homo Adam, in origine sua, scientiam per accidens infusam recepit omnium quae ad dignitatem

et officium instituendi et gubernandi genus humanum pertinebant, et sicut Apostoli receperunt cognitionem perfectam doctrinae sacrae ; ita B. Virgo divinitus accipere debuit cognitionem de iis omnibus quae pertinent ad eius dignitatem et munus matris Dei, consociae Redemptoris, atque matris nostri omnium et Ecclesiae, ut congrue posset officium implere. Ita infusione divina accipere potuit perfectiorem cognitionem Dei et sui, motivorum credendi, mysteriorum fidei, puta Incarnationis, SS. Trinitatis, Redemptionis, peccati originalis et gratiae, aut scientiam practicam aptam ad directionem vitae suae tam altae sanctitatis, vel et profundiorem S. Scripturarum intelligentiam : non quidem haec omnia simul, sed successive, in quantum hic et nunc conveniens erat ad munus suum perfecte exequendum.

102. Progressus scientiae in Maria. — Potuit itaque B. Virgo crescere in scientia variis modiis :

1° proprio ingenio, scil. inveniendo veritates, experientia addiscendo aut confirmando, profundius penetrando ; quare Eadmerus, de Exc. B. V. M., c. 7 : « Multa... in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis eiusdem D. N. I. C. » ;

2° mediante institutione a parentibus aut in templo accepta, saltem quoad aliquas veritates secundarias, aut veritatum supernaturalium circumstantias, aut intelligentiam quorumdam locorum Scripturae ;

3° assidua lectione S. Scripturae ;

4° ministerio angelorum, sive corporali eorum apparitione, sive etiam interna mentis illustratione, proponendo veritates sub similitudinibus sensibilium ;

5° familiari conversatione cum Filio, praesertim in longiore vita huius abscondita ;

6° revelationibus etiam specialibus ;

7° die Pentecostes, sub illapsu Spiritus sancti.

103. Corollaria. — Ex praedictis sequitur scientiam B. Virginis non esse pie exaggerandam. Non est existimandum :

1° Eam habuisse cognitionem omnium scientiarum et artium humanarum.

2° Nec eam posse videre angelos per essentiam, quod pertinet ad scientiam per se infusam, nam, ut ait S. Thomas de Maria, III, q. 30, a. 3, ad 1 : « hoc non patiebatur status hominis viatoris, quod angelum per essentiam videret ».

3° Sed eam solum habuisse notitiam rerum naturalium et moralium, quae ad intelligentiam veritatum fidei, scientiam rerum agendarum, et sufficientem intelligentiam Scripturae, maxime faciunt.

4° Ergo sicut Adam non habuit scientiam infusam de iis quae ad gubernationem vitae humanae necessaria aut convenientia non erant, ita nec in B. Virgine ponenda est infusa scientia de iis quae muneri suo exercendo aliena sunt.

5° Unde in Adam maior fuit scientia de rebus naturalibus ad instituendum et gubernandum homines, in Maria altior et plenior de rebus supernaturalibus et religiosis.

6° Proinde habuit perfectam scientiam sacram, theologicam, progressive quidem augendam secundum convenientiam adiunctorum, sed maiorem quam Apostoli, referente S. Alberto M., Mariale, q. 109 : « Apostoli sciverunt theologiam cum non didicissent ; ergo multo fortius B. Virgo », utpote regina Ecclesiae et Apostolorum magistra. Quare B. de Medina, iuxta opinionem communem sui temporis : « Habuit B. Virgo maiorem cognitionem mysteriorum fidei, quam universi Prophetae, quam Apostoli et Evangelistae[1] ».

Quod ceteroquin non cognoverit omnia, sed plura nesciverit, patet ex Scripturis in quibus sunt manifesta indicia : Lc. I, 34 ; II, 33-34 et 51 ; II, 48-50[2].

1. In III^{m}, q. 27, a. 5.

2. Etiam ALBERTUS M., qui scientiam B. Virginis quadantenus videtur exaggerasse, restrictiones tamen ponit, scribens in opere : *Mariale*, q. 111, ad solutionem : « B. Virgo sufficienter perfecta fuit per habitum naturae et gratiae in operatione exire, et finem consequi cuiuslibet scientiae ; et haec scientia exivit in actum et operationem, quando, ubi, qualiter, et quantum ordinabatur sibi in beatitudinem et aliis in salutem. Habuit etiam perfectam cognitionem omnium ad suam beatitudinem secundum statum viae pertinentium, et nullorum inutilium et ad gratiam impertinentium ; unde ipsius anima beatissima nulla habuit in se inutilia vel impertinentia, sed per totum gratia fuit plena. Unde omnia quae fuerunt in ipsius anima, vel naturalia, vel acquisita, sic erant gratia informata vel cum gratia coniuncta, ut omnia essent gratuita... ut sine omni restrictione, largissima et verissima interpretatione esset omnifaria gratia plena ».

104. Animadversio. — Quamvis B. Virgo plura nescierit, non tamen subiecta fuit ignorantiae aut errori. Quia dona iustitiae originalis existimatur habuisse quoad animam, ut diximus n. 61, ideo ab ignorantia et errore immunis fuit.

Ignorantia est privatio scientiae debitae : ignorare non est simpliciter nescire, sed nescire quod aliquis scire hic et nunc debet vel convenit secundum statum suum, unde ignorantia est malum, utpote defectus ; et quidem importans morale inquinamentum, cum sit causa peccati aut inordinationis saltem materialis, ac impediat convenientem adimpletionem muneris. *Error* est malum intellectus quod perfectioni status primitivi innocentiae disconvenit, iudicium positivum contrarium veritati, falsum ut verum approbans. Oritur ex concupiscentia et imperfecta subordinatione facultatum inferiorum, ex quibus proveniunt distractio, illusio, phantasiae praeoccupatio, praecipitatio, inconsideratio, celeritas aut persistentia in affirmando plus quam valor argumentorum importet, et inde deceptio et error, dum intellectus de se et ex natura sua tendere ad unum verum natus sit.

Ne dicatur B. Virgo *ignorasse*, propter verba Christi, Lc. II, 49 : *Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse ?* Nam Iesum, in infantia et vita abscondita, exceptionaliter voluisse curam publicam habere de iis quae Patris sunt, scire non debebat. — Nec probatur *errasse*, utpote *existimantem Iesum esse in comitatu*, ut habetur Lc. II, 44 : id enim non absolute affirmabat tamquam certum iudicium, sed erat mera coniectura, iudicium prudens et probabile ex circumstantiis in quibus erat prolatum. Non errat ille qui de re incerta iudicium definitivum non pronuntiat, sed solum dubitat, aut coniectat, aut probabiliter opinatur, sed proportionaliter ad rationes et ad rei verisimilitudinem.

Articulus III.

DE MERITO QUOD EST EFFECTUS EXERCITII VIRTUTUM.

105. Meritum proprio sensu est opus bonum factum in obsequium seu beneficium alterius, et ideo praemio seu retributione dignum. Spectari potest quidem *in concreto*, et sic est ipsum opus virtutis cui debetur merces et quod dignum est retributione ; etiam *in abstracto* tamquam proprietas actus humani, et sic est moralis valor operis vi cuius dignum est ut operanti aliquid retribuatur, bonitas in actu humano existens propter quam dignus est laude et praemio, dignitas operis, et ideo ius et titulus in operante, ad retributionem.

Non spectamus meritum quod haberi potest apud homines, sed illud quod habetur coram Deo, quia tendit in obsequium ac honorem Dei. Id, in praesenti ordine providentiae, est supernaturale, quod ex viribus gratiae factum in ordine ad finem supernaturalem, praemium meretur supernaturale, scil. ipsum bonum vitae aeternae vel aliquod ordinatum ut medium ad vitam aeternam. Unde in huiusmodi merito consideranda venit non solum bonitas actus seu valor operis in se, sed etiam status personae agentis et valor operantis.

Solent distinguere duplex meritum. Aliud *stricte dignum* seu *de condigno*, cui ex iustitia debetur praemium propter valorem moraliter aequalem et aequalem dignitatem operis ad praemium seu condignitatem. Aliud *latius dictum* seu *de congruo*, quod non habet valorem aequalem et aequalitatem ad praemium, et cui proinde nullatenus ex iustitia retributio debetur, sed solum ex quadam decentia et aequitate, ac amicitia aut liberalitate donantis tribuitur munus quod dantem decet : hoc igitur non infallibiliter obtinet praemium ; nisi Deus retribuens promiserit, nec tunc ex iustitia sed ex fidelitate[1].

Conditiones ad meritum requisitae solent exponi in doctrina de gratia, vel et in tractatu de actibus humanis.

Quaerimus in praesenti de merito B. Virginis, non quidem respective ad nos, an nobis aliquid mereri potuerit, de quo infra dicemus ; sed respective ad ipsam

1. Sequimur sententiam communem de condignitate et aequalitate intrinseca operis. Scotus enim, I Sent., d. 17, q. 2, et quidam Nominales dicunt sufficere condignitatem mere extrinsecam, quatenus quodcumque opus honestum sit meritorium de condigno, ex sola promissione divina praemii. At mera promissio non potest veram et intrinsecam condignitatem conferre, nec augere valorem operis in se, nec efficere quod sit in se dignum aut aequale praemio, nec consequenter sufficit ut praemium debeatur ex iustitia. Tale opus nomine dicunt condignum, sed revera condignum non est.

Deiparae personam, an pro se meruerit, et de obiecto, quantitate et perfectione eius meriti.

106. B. Virgo, toto vitae suae mortalis decursu, augmentum gratiae mereri potuit, et quidem omnibus et singulis actibus humanis.

A. *Prima pars* est *certa*, licet Petrus Venerabilis saec. XII, existimaverit gratiam B. Virginis a momento incarnationis ita fuisse plenitudine perfectam, quod crescere amplius non posset ; quod etiam quidam Veteres dubitative dicuntur asserere, uti Alexander Alensis, Richardus, forsan Albertus M., Mariale, q. 47, et 61 in resp., vel et Scotus in IV, d. 4, q. 6, ad 1. Patet ex doctrina generali definita in Concilio Trid. asserenti iustitiam, quae est per gratiam, in hominibus viatoribus esse capacem augmenti, et hominem iustificatum bonis operibus augmentum gratiae vere mereri (sess. 6, c. 10 et 16, can. 24 et 32). — *Probatur :*

1° Gratia in aliquo tamdiu augeri valet per meritum quamdiu remanet in statu viae. Sed B. Virgo in statu viae remansit, etiam post incarnationem : non enim fuit, sicut Christus, perfectus comprehensor a primo incarnationis instanti, sed ad statum comprehensorum non pervenit nisi per mortem. Ergo, durante tota mortali vita, gratia eius potuit augeri per meritum, etiam post incarnationem.

2° « Habere aliquod donum per se est nobilius quam habere illud per aliud, ait S. Thomas, III, q. 19, a. 3... : sic ille qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per semetipsum. Unde nobilius habetur illud quod habetur per meritum, quam id quod habetur sine merito ». Ex quo principio concludit S. Doctor de Christo, sed idem licet concludere de B. Virgine : Quia autem omnis perfectio et nobilitas, sicut Christo ita et B. Virgini, est attribuenda, consequens est quod ipsa per meritum habuerit illud quod alii per meritum habent.

3° Hinc B. Virgini per excellentiam applicatur illud Prov. IV, 18 : *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem.*

Neque valet gratiae plenitudinem augeri non posse. Id enim valet de plenitudine absoluta quae uni competit Christo, qui habuit gratiam summam, quae commensuratur unioni hypostaticae et Christum constituit ab incarnationis initio perfectum comprehensorem. At B. Virgo solum habuit plenitudinem gratiae relativam, quae proinde augmenti manet capax. Et sane augeri non repugnat ex parte ipsius gratiae, quia non fuit absolute summa ; neque ex parte subiecti, quia nondum pervenit ad terminum, dum fuerit in via [1].

Quamdiu scil. in via sumus, possumus magis appropinquare termino, qui est Deus. Sed appropinquamus Deo, gratia et charitate qua mens nostra ipsi unitur. Ergo quamdiu sumus in via, in gratia et charitate crescere possumus. Et quidem sine fine, ut definitum est in Conc. Viennensi, can. 1 contra Beguardos : nulla enim adest ratio cur eius augmento terminus imponeretur. Non ex parte essentiae, quia gratia et charitas secundum essentiam est participatio naturae et charitatis divinae infinitae, quae semper magis participari potest. Non ex parte causae, quae, cum sit virtus infinita Dei, semper potest producere maiorem gratiam et charitatem. Non ex parte subiecti, quia gratia et charitate excrescente, superexcrescit habilitas ad ulterius augmentum [2]. Unde ex nulla parte huic augmento imponitur terminus in hac vita.

B. *Altera pars* est doctrina *sat communis*. — *Probatur :*

1° Ait Apostolus : *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine D. N. I. C... ; sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (Col. III, 17 ; I Cor. X, 31). « Aut ergo aliquis implet aut nullus, ait S. Albertus M., Mariale, q. 135. Si nullus : ergo frustra praecipitur, vel consulitur, vel monetur. Si aliquis : ergo B^ma^ Virgo. Ergo in omni quod fecit, merebatur... ».

2° Pergit S. Albertus : « Ubicumque non potest in discernendo ratio errare et voluntas non potest eligere malum, ibi semper eligitur optimum et ultimum ; sed utrumque horum fuit in B^ma^ Virgine, ergo omnia fecit propter optimum ; ergo in quolibet opere merebatur.

3° « Item, sicut se habet anima ad corpus, ita ad animam charitas ; ergo sicut elicit anima omnes operationes a corpore, ita charitas, ubi plene habet esse formae, ibi elicit

1. Cfr. S. Thomas, III, q. 7, a. 12.
2. Cfr. S. Thomas, II-II, q. 24, a. 4 et 7.

omnes operationes ab anima, et sic quolibet motu meretur ; hoc autem in B^ma^ Virgine ; ergo quolibet motu merebatur ».

4° In B. Virgine nihil deerat omnibus et singulis actibus humanis, quominus essent meritorii augmenti gratiae ; nam singuli erant a) perfecte deliberati et liberi, cum voluntas eius dominium perfectum exerceret in omnes facultates et motus : in statu iustitiae originalis enim nulla erat insubordinatio virium ad rationem, nulla rationis ad Deum ; b) undequaque honesti, nullo inordinato affectu intincti et semper ad finem ultimum relati ; c) etiam supernaturaliter dignificati ex plenitudine gratiae gratum facientis ; d) tandem in obsequium Dei facti ex intensissimae et ferventissimae imperio charitatis[1].

107. Obiectum meriti, seu quid B. Virgo sibi meruerit. — Principium ponit S. Thomas, III, q. 19, a. 3 : « Nobilius habetur id quod habetur per meritum, quam id quod habetur sine merito. Quia autem omnis perfectio et nobilitas Christo est attribuenda (et pariter B. Virgini), consequens est quod ipse per meritum habuerit quod alii per meritum habent ; nisi sit tale quid, cuius carentia magis dignitati Christi (aut B. Virginis) et perfectioni praeiudicet quam per meritum accrescat ». Ideo B. Virgini obiectum meriti esse potest : 1° quod nondum habetur ; et 2° cuius carentia non magis praeiudicat dignitati et perfectioni Christi aut B. Virginis quam per meritum accrescat ; dum 3° non sit principium meriti, iuxta adagium : principium meriti non cadit sub merito, secus esset causa efficiens simul et effectus respectu eiusdem. Hinc :

A. B^ma^ Virgo *nullatenus* mereri potuit : ipsam gratiam suam initialem, quam a primo momento habuit et quae est principium omnis meriti, licet ipsi libere consenserit ex viribus gratiae et sic ad eam se disposuerit ; item immaculatam sui conceptionem, donum integritatis seu immunitatem a concupiscentia, confirmationem in gratia, sicut omnia a primo momento habita.

Ceterum horum carentia magis praeiudicat dignitati et perfectioni eius, imo cum ea est incompossibilis, saltem in ordine praesenti divinae Providentiae.

B. E contra mereri potuit *vere* et *de condigno :* vitam aeternam, augmentum gratiae, et consequenter augmentum gloriae, eodem modo ac nos. Iustus enim vere mereri potest id quod est connaturalis terminus suae operationis, tum medius, tum ultimus.

Nam « illud cadit sub merito de condigno ad quod motio gratiae se extendit. Motio alicuius moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu. Terminus motus gratiae est vita aeterna ; progressus autem in hoc motu est secundum augmentum gratiae et charitatis[1] ». Ergo et vita aeterna, et augmentum gratiae cadit sub merito, et consequenter augmentum gloriae. — De condigno quidem : gratia enim sumus participes ipsius divinae naturae, intrinsece digni vitae aeternae ; ergo opera ex gratia facta pariter sunt intrinsece digna vitae aeternae, ad quam proinde virtualis est aequalitas ac condignitas, sicut inter semen et arborem : gratia siquidem est vitae aeternae semen et gloriae.

C. *Non* tamen *de condigno* mereri potuit ipsam Christi incarnationem aut divinam sui maternitatem, ut iam diximus, n. 42 ; quae ceteroquin sunt ordinis gratia superioris et ad quae nulla adest aequalitas ; imo *nec de congruo*, quia sunt principium a quo in ordine praesenti pendet omne meritum, sicut nec circumstantias ipsis intrinsecas quae pertinent ad eorum substantiam.

Potuit tamen mereri *de congruo* circumstantias ipsis extrinsecas, aut, in ordine executionis, quod incarnatio acceleraretur, et in ea fieret, seu quod ipsa ad hoc dignior esset prae aliis.

D. Nihil impedit quominus *de congruo* sibi meruerit gratias actuales uberiores, aut bona temporalia utilia ad salutem, sicut et nos facere possumus.

Congruum enim est, ut dum homo bene utitur dono a Deo accepto, Deus ultra tribuat ; et dum homo bene utitur virtute

1. Cfr. inter alios, ALASTRUEY, o. c., p. II, c. V, q. 4-6, pro tota hac quaestione.

1. S. THOMAS, I-II, q. 114, a. 8.

a Deo accepta et ipsi generose cooperatur, Deus secundum superexcellentiam det ei virtutem ut excellentius operetur.

E. *Nullatenus* mereri potuit gratias efficaces ut tales, nec ideo perseverantiam in gratia finalem seu seriem gratiarum efficacium usque ad mortem, nec a fortiori recuperationem gratiae, dato quod perdita fuerit.

« Illud cadit sub humano merito quod comparatur ad motum liberi arbitrii directi a Deo movente sicut terminus, non autem id quod comparatur ad praedictum motum sicut principium[1] ». Sed motio gratiae efficacis non est terminus operationis praecedentis, sed principium actus sequentis ; similiter perseverantia in gratia non cadit sub merito, quia dependet ex motione divina inclinante ad bonum usque in finem, quae est principium omnis meriti ; a fortiori recuperatio gratiae amissae non cadit sub merito, quia motio divinae gratiae interrumpitur per peccatum et ad reparationem non se extendit ; quodsi non mereamur gratiae conservationem, nec eius recuperationem.

108. Quantitas meriti seu quantum B. Virgo sibi meruerit comparative ad alios. — Quantitas meriti ex triplici capite pensari potest :

1° *ex radice charitatis,* cui quantitati respondet praemium essentiale : qui ex maiori charitate agit, meretur perfectius frui Deo ;

2° *ex quantitate operis seu excellentia* substantiali, cui respondet praemium accidentale : qui excellentius opus facit, eo ipso meretur maius gaudium de bono creato ;

3° pariter *ex modo perfectiore* quo opus peragitur seu ex conditione operantis, scil. ex perfectiori habilitate et promptitudine.

Iamvero in B. Virgine quantitas meriti fuit maior, abundantior et efficacior quam in quolibet sancto :

1° *Ex radice charitatis,* quae copiosior et intensior in ea exstitit, cum sit dotata plenitudine gratiae omnibus eminentiore, ita quod secundum hoc etiam excesserit angelos.

2° *Ex quantitate et excellentia operum :* excellentiores actus habuit in omni genere virtutum ; fidei, spei, charitatis, humilitatis, obedientiae, religionis, castitatis, patientiae et fortitudinis, etc. (n. 94-95), et propter suam ad Christum propinquitatem ac in redemptione intimam et constantem cooperationem maiora opera fecit.

1. S. THOMAS, I-II, q. 114, a. 9.

3° *Ex perfectiore agendi modo* et conditione operantis : cum perfecta libertate operata est, sine ulla concupiscentia ad malum, et sine ulla repugnantia aut infirmitate ad bonum, maiore habilitate, facilitate ac promptitudine ad exequenda mandata et consilia divina, in plena conformitate ad Dei beneplacitum.

109. Perfectio meriti B. Virginis. — Perfectio meriti dependet : a) ex perfectione voluntarii, quatenus opus ex promptiore voluntate procedit, maiore intensione patratur, et magis de suo et de suo dominio tribuit agens ; b) ex dignitate supernaturali agentis, quam habet ex gratia qua gratus est Deo ; c) ex influentia charitatis, qua expressius, proximius, actualius, intensius refertur in Deum ; d) ex excellentia operis secundum speciem et nobilitatem bonitatis moralis, ex virtute excellentiore, superiore et altiore fine, elevatione, magnitudine, arduitate obiecti.

Quod in B. Virgine perfecte est adimpletum :

1° Ex perfectissima libertate, qua tota promptitudine et intensitate voluntatis, in perfecto dominio de seipsa et de propriis disponebat ad bonum et ad Deum.

2° Ex superiori dignitate matris Dei et praecellentia gratiae, cuius plenitudine omnes creaturas superabat.

3° Ex intensissima et ferventissima charitate qua semper tendebat in Deum, nihil eam retardante.

4° Ex excellentia maiore operum et eminentia virtutum.

110. Corollaria. — Ex praedictis sequitur :

1° B. Virginem primo motu suae liberae voluntatis, quo momento suae conceptionis acceptabat gratiam et se tradebat Deo, iam meruisse non quidem gratiam acceptam, sed vitam aeternam et gloriam coelestem.

2° Omnibus actibus *humanis* sequentibus, ex intenso Dei amore positis meruisse vitam aeternam, augmentum gratiae, et consequenter augmentum gloriae.

3° Actibus suis humanis continuo meruisse, cum sine ulla distractione aut inadvertentia aut inordinatione perfecte agebat.

4° Non tamen meruisse dum somno indulgendo dormiebat, quia eo ipso usus rationis et liberi arbitrii naturaliter impediebatur, nec probatur ipsa habuisse scientiam per se infusam, nisi forsan quandoque per modum illuminationis mere transeuntis.

Quod si quidam Sancti asseruisse videantur cor eius tunc vigilasse et inflammatum mansisse amore Dei : intelligi possunt, saltem plures, eo sensu quod ex amore Dei se somno dederit, ut postea melius serviret Deo, conformiter ad huius voluntatem; et quod cor eius manebat inflammatum habitu, ita quod summa facilitate statim ad Deum rediret.

5° B. Virginem quae ex intensissima et ferventissima charitate agere solebat, augmentum gratiae quoque perfecisse et quidem crescentia *quasi* continua [1].

6° In fine vitae gratiam in immensum crevisse, ita quod iam fuerit plena tota plenitudine consummata, qua decebat splendescere in coelis.

III. Conclusio totius capitis. — Ex eo quod B. Virgo omnes angelos et sanctos in gratia, virtutibus et meritis excesserit, etiam proportionaliter eos excedit in visione Dei beatifica in gloria coelesti. Quare in coelis exaltata est super choros angelorum ad coelestia regna, omnes angelos et beatos superans, beatitudine intensive et extensive maiore per aeternitatem gaudens.

Ait Richardus a S. Laurentio, de Laud. B. M. V., l. III, c. 13-14 :

« Exaltata est super omnes ordines angelorum et sanctarum animarum. Unde canitur in sua assumptione : Vidi speciosam

1. Quidam post SUAREZ, in III, d. 18, s. 4, n. 5, dicunt B. Virginem actibus meruisse ac statim obtinuisse gratiam duplo maiorem gratia habita, quia actus, ex tota intensitate gratiae et charitatis habitae positus, meretur augmentum gratiae et charitatis gradus aequalis. At abstinendum censemus ab huiusmodi somniis et imaginationibus. Nescimus enim quanam praecise ratione et in quanam mensura charitas augeatur. Deus id hominibus non revelavit.

Ceterum ipse Suarez, in op. *Relectio altera de reviviscentia meritorum*, disp. 2, sect. 3, n. 44-48, illam computationem retractavit : tum pro actibus remissis charitatis, aut imperatis, n. 44; tum pro actibus intensis, aut ipsius dilectionis, n. 48, agnoscens nullum, hac in re haberi ex revelatione principium.

sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum. Aquae istae, sicut dicit B. Bernardus, sunt virtutes angelicae et coelestes populi... Duo rivi : angeli et animae sanctae... Rivi aquarum: ordines angelorum, scil. angeli, archangeli, principatus, virtutes, potestates, dominationes, throni, cherubim et seraphim..., virtutes coelorum; et ordines sanctorum, scil. patriarchae, prophetae, apostoli, martyres, confessores, virgines, et omnes huiusmodi iusti. Propter privilegium enim suae ascensionis super ordines sanctorum universos gloriatur ipsa, Cant. II, 4, ubi dicit : *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Contentus est enim suo cellario quilibet ordo sanctorum et angelorum, i. e. sua mansione ; sed Maria speciali privilegio in omnia est introducta, quae sicut merita, ita et praemia omnium creditur assecuta, utpote cui nec continentia virginum, nec sobrietas confessorum, nec patientia martyrum, nec zelus apostolorum, nec scientia prophetarum, nec fides patriarcharum, nec puritas angelorum creditur defuisse ; imo etiam sicut meritis, ita et praemiis supergressa est ordines universos. Ait Hieronymus : Quantum in terris adepta est Maria gratiae prae ceteris, tantum in coelis obtinet gloriae singularis. Quod *si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum* (I Cor. II, 9), quid praeparavit gignenti se, et quod certum est diligenti prae omnibus? Item, Hieronymus (?) : si in domo Patris mansiones multae sunt, credimus splendidiorem in sua assumptione matri Filium concessisse. Et B. Bernardus : nec in terris locus dignior virginalis uteri templo in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in coelis regali solio in quo Mariam Mariae Filius sublimavit...

Dicitur ergo : Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum. Nec tantum super eos, sed in altiorem quemdam recessum desuper eos innuitur ascendisse. Nec determinat quo ascendit, sed unde : usque eo enim eam prosequi potuit qui hoc dicit, ex tunc quasi evanuit ex oculis eius, ut quo ascenderet, vel capere non potuerit, vel dicere ei non licuerit. Nam super angelos exaltatam se testatur ipsa cum ait, Cant. III, 3 : *Paululum cum pertransissem eos,* i. e. angelos, *inveni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam.* Ibi enim dilectum invenit, ubi positus est thronus matri regis iuxta regem, ubi iam ab eo audit cum gaudio : Maria, ecce Filius tuus. Quasi diceret : Ecce quem genuisti, quem in tanta vides maiestate fulgentem...

Corona gloriae ineffabilis coronata est in coelis in sua assumptione, quando verus Assuerus (i. e. Christus) ... dixit Esther reginae (i. e. Mariae) ... quae exaltata est etiam super choros angelorum et omnium beatorum ad coelestia regna : ... Accede et tange sceptrum (XV, 14). Accede huc, et tene sceptrum, accipe regiam dignitatem, esto domina coeli et terrae, esto regina et imperatrix angelorum et hominum, sede a dextris meis in gloria ».

B. — DE B. VIRGINE IN ORDINE AD PERFECTIONEM CORPORIS.

112. Corpori B. Virginis perfecta erat complexio ac pulchritudo. — Cum corpus sit propter animam, animaque B. Virginis sit perfectissimis dotibus ornata matris Dei, gratia plenae, et reginae universi, etiam credendum est Deum speciali cura Providentiae formationem eius corporis direxisse. Intellectus enim B. Virginis erat altiore scientia instructus, divino lumine gratiae plenitudinis illustratus, ab omni ignorantia et errore praeservatus ; appetitus plenitudine amoris Dei repletus, ab omni concupiscentiae labe liberatus, et impeccabilitate donatus. Unde oportebat corpus, quod huic animae organice deserviret, esse sine ulla inordinatione concupiscentiae apte dispositum, atque in eo apparere omne id quod perfectionis fuit in anima. Etenim :

1° Secundum sanam philosophiam oportet corpus esse animae proportionatum : anima enim naturaliter non agit nisi concurrentibus et deservientibus organis corporis ; unde anima, ut perfecte operari possit, eget corpore perfecte adaptato et perfecte disposito. Sed anima B. Virginis erat perfectissima, maximis qualitatibus naturalibus, praeternaturalibus ac supernaturalibus a Deo dotata. Ergo B. Virgo etiam perfectissimam corporis complexionem et dispositionem habuit, quae animae qualitatibus responderet, et usu harum qualitatum adhuc perficiebatur.

2° B. Virgo creata est nova Eva, quae primae Evae in perfectione cedere non debuit. Sed Deus, sicut Adae, ita et Evae dedit corpus integrum, operationibus animae perfecte adaptatum. Ergo et B. Virgo corpus recepit non minus perfectum. Nam, ut iam diximus, quamvis secundum leges ordinarias fuerit corpus conceptum, videtur tamen, interventu divino speciali, illud ab omni praedispositione et inordinatione concupiscentiae fuisse praeservatum ; quo interventu constitutum fuit ita perfectum, ut integritati primae Evae non cesserit[1].

1. Non tamen hic agitur de perfectionibus quae nullum influxum habent in vitam moralem et intellectualem, uti sunt corporis impassibilitas atque immortalitas, sicut supra notavimus.

3° B. Virgo destinabatur ut esset mater Verbi incarnati. Sed, secundum legem physiologicam haereditatis, solent filii esse parentum imagines, et non solum secundum physicas qualitates et dispositiones corporales, sed etiam secundum dispositiones animae, intellectuales et morales, quae corporalibus proportionantur. Ergo oportebat corpus B. Virginis esse omnino perfectum, ut Verbum incarnatum connaturaliter ex carne materna acciperet dispositiones corporis perfectissimi, qualitates scil. corpori Dei naturaliter debitas, et qualitatibus intellectualibus et moralibus perfectissimae animae suae proportionatas.

Hinc Ecclesia cantat : « *Deus qui gloriosae Virgini Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum... effici mereretur..., praeparasti* ».

Ex quibus omnibus oriebatur in corpore B. Virginis, *mirabilis et condecens pulchritudo.*

Unde etiam convenientissime fuit genere nobilissima, de stirpe regia scil. David, cognata stirpi sacerdotali ex parte matris suae, ut historici sacri solent notare.

113. Corpus Virginis perfectum mansit semper integrum : immune ab omni corruptione, praesertim morbi, aegritudinis, infirmitatis ex sequela inhonoranti aut infamanti peccati ortae et organorum rebellione, et ab omni maculatione. Haec integritas generali nomine vocari potest *incorruptio ;* at speciatim spectari potest, tum post hanc vitam, in statu termini seu immortalis gloriae, tum in vita praesenti et mortali, in statu viae : integritas viae praecipue est perpetuo servata virginitas.

Hinc dicemus :

1° de perfectione in ordine ad corpus in vita praesenti, seu de virginitate Matris Dei,

2° de perfectione corporis post hanc vitam, seu de gloriosa assumptione Matris Dei.

CAPUT I.

DE PERFECTIONE CORPORIS IN HAC VITA
seu
DE VIRGINITATE MATRIS DEI.

114. Virginitas Mariae tria includit :

a) virginitatem materialem *corporis*, seu integritatem carnis, absque ulla laesione aut violatione organorum genitalium ac sumpto experimento delectationis venereae ;

b) virginitatem essentialem *mentis*, seu animum vitandi omnia quae perfectae castitati repugnant ;

c) virginitatem integralem *sensûs*, seu immunitatem a motibus concupiscentiae carnis et delectationis venereae, ita ut nihil minus castum passa sit.

In praesenti autem solum speciatim est agendum de prima ; de duabus ultimis sufficienter dictum est : virginitas enim mentis includitur in immunitate Mariae a peccato et imperfectione, virginitas sensus in immunitate a concupiscentia.

Porro Virginitas corporis in B. Maria subsistit :

1° *ante partum*, in ipso conceptu, quia non ex viro, sed sine virili semine concepit filium Iesum ;

2° *in partu*, quia filium edidit, non violato, fracto, perforato aut lacerato virginitatis sigillo, et ideo ex utero clauso et obsignato, et a fortiori sine dolore, quod ultimum in statu innocentiae etiam fuisset ;

3° *post partum*, quia scil. post Christi nativitatem, ab omni viri consortio abstinuit, et per consequens alios filios non suscepit, imo nec mere accidentaliter integritatem carnis suae amisit.

Salva igitur semper in ea mansit integritas corporis : concepit Maria et peperit absque violatione et laesione corporis, ita ut corpus suum non sit minus illaesum ac si non fuisset conceptus aut partus ; quod est magnum miraculum contra leges naturae. Naturaliter enim vir, fecundando mulierem, laedere eius corpus debet, illud perforat, penetrat et polluit ; item egressio filii ex utero materno requirit effractionem corporis materni. Et tamen in B. Virgine fuit verus partus, quia egressus est filius eadem via ac alii homines nascuntur. Sicut ergo Christus miraculose egressus est sepulchrum clausum et obsignatum, non laedendo petram, et sicut ingressus est coenaculum, ianuis et fenestris clausis, ita et egressus est e corpore B. Virginis, illud non laedendo. Miraculum quod ex divina virtute, ad nutum hominis glorificati, potest *habitualiter* contingere, *transeunter* factum est in partu Mariae et ad hunc scopum.

115. Triplex Virginitas Mariae, scil. ante partum, in partu, et post partum, est de fide. — Simul invenitur definita in Conc. Lateranensi sub Martino I (a. 649), et in Conc. Constantinopolitano III (a. 680) contra Monothelitas, at iam antea proponebatur ut ad ipsam fidem pertinens, ex ordinario ac universali magisterio.

Conc. Later. ait : « Si quis, secundum sanctos Patres, non confitetur proprie et secundum veritatem, Dei Genitricem sanctam semperque Virginem immaculatam Mariam..., *absque semine concepisse* ex Spiritu sancto et *incorruptibiliter* eam *genuisse*, indissolubili *permanente et post partum eiusdem virginitate*, condemnatus sit » can. 3.

Et in Conc. Const. III celebratur « Mariae illibata virginitas *ante partum, in partu, post partum* interminabilis ».

De qua triplici virginitate dicemus tribus distinctis in quaestionibus [1].

QUAESTIO PRIMA.

MATER DEI EST VIRGO IN CONCEPTU SEU ANTE PARTUM.

116. Dogma fidei est Matrem Dei fuisse Virginem ante partum et in ipsa conceptione Filii sui, quod certum est ex perpetua Ecclesiae traditione, et simul certum a Deo esse vere revelatum.

1. De tota hac materia, vide imprimis L. JANSSENS, o. c., diss. de B. Mariae virginali maternitate ; et VAN CROMBRUGGHE, o. c., c. 2 ; etiam CAMPANA, o. c., II p., q. 4.

Hoc privilegium virginitatis in conceptu impugnarunt :

1° Iudaei, tempore Christi et apostolico, dicentes Christum esse ex parentibus natum ac verum filium Ioseph[1], — aut esse filium Mariae et cuiusdam militis romani Panther vel Pantheros, quod etiam Celsus obiicit Christianis, ut scimus ex Origene contra Celsum scribente ; — imo etiam ex adulterio esse conceptum.

2° Item, primis saeculis, Ebionitae quidam iudaeo-christiani, Carpocrates, Cerinthus, dicentes Christum ex Maria et Ioseph secundum leges naturales conceptum, et B. Ioseph esse verum patrem Christi.

3° Haeresim primitivam saec. XVI renovarunt Anabaptistae, praesertim L. Stenberger.

4° Item, nostris temporibus, Rationalistae, ut Venturini, Paulus, Strauss, Renan, Harnack, et quidam Modernistae, ut pseudo-Herzog (Turmel), dicentes doctrinam catholicam de virginitate et sanctitate B. Virginis esse mythum seu legendam, ad instar fabulae paganae adinventam ; aut non esse nisi hellenicam adulterationem primaevi Evangelii, secundum quod Christus naturali modo conceptus est.

Doctrina catholica, iam primis temporibus habita fuit ut definita ex ordinario et universali Ecclesiae magisterio, et quidem fere ab initio, proclamante Christum de Spiritu sancto conceptum, incarnatum, natum e Maria virgine, vel et semper virgine, ac absque virili semine ; sequentibus vero temporibus etiam solemniter definita fuit in pluribus conciliis.

Constat ex symbolis Apostolico (sub variis formis) et Nicaeno-Constantinopolitano ; ep. Felicis papae ad ep. Alex. (a. 270) ; ep. Siricii (a. 392) ; Conc. Ephesino, in anath. 1° ; ep. Leonis M. (a. 449) ad Flavianum Constantinopolitanum ; Conc. Chalced. (a. 451) in def. contra Monophysitas ; ep. Ioannis II (a. 534) ad Senatores Constantinopolitanos ; Conc. Constant. II, can. 6 et 14 ; Conc. Bracarensi, can. 3 ; ep. Gregorii M. 67 ad ep. Hib. (a. 601) ; ep. Honorii IV (a. 634) ad Sergium Patr. Constantinopolitanum ; Conc. Lat. sub Martino I (a. 649), can. 2 et 13 ;

1. Etiam qui credebant Iesum esse Messiam, ut constat ex IUSTINO, dial. 48, 4.

Conc. Tolet. XI (a. 675) ; Conc. Const. III (a. 680) contra Monothelitas ; ep. Hadriani I (a. 793), et Conc. Francofordiensi (a. 794) ; Leone III, fides Nicephori (a. 811) ; Leone IX (a. 1053), symb. fidei ; Innocentio III (a. 1208), prof. fidei pro Waldensibus ; Conc. Lat. IV (a. 1215) ; Conc. Ludg. II (a. 1274), prof. fidei Michaëlis Palaeologi ; Conc. Flor. (a. 1441), decr. pro Iacobitis ; Sixto IV, const. *Cum praeexcelsa* (a. 1476) ; Paulo IV, constit. *Cum quorumdam* (a. 1555) contra Socinianos, a Clemente VIII a. 1603 confirmata.

117. **Testimonium Scripturae.** — Dogma eruitur ex Scriptura, tum Veteris, tum Novi Testamenti.

A. In V. T. invenitur *praenuntiatum* ab Isaia, VII, 14 : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*, vel, secundum textum hebraïcum : Ecce virgo (ha'almah) gravida et parturiens, et vocabit nomen eius Immanu-El. De quo notandum :

1° Ibi regem Achaz, timentem regum Israël et Damasci confoederationem, ac volentem foedus concludere cum rege Assyriorum, monet propheta salutem a solo Iahveh esse exspectandam. Cuius rei, ipse regi incredulo voluit dare signum. Cum autem illud etiam rex ex hypocrisi denegasset, ipsius voluntatis divinae, salutem populi Iuda propter Messiam promittentis, palpabile signum mox futurum solemniter annuntiat propheta, scil. desolationem terrae per ipsum regem Assyriorum inducendam :

« Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel »... : en voluntas Dei promittens salutem per Messiam... « Antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra. Quam (derelictam) tu detestaris (vel times) a facie (a parte) duorum regum suorum, adducet Dominus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui, — dies qui non venerunt a diebus separationis Ephraïm et Iuda, — cum (i. e. a) rege Assyriorum » : en signum (v. 14-17).

2° In vaticinio esse quaestionem de Emmanuel et de matre sua, i. e. de ipsa persona Messiae, et de Maria. Quod constat ex variis signis, saltem si simul sumantur :

a) Ex nomine Emmanuel (Nobiscum Deus) et ex titulis ac attributis quae de ipso praedicantur, scilicet quod sit admirabilis,

consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis (IX, 6).

b) Ex eo quod ipsius sit terra Iuda, quae alibi terra Domini vocatur (VIII, 8), et quod dicatur pignus victoriae definitivae (VIII, 9-10 ; Mich. V, 1 sq.).

c) Ex eo quod sedebit super solium (thronum) David, dominatu perenni (IX, 7), ac regnum universale pacis et iustitiae sit instituturus (XI).

Quod magis certificatur ex ipsa interpretatione authentica evangelistae Matthei, I, 22 ; et ex interpretatione Patrum[1].

3° Verbum : *virgo* (almah), etymologice (ab 'elem) significare adolescentulam ; at, secundum usum Scripturarum, semper significare innuptam vel et virginem (Gen. XXIV, 43 et 16 ; Ex. II, 8 ; Prov. XXX, 18-19 ; Cant. I, 2 ; VI, 7 ; Ps. LXVII, 26 ; I Paral. XV, 20).

---

1. Fuerunt et aliae opiniones :

1) Iudaei, iuxta Hieronymum, Emmanuel intellexerunt Ezechiam, filium regis Achaz. — At Ezechias, tempore prophetiae ab Isaia prolatae, iam natus erat ; neque intelligitur quomodo uxorem regis propheta appellare potuerit almah, adolescentulam virginem ? Nec obstat versio graeca LXX : *vocabis*, quasi Achaz nomen daret Emmanuel ; quia in textu hebraico legitur *vocabit*, scil. ipsa virgo dabit puero nomen Emmanuel : graecus textus est versio falsa, ponens formam secundae personae masculinae loco tertiae femininae.

2) Alii dixerunt Emmanuel esse filium Isaiae, ut Hieronymus testatur, quam sententiam amplexi sunt Socinus, Grotius, Gesenius, etc. ; eo quod duobus filiis prophetae nomina symbolica imposita fuerunt (VII, 3 ; VIII, 3). At ea quae VIII, 8 — X de Emmanuel dicuntur, de filio Isaiae intelligi nequeunt ; nec intelligitur cur propheta uxorem suam, quam VIII, 3 vocat prophetissam, appellat adolescentulam virginem.

3) Alii dicunt sermonem esse de muliere et de filio indeterminate, quo, ad significandam liberationem proxime futuram, propheta ait : si mulier nunc conciperet, tempore nativitatis filii iam adesset liberatio, ita ut merito filium suum quemcumque vocare posset : nobiscum Deus. Ita non-catholici plurimi : Reuss, Kuenen, Smith, Duhm, Marti, etc. At emendationes textus requiruntur plures : delendus est v. 15 ; v. 18-25 tribuuntur redactori, qui ad coniungendum v. 18 cum 16 addidit v. 17 ; VIII, 8 corrigi debet. Insuper nullatenus explicatur quare propheta adhibet vocem 'almah.

4) Denique quidam habent Emmanuel ut typum Messiae, ut iam notat Hieronymus, l. c. Quam interpretationem pauci sequuntur catholici, ita volentes salvare dictum Mt. I, 22. Sed quisnam est ille Emmanuel qui est typus Messiae ? Et, si est typus, debet pariter esse a virgine modo miraculoso absque viro conceptus. Insuper dubitari potest an ad veritatem verborum Mt. I, 22 salvandam, possit sufficere sensus typicus.

Haec tamen sententia non fuit damnata : damnavit quidem Pius VI, 20 sept. 1779, librum L. Isenbiehl, eo quod vaticinium Isaiae de Christo et Maria nec litteraliter nec typice intelligendum dicebat.

Unde non solum versiones christianae, uti syriaca et vulgata, vertunt virginem ; sed etiam apud LXX interpretes, ab omni influxu christiano remotos, legitur : ἡ παρθένος.

Quibus praesuppositis, dicendum prophetam annuntiasse virginitatem matris Messiae, seu matrem, in sensu composito dum mater fiebat, adhuc esse virginem. Nam :

« a) Veritatem hanc suadet factum illud, quod prophetiae messianicae — Isaiae et aliorum — frequenter loquantur de Messiae matre, de humano vero patre eius altum teneant silentium.

b) Agitur in casu de *virgine* quae apparet oculis prophetae, et de qua sermo fit *ipso et solo momento* quo mater fit Messiae : ecce virgo concipiens et pariens filium. Si matri Messiae praediceretur maternitas consequens leges ordinarias generationis, absone designaretur haec vocabulo quod iugiter *puellam innuptam* designat.

c) Palmare tandem argumentum suppeditat contexta oratio. Isaias praedicit Achaz poenas daturum, et solum Iahveh, *exclusa familia regia*, salutem finalem, propter Messiam, esse operaturum. Vaticinium hoc exprimit phrasi in cuius priori membro Messiae Mater *virgo* (cum articulo) emphatice vocatur. Atqui nisi ex virgine in sensu compostio Messias putetur nasciturus, neque excluderetur eius paternitas a familia regia, neque ulla esset ratio emphatice designandi matrem eius iuxta praecedentem suum virginitatis statum[1] ».

Et sane : Vel esset nupta vel innupta. Non potest supponi innupta, ex vitio vel stupro concipiens : id enim nequit supponi pro Messia futuro. Si autem est nupta, inepte diceretur : virgo concipiens et pariens.

---

1. Ita VAN CROMBRUGGHE, o. c., c. 2, a. 1, § I, p. 34-35. — De Prophetia Isaiae conferri insuper possunt : LAGRANGE, *La Vierge et Emmanuel*, in *R. Bibl.*, 1892 et 1905 ; VAN HOONACKER, *La prophétie relative à la naissance d'Immanu-El*, in *R. Bibl.*, 1904 ; CONDAMIN, *Le livre d'Isaïe*, Paris, 1905 ; PERRET, *La prophétie d'Emmanuel*, in *R. Prat. d'Apol.*, 1911 ; CALÈS, *Le sens de Almah ; Les trois discours prophétiques sur l'Emmanuel*, in *Rev. de Sc. rel.*, 1910 et 1922 ; TOBAC, *Dict. Théol.*, art. *Isaïe ;* A. COLUNGA, *El vaticinio de Emmanuel*, in *Ciencia Tom.*, 1925 ; CEUPPENS, *De Prophetiis Messianicis*, Romae, 1935.

B. In N. T. id novimus *realisatum*:

1° Lucas, I, 26, narrat B. Virginem, angelo nuntiante eam Filium Altissimi parituram, ancipitem haesisse ob oppositionem inter maternitatem futuram nuntiatam et statum suum qui maternitatem via naturali obtentam excludebat, et postulasse : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* (34)? Cui angelus respondit : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei* (35), i. e. miraculosa Spiritus sancti operatio et divina virtus quasi umbra (quae sine macula et vestigio obiecta pervadit), citra communionem cum viro, perficiet mysterium in tuo utero. Quod intelligens Maria sibi promitti maternitatem cum illibata virginitate servata, nuntio acquiescit : *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum* (38).

Quod factum est, nam adimpletis suis diebus, peperit Filium suum primogenitum (II, 7). Et Iesus non erat, sicut putabatur, filius Ioseph (III, 23).

2° Item Matthaeus, I, 18, refert B. Virginem inventam esse in utero habentem de Spiritu sancto, ac angelum monuisse Ioseph sponsam praegnantem, antequam convenirent, dimittere cogitantem : *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est* (20). Cui monito obtemperans, Ioseph accepit Mariam (24) haecque peperit filium suum primogenitum (25).

In quibus notandum : Solo Spiritui sancto conceptio filii tribuitur, opus autem viri excluditur. Virgo enim habet in utero sine viro, et de Spiritu Sancto, i. e. a sola voluntate divina, qua non laeditur corpus. In utero habere supponit conceptum, et ideo conceptio non laedit matrem. Quapropter est virgo in conceptu.

Nec obstat quod in vetere versione syriaca, Mt. I, 16 legatur: Ioseph, cui desponsata erat Maria virgo, genuit Iesum. Ergo, aiunt, Ioseph est pater Christi secundum carnem. — Agitur de textu syriaco-sinaitico, qui hunc exhibet tenorem : « Iacob autem genuit Ioseph ; Ioseph, cui desponsata erat virgo Maria, genuit Iesum, qui vocatur Christus ».

Iamvero :

a) Etiam ista lectio tuetur doctrinam de virginali ortu Messiae, uti constat ex verbis : cui desponsata erat *virgo* Maria, et ex eo quod v. 18 sq. habet explicite narrationem patentem conceptionis miraculosae.

b) Nisi igitur manifesta admittatur contradictio in textu, dicendum est vocem *genuit*, aut esse lapsum calami, aut sumendam esse sensu legali, quatenus Ioseph iuridice et coram lege erat pater Christi, et filium habuit legaliter agnitum, aut legitimum haeredem : quod eo facilius admitti potest, quia in genealogia a Matthaeo relata, vox genuit non semper paternitatem naturalem designat, ut v. g. Ioram respectu Osiae (v. 8), et Iosias respectu Iechoniae (v. 11), et Iechonias respectu Salathiel (v. 12 ; cfr. Ier. XXII, 30).

c) Ceterum *unus* codex contra *omnes* alios valere nequit[1].

118. Testimonium Traditionis. — Traditio etiam primaeva dogma virginitatis Mariae in conceptu sine dubio iugiter, aptissime et unanimiter inculcat.

Symbolum apostolicum, in forma sua romana, — a qua aliae formae occidentales dependent, — certo habuit ab initio : *et in Christum, Filium eius, Dominum nostrum, natum ex Virgine*, imo, ex citationibus Tertulliani et Hippolyti, magis complete : *natum ex Spiritu sancto et Maria Virgine*; quod ceteroquin in omnibus symbolis affirmatur.

Cui consonat Iustinus, in Apologia conceptionem Mariae virginalem exhibens ut *fundamentalem* religionis christianae

1. Tres scil. sunt lectiones :

1° recepta Vulgatae, quam exhibent quoque codices unciales graeci omnes, et pars longe maior codicum minusculorum, versiones sahidica, coptica, syriaca peschitta, et citationes Patrum inde a Tertulliano : *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus ;*

2° pauci codices minusculi graeci, versio latina vetus et syriaca cur. habent : *Iacob genuit Ioseph, cui desponsata virgo Maria genuit Iesum ;* vel : *cui desponsata erat virgo Maria quae genuit Iesum ;*

3° una syriaca sinaitica, omnino singularis, habet : *Ioseph, cui... genuit*. Quae orta est fortasse ex eo, quod nomen Ioseph bis transcriptum est.

Hinc praeferenda omnino videtur lectio prima, ob numerum et auctoritatem eam attestantium ; lectio secunda facile oriri potuit ex prima, ob studium expressius inculcandi conceptum virginalem, unde verba « virum Mariae », mutata fuerunt in haec alia : « cui desponsata... virgo Maria » ; lectio tertia forsan est ex secunda derivata, bis transcripto nomine Ioseph. — Cfr. Van Crombrugghe, o. c., p. 47-49.

veritatem, quam diabolus sparsa legenda Persei impugnare quaesierit (I, 22, 33); et in Dialogo, eam vindicans ac ostendens Iudaeos ex odio Christi falsasse Isaiam prophetam, substituendo vocem ἡ νεᾶνις, loco septuagintaviralis lectionis : ἡ παρθένος (c. 43, 48, 57, 63, 66, 84, 100).

Similiter *dogmaticum* characterem conceptionis virginalis in lucem ponunt : Ignatius Ant. tria mysteria ponens, quae sunt : Mariae virginitas, partus ipsius, et mors Domini (ad Eph. XIX, 1 ; cfr. VII ; ad Smyrn. I, 1) ; Aristides in Apol. 15 ; Irenaeus asserens hanc veritatem esse unam ex eis quae *in regula fidei* ab omnibus credenda continetur (adv. Haer. III, 19 sq.) ; Tertullianus adversus Marcionem, de carne Christi, 17 ; Hippolytus testans esse traditionem apostolicam (c. Noët. 17 ; de Antechr. 8) ; Clemens Alex. (Strom. VI, 15 ; VII, 16) ; Origines eam dicens necessariam ad habendam omnem fidem (in Ioan. 9 ; de Pr. I, 4 ; c. Cels. I, 32 sq.) ; et deinceps omnes.

Unde, fatetur Harnack, saec. II christianos gentilitatis illud dogma unanimiter esse professos [1].

119. Convenientia rationis, ut iam vidimus, multiplex traditur a S. Thoma, III, q. 28, a. 1 :

« Quod Christus sit *conceptus ex virgine conveniens* est propter quatuor :

1° *propter mittentis Patris dignitatem conservandam.* Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens quod alium patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium.

2° *hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii qui mittitur,* qui est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur ; quinimo cordis corruptio perfecti Verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei assumpta, ut esset caro Verbi Dei, conveniens fuit quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur.

3° *hoc fuit conveniens dignitati humanitatis Christi,*

1. *Lehrbuch der Dogmengeschichte,* I³, p. 96.

in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur, secundum illud Io. I, 29 : *Ecce Agnus Dei,* scil. innocens, *qui tollit peccatum mundi.* Non poterat autem esse quod in natura iam corrupta ex concubitu caro nasceretur sine infectione originalis peccati. Unde Augustinus dicit, de nupt, et conc. I, 12 : Solum nuptialis concubitus ibi non fuit, scil. in matrimonio Mariae et Ioseph, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quae accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato.

4° *propter ipsum finem incarnationis Christi,* quae ad hoc fuit ut homines renascerentur in filios Dei, *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo,* i. e. ex ipsa Dei virtute ; cuius rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde Augustinus, de s. virg. 6 : Oportebat caput nostrum, insigni miraculo, secundem carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura ».

Conveniens quoque fuit *quod Christus nasceretur ex virgine desponsata,* sive propter ipsum, sive propter matrem, sive etiam propter nos. Quod ostendit S. Thomas, q. 29, a. 1 :

A. « *Propter ipsum Christum,* quadruplici ratione :

1. quidem, *ne ab infidelibus tamquam illegitime natus abiiceretur.* Unde Ambrosius dicit, in Lc. I : Quid Iudaeis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti ?

2. *ut consueto modo eius genealogia per virum describeretur.* Unde dicit Ambrosius, in Lc. III : Qui in saeculum venit, saeculi debuit more describi. Viri autem persona quaeritur, qui in senatu et reliquis curiis civitatum generis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instituit Scripturarum quae semper viri originem quaerit.

3. *ad tutelam pueri nati,* ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. Et ideo Ignatius dicit ipsam fuisse desponsatam, ut partus eius diabolo celaretur.

4. *ut a Ioseph nutriretur,* unde pater eius dictus est, quasi nutritius.

B. Fuit etiam conveniens *ex parte Virginis :*

1. quidem, *quia per hoc redditur immunis a poena,* ne scilicet

lapidaretur a Iudaeis, tamquam adultera, ut Hieronymus dicit, in Mt. I.

2. *ut per hoc ab infamia liberaretur.* Unde dicit Ambrosius, in Lc. I, quod desponsata est, ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre.

3. *ut ei a Ioseph ministerium exhiberetur,* ut Hieronymus dicit, l. c.

C. *Ex parte etiam nostra* hoc fuit conveniens :

1. quidem, *quia testimonio Ioseph comprobatum est Christum ex virgine natum.* Unde Ambrosius dicit, in Lc., l. c. : Locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et dolere iniuriam, et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum.

2. *quia ipsa verba Virginis matris magis credibilia redduntur suam virginitatem asserentis.* Unde Ambrosius dicit, ib. : Fides Mariae verbis magis adsciscitur, et mendacii causa removetur. Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta praegnans. Causam autem mentiendi desponsata non habuit, cum coniugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum.

Quae quidem duo pertinent ad firmitatem fidei nostrae.

3. *ut tolleretur excusatio virginibus,* quae propter suam incautelam non vitant infamiam. Unde Ambrosius dicit, ib. : Non decuit virginibus sinistra opinione viventibus velamen excusationis relinqui quod infamata mater quoque Domini videretur.

4. *quia per hoc significatur universa Ecclesia,* quae cum virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo, ut Augustinus dicit in lib. de s. virg., 12.

Potest etiam et 5ª ratio esse, quod mater Domini fuit desponsata et virgo, quia *in persona ipsius et virginitas et matrimonium honoratur* contra haereticos alteri horum detrahentes ».

Breviter Bernardus, hom. s. Missus est, n. 13 : « Necessario igitur desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc et a canibus sanctum absconditur, et a sponso virginitas comprobatur, et Virginis tam verecundiae parcitur, quam famae providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uni tali consilio secretis coelestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis matris ».

120. Conceptio virginalis est miraculosa, superans vires creatas. — Conceptio virginalis est a Deo, *tamquam causa particularis* agente loco causae creatae particularis, scil. virilis seminis, et actionem eius supplente ; et id *non obstante dispositione contraria* in natura, quia lex naturae habet materiam a matre ministratam, scil. ovulum, nonnisi per virtutem humani seminis formari in prolem. Quod omnipotenti Deo *evidenter* est possibile, uti ratio humana clare perspicit. Nam virtus infinita Dei intime praesens est in omnibus rebus, et fortior omnibus viribus creatis. Quid igitur impedit quominus in utero mulieris, ubi adest, quin claustrum virginitatis frangat aut per vaginam vadat, ovulum transmutet in foetum, et evolutionem producat quam semen virile perageret? Virtus scil. divina, quae singulis creaturis suam propriam virtutem contulit, potest omnia facere quae virtutes creatae faciunt, et quidem per semetipsam, absque concursu virtutis creatae.

« Manifestum est, ait S. Thomas, c. Gent. IV, 45, cum virtus divina infinita sit, et per eam omnes causae virtutem producendi effectus sortiantur, quod quicumque effectus per quamcumque causam producitur, potest per Deum absque illius causae adminiculo produci eiusdem speciei et naturae. Sicut igitur virtus naturalis quae est in humano semine producit hominem verum, speciem et naturam humanam habentem, ita virtus divina, quae talem virtutem semini dedit, absque huiusmodi virtute potest effectus illius virtutis producere constituendo verum hominem, speciem et naturam humanam habentem ».

121. Obiiciunt Rationalistae praecipue tria :

1º Traditionem primitivam ignorasse virginitatem Mariae. Christologia enim percurrit triplex stadium evolutionis :

a) in primo stadio conceptum virginalem ignoravit, ut videre est apud Marcum, apud Paulum, et apud Ebionitas virginali conceptui adversatos ;

b) in secundo stadio hunc admisit, ut constat ex narrationibus Matthaei I, et Lucae I-II ;

c) in tertio stadio autem eum ut inutilem neglexit, cuius testis est Ioannes, qui Christum Filium Dei habuit, non quia de Spiritu sancto e virgine conceptus, sed quia est ipsum Verbum divinum ab aeterno, a Patre procedens.

Quae melius exposita fuere a Holtzmann[1].

1. *Lehrbuch der Neutestamentlichen Theologie,* Leipzig, 1897 ; 2ª ed., 1911.

2° Ortum dogmatis sat facile explicari,

sive a) quia ante Christi adventum, divina conceptio aut virginalis iam tribuebatur Messiae venturo, quod tunc postea Iesu nato et Messiam habito fuit applicatum;

sive b) quia ethnico-graeci, facti christiani, legendas paganas de generatione deorum et heroüm a diis applicuerunt Christo, ut colligere est ex Lc. I, 35 : Spiritus Sanctus superveniet in te... *ideo*que et quod nascetur ex te, sanctum vocabitur, Filius Dei;

sive c) quia ipsi fideles, puta iudaeo-christiani, suis speculationibus religiosis, idealem conceptum superioris originis de Christo efformarunt, atque male intelligentes textum Isaiae VII, 14 iuxta falsam versionem LXX, conceptum virginalem a virtute divina Christo tribuerunt.

3° Denique Evangelium, quod dicitur infantiae, non mereri fidem; quod constat tum ex documentis truncatis, praesertim Lucae, tum ex contradictionibus, tum ex ipsis Christi genealogiis.

Quae nunc examini sunt subiicienda[1].

122. Virginitas Mariae pertinet ad doctrinam primaevam, non tamen ad initialem praedicationem et catechesim. Iuxta prudentem oeconomiam menti auditorum accommodatam, necesse erat prius divinam Christi missionem inculcare eamque comprobare miraculis aut impletis prophetiis, et sic paulatim adducere ad difficiliora et sublimiora, uti sunt incarnatio Filii Dei, divinitas Christi eiusque origo virginalis. Eodem modo Christus, qui prius divinam affirmabat missionem, postea suam innuit divinitatem, at plenam mysteriorum revelationem reliquit Spiritui sancto faciendam. Quodsi ab initio divinam

1. Cfr. VAN CROMBRUGGHE, o. c.; ROSE, *Études sur les Évangiles;* BARDENHEWER, *Mariä Verkündigung*, in *Bibl. Stud.*, 1905; MANGENOT *Les Évangiles synoptiques*, 1911; LAGRANGE, *Le récit de l'Enfance de Jésus dans S. Luc.*, in *R. Bibl.*, 1895; *La conception surnaturelle du Christ d'après S. Luc*, in *R. Bibl.*, 1914; *S. Luc; S. Matthieu;* DURAND, *L'enfance de Jésus-Christ*, 1908; ALLO, *Le récit de l'annonciation dans S. Luc*, en 2e *Congrès Marial Breton*, 1908; BALDI, *L'Infantia del Salvatore*, 1925; MC NABB, *The New Testament withness to our Blessed Lady*, 1930; J. GRESHAM MACHEN, *The Virgin Birth of Christ*, 1930; VOSTÉ, *De conceptione Virginali Iesu Christi*, Romae, 1933.

originem proposuisset illius quem fabri filium cognoscebant, lapidassent eum ut blasphemum et Mariam considerassent tamquam adulteram. Ne ergo praeberent scandalum, atque impedimentum apponerent auditorum conversioni, apostoli, ex prudentia, tacebant quaedam eaque progressive reservabant revelanda.

1° *Marci* Evangelium est historia publici ministerii Christi Filii Dei, conformis catechesi primitivae et praedicationi Petri, tradens primae doctrinae christianae elementa, servatis pro ulteriori praedicatione sublimioribus veritatibus. Quare silentium Marci est mere negativum, non exclusivum, virginitatis.

Hinc prudentius loquitur de relationibus inter Iesum et B. Ioseph intercedentibus : Iesum scil. vocat Filium Dei, aut filium Mariae, aut filium David, aut filium hominis; numquam vero filium Ioseph, ne quidem si in locis parallelis haec denominatio occurrat apud Mattheum, Lucam aut Ioannem :

Mt. XIII, 55 : Nonne hic est filius fabri ?	Lc. IV, 22 : Nonne hic est filius Ioseph ?	Io. VI, 42 : Nonne hic est filius Ioseph ?	Mc. VI, 2 : Nonne hic est faber, filius Mariae ?

Obiiciunt Mc. III, 21 : « sui (cognati) exierunt tenere eum; dicebant enim : Quoniam in furore versus est », inter quos erat et mater eius (v. 31); porro ita non poterant cogitare scientes divinam eius originem virginalem.

Resp. : a) Cognati ignorabant hanc originem, quam Maria conservabat in corde suo.

b) Cum in furore i. e. in exaltatione religiosa exessiva ab aliis dicebatur, sui venerunt tenere Iesum, propter auditam ab aliis de ipso sententiam.

c) Maria vero nequaquam ita existimabat, sed in comitatu erat, sequens ex materno affectu et de agendis circa Filium pie sollicita, ut iam diximus, n. 64, 5°.

2° *Paulus* non ut biographus intendit narrare historiam Iesu, nec exponere totam doctrinam eius, sed agit theologum, praesertim Redemptionis, et in epistolis, occasione data, iuxta necessitates Ecclesiae nascentis, quasdam veritates theoreticas aut practicas vult inculcare; hinc nonnisi de quatuor vel quinque factis ad terrestrem Iesu vitam pertinentibus rememorat. Unde silentium

eius est mere negativum, sicut et in Petro aliisque apostolis in Actibus, non exclusivum, virginitatis.

Quare quidam modi loquendi virginitatem Mariae supponunt aut verisimiliter innuunt :

1[us] respicit supereminentem Christi sanctitatem, quam habet perfectam et nativam (II Cor. V, 21 ; Eph. II, 3 sq.), dum tamen filii Adae naturaliter generati contrahunt verum peccatum, et sub lege peccati sunt (Rom. V, 12 sq. ; VII, 13 sq.) ; quod indicat Christum non fuisse naturaliter generatum.

2[us] est in verbis Gal. IV, 4, quae, nulla mentione facta humani patris, Christum declarant *factum ex muliere* (γενόμενον ἐκ γυναικός), i. e. ex sola muliere [1], eodem modo ac Eva dicitur facta ex viro (I Cor. XI, 12).

Cui non obstat Christum esse *ex semine David secundum carnem* (Rom. I, 3) aut *ex semine Abrahae et Patrum* (Rom. IV, 13 ; IX, 5), i. e. de stirpe Abrahae et David, quia cum e Maria natus sit, eo ipso secundum carnem ad stirpem pertinet Abrahae et David, ad quam pertinebat mater eius. Et iure et legaliter erat filius David, quia B. Ioseph erat pater eius legalis, qui erat de stirpe David, atque legaliter pater filii ex legitima uxore citra adulterium suscepti.

3° *Ebionitae*, saec. II labente et III, de quibus Iraenaeus et Tertullianus, adversati erant conceptui virginali, qui egressi videntur ex palaestinensi communitate iudaeo-christiana. Exinde tamen non recte concluderetur primos christianos, ex Iudaeis conversos, ignorasse originem Domini miraculosam.

Nam ex testimoniis Iustini, Origenis, Eusebii et Theodoreti colligitur partem Ebionitarum, primo magis tempore conceptum virginalem esse professos. Atque testatur Hegesippus Ecclesiam Hierosolymitanam usque ad tempora Traiani (98-117) fidem christianam servasse integram. Ergo tardior Ebionitarum oppositio aliunde quam ex historica traditione repetenda est [2].

4° *Ioannes*, evangelia Matthaei et Lucae cognoscens, ut enarraret gloriam Verbi Dei, eius divinitatem contra adversarios vindicat : cognoscens scil. narrationes infantiae

1. Non aequivalet simpliciter locutioni simili γεννητὸς γυναικός, natus ex muliere, qua LXX vertere solent hebraicam expressionem : jaloud ishsha, ad inculcandam debilitatem humanae naturae ac infirmitatem, ait VAN CROMBRUGGHE, o. c., p. 66.
2. Ita VAN CROMBRUGGHE, p. 68-69.

Iesu, illas nequaquam impugnat, quod sane fecisset si eas non admisisset ; at transcendens Christi constitutivum describit, ortum virginalem humanitatis, sicut plura alia, sine incommodo praetermittens.

Sunt tamen in quarto evangelio plures declarationes, quae vindicant coelestem Iesu originem : hae quidem directe eius divinitatem adstruunt ; at cum auctor contra illos scribat qui Iesum putabant via naturali genitum, non immerito dicuntur ex intentione auctoris indirecte aut concomitanter virginalem conceptum indicare. Ita v. g. III, 13 ; VI, 38, 44, 51, 63 ; VIII, 38, 46, 58 ; X, 28-31 ; XI, 25.

Ceterum adversariorum positio est summe inverisimilis. Nam :

a) Positis relationibus inter Paulum, Marcum et Lucam, cogitari nequit hunc in evangelio suo inculcasse veritatem quam illi plane ignoraverint aut reiecerint ; maxime cum secundum traditionem evangelium Lucae habeatur ut evangelium Pauli.

b) Ioannes concipi nequit tamquam inutilem reiecisse ortum Christi virginalem, dum eodem moraliter tempore Symbolum apostolicum id ut tesseram fidei a baptizandis accipiendae imposuerit.

c) Huiusmodi discordia necessario degenerasset in haeresim aut schisma, vel saltem sine relictis vestigiis non potuit evanescere.

123. Dogma virginitatis originem habere non potuit, nec apud Iudaeos, nec apud ethnico-hellenos, nec apud ipsos christianos Palaestinenses.

A. *Originem ex Iudaismo* directam et exclusivam, defendit Harnack [1], reputans prophetiam Is. VII, 14, iuxta lectionem septuagintaviralem, in qua « *ha'almah* » redditur ἡ παρθένος, non solum inspirasse evangelii auctorem, sed suggessisse ipsam ideam virginalis Messiae conceptus ; pro sua consuetudine applicandi Iesu Christo omnia V. T. loca quae viderentur continere prophetiam messia-

1. *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, I.

nicam, christiani ex iudaismo conversi erronee reputantes Is. VII, 14 sermonem facere de matre-virgine Messiae, concluserunt et statuerunt ipsum Iesum ex Virgine natum.

Falso tamen ; nam :

1° Virginalis Iesu generatio primitus recepta fuit inter iudaeo-christianos legentes Scripturam in textu originali hebraico ; et ipsae narrationes evangelicae de infantia Iesu primitus scriptae sunt in lingua hebraica aut aramaica ; ergo nequit admitti influxus determinativus septuagintaviralis versionis.

2° Etiam si legissent hanc versionem, nisi eventus viam ostendisset, iudaeo-christiani virginalem originem exinde deducere non potuissent : historice enim constat, tum Iudaeos non intellexisse vaticinium Is. VII, 14 de Messia, sed de Ezechia filio Achaz, tum virginalem ortum Messiae promisso numquam attribuisse.

3° Quodsi aliquis iudaeo-christianus studendo reperisset, vaticinium Isaiae esse messianicum atque in eo virginitatem adscribi Matri Messiae (quod supponeret profundius et criticum examen), numquam potuisset eam interpretationem imponere coaetaneis qui aliunde novissent Iesum naturali via generatum.

Ceteroquin possibilitati dictae originis obstant :

a) Monotheismus Iudaeorum transcendentalis, qui incarnationem Filii Dei consubstantialis nec suspicare poterat, et Dei interventum, patris in conceptione vices gerentis, admittere repugnabat.

b) Exspectatio Messiae oriundi ex domo et semine David, sicut Trypho Iudaeus iam obiecit Iustino : « Quomodo... Scriptura dicit Davidi, fore ut ex eius lumbis filium sibi Deus assumat, et regnum ei tradat, atque in sede gloriae suae collocet », dial. 68.

c) Minor consideratio virginitatis apud Iudaeos, dum proles numerosa habebatur ut gloria et particularis benedictio Dei ; — nisi apud Essenos, solitarios et eremitas ; at evangelia nullum influxum produnt illorum, imo nec ibi nominantur.

Haec quidem impossibile reddebant, non quidem dogma virginitatis, sed spontaneum eius ortum, seu creationem maternitatis virginalis.

B. *Originem ethnico-hellenicam* statuerunt multi. Alii scilicet recurrerunt ad Buddhismum, alii ad religionem

aegyptiacam vel babylonicam, alii ad cultum phrygicum aut mithraicum, vel ad doctrinas Persarum ; alii invocarunt mythologiam graecam, mysteria eleusianica vel alia ignota, etc., alii evolutionem spontaneam vel et fraudulentam [1]. Non tamen verisimile est adstruendum esse influxum paganismi directum, sed potius indirecte dogma virginitatis esse exortum [2] : ex eo scil. quod Iesus praedicabatur Filius Dei, ethnico-christiani conceperunt filiationem divinam secundum notiones suas mythologicas, et suam ideam dein confirmarunt prophetia Isaiae VII, 14, ut ipse Iustinus videtur innuere [3]. Quod circa annum 80 factum censetur.

Iamvero :

1° Apostoli semper et ubique immorantes inveniuntur in praedicando Deo transcendenti, aeterno et unico ; impugnant polytheismum, et urgent separationem ab infidelibus paganis (II Cor. VI, 14-17). Quare impossibile est neophytos potuisse redire ad cultum paganismi inferiorem et immoralem, Iesum dicentes filium Dei ad modum paganorum ; et si unus relapsus esset, aut quidam coetus errorem admisisset, non tamen poterat quorumdam error invadere totam Ecclesiam, quin ullum deprehendatur vestigium reactionis aut contradictionis, neque ex parte Apostolorum.

2° Nullus influxus apparet ethnico-graecus in narrationes Matthaei I-II et Lucae I-II, sed praebent characterem semiticum ; quare iudaeo-christiani auctores harum narrationum a paganis vel ethnico-christianis illas non acceperunt.

3° Debitum tempus requiritur ad formandam, spargendam, imponendam legendam, sub mythologico influxu natam. Quod in casu deest, cum Evangelium Lucae certe an. 71 ante destructam civitatem sanctam sit scriptum,

1. Vide bibliographiam apud Clemen, *Religionsgeschichtliche Erklärung des Neuen Testaments*, Giessen, 1909 ; et Harnack, o. c.

2. Loisy, *Les Évangiles synoptiques*, I, 1917.

3. « Dum autem Verbum, quae prima est Dei progenies, sine mixtione genitum dicimus, Iesum Christum Magistrum nostrum... nihil ab iis qui apud vos dicuntur, Iovis filiis alienum et novum afferimus », Apol. I, 21.

imo probabiliter ante an. 63, quo ipsi Actus Apostolorum terminantur. Pauci anni sane non sufficiunt ad novum dogma introducendum in totam Ecclesiam.

4° Nullum adest indicium historicum dogmatis a legendis paganis derivati : quinam fecerint, ubinam vixerint, a quonam evangelizati fuerint, quomodo eorum novitates ad alios et ad totam Ecclesiam transierint, nullatenus refertur.

Talem derivationem affirmare tunc solum scientia historica permittit quando a) ex testis qualificati declaratione colligitur ; aut b) litteraria fontium cognatione denuntiatur ; aut c) ex sufficienti rei essentialis vel adiunctorum similitudine resultat. In casu autem a) omnis deest declaratio testis[1] ; b) fontium cognatio litteraria habetur nulla ; c) quantum ad mutuam ipsarum rerum relationem et similitudinem, legendae paganae et dogma christianum late distant, imo essentialibus in elementis opponuntur.

Mysterium christianum est in omnibus Deo dignum : 1° innititur transcendenti monotheismo ; 2° locum honore plenum facit religiosae virginitati, dum illa quae maternitatis gaudiis renuntiaverat et Deo se virginem consecraverat, rogatur a legato divino ut consentiat fieri mater Filii Dei Salvatoris, et, ipsa consentiente, per Omnipotentem Deum sic perficitur divina maternitas ut consecretur et virginitas ; 3° rei veritas attestationes habet historicas Evangelii. E contra, legendae paganae nec Deo nec ipso homine sunt dignae : 1° innituntur aut puerili naturismo, aut pseudo-philosophica transmigrationis animarum doctrina, aut crasso polytheismo in quo ipsi dii infrenatis passionibus ducuntur ; 2° virginitatem voluntariam et Deo consecratam plane ignorant ; contra, inspirantur horrore sterilitatis, et desiderio prolis quae obtenta declaratur, sive ope rituum magicorum aut praxium superstitiosarum, sive ex concubitu Dei anthropomorphici aut theriomorphici ; 3° attestationem non habent nisi infantilem aut depravatam populi inculti phantasiam[2].

Obiiciunt verba Lc. I, 35 : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ; *ideoque* (διὸ καὶ) et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei », ex quibus Iesus erit Filius Dei *quia et in quantum* in tempore est a Spiritu

1. Iustinus quidem, ap. I, 21, dogma Christi conceptionis virginalis comparat analogis legendis mythologicis ; at hoc facit manifesto scopo apologetico et relativo, mere argumentando scil. ad hominem.
2. VAN CROMBRUGGHE, o. c., p. 75.

sancto ex Maria generandus ; eodem modo ac legendae paganae viros insignes narrant ex deo et femina humana enatos.

Resp. : Actio divina formans hominem ex Virgine est *in concreto* et in suo ordine *vera ratio*, licet non unica, quare filius Mariae vocabitur Filius Dei, quia in ordine historico est de facto *medium* quo Filius aeternus Dei factus est filius Virginis, et ratio quare filius Virginis sit Filius Dei, iuxta prophetiam Isaiae VII, 14. Cum enim angelus nuntiaverit B. Virginem esse concepturam filium vocandum Salvatorem, qui *et Filius Altissimi vocabitur* (v. 31-32), et Virgo quaesierit : quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco (v. 34), huic *directe* respondet angelus : Influxu Omnipotentiae conceptione virginali concipies, et praecise tali conceptione, qua Filius Dei naturam humanam ex te personaliter assumat, fiet *istud :* filium tuum merito vocari Filium Dei. Conceptus itaque virginalis directe significat humanam naturam a Deo ex virginis carne esse formatam, connotat tamen unionem huius humanae naturae in momento suae originis, cum Filio aeterno Dei perfectam.

Quare S. Thomas scribere potuit, III, q. 2, a. 12, ad 3 : « Gratia unionis non est naturalis Christo secundum naturam humanam, quasi ex principiis humanae naturae causata... ; est tamen naturalis ei secundum humanam naturam propter proprietatem nativitatis ipsius, prout conceptus est ex Spiritu sancto, *ut* esset idem naturalis filius Dei et hominis ».

C. *Originem apud christianos Palaestinenses*, sed ex legendis paganis iam ante Christum a Iudaeis Messiae promisso applicatis, quaesivit inter alios Gunkel[1]. At est mera hypothesis.

Historice enim constat theologiam iudaicam nec virginalem Messiae conceptum suspicatam esse (vide supra, A), atque stat dictum Iudaeorum a Tryphone proclamatum, apud Iustinum, dial. 49 : « Omnes nos exspectamus Christum fore hominem, ex hominibus generandum ». Quaesivit Gunkel paganam legendam quam applicuerint, sed non invenit.

124. Narrationes evangelicae de infantia Iesu habent valorem vere historicum. — Adversarii conantur ostendere 1° textus virginalem conceptum

1. *Zum Religionsgeschichtlichen Verständnis des Neuen Testaments*, Göttingen, 1903.

affirmantes esse interpolatos, aut fontes quibus Evangelistae usi sunt non continuisse illam doctrinam, sed ab ipsis Evangelistis illos retractantibus ibi fuisse introductam; 2° ex comparatione vero textuum Lucae et Matthaei ingentem esse inter eos differentiam, imo oppositionem, tum ex complexu factorum, tum ex genealogiis diversis.

E contra, *utraque narratio prae se fert characterem fontis vere historici ;* nam :

1° Lucas refert documentum iudaeo-christianum, admodum primitivum, lingua aramaica aut, secundum alios, hebraica redactum inter illos qui ad comitatum Iesu pertinuerant, ut patet ex toto indole scripti : ibi templum exhibetur cultus centrum, caeremoniae legales supponuntur accipere impletionem, personae in fideli legis mosaicae observantia exspectant Messiam, cantica exprimunt sensus iudaeo-nationales, indoles litteraria est manifeste semitisans, ipseque narrationis modus vividus consimilis videtur illi qui observatur in l. I Macchabaeorum. Porro ad personalem informationem, Lucas testatur : « omnia assecutum a principio diligenter », ut destinatarius evangelii « cognoscat eorum de quibus eruditus est, veritatem » (I, 3-4) ; ad quod fuit necessarium interrogare testes, inter quos ordinario dicitur fuisse B. Virginem, quae ab evangelista bis notatur « conservasse omnia verba in corde suo » (II, 19, 51).

2° Matthaeus autem narrationem introducit affirmatione : « Generatio autem Christi sic erat », quae historicam narrationem nuntiat. Refert ceteroquin facta publica, de quibus legentes facile aliunde instrui poterant, et quae proinde a prudente auctore iuxta realem veritatem exposita praesumuntur ; maxime quod evangelistae testes sine dubio sint sinceri et veraces.

Hinc A. *Quantum ad comparationem documentorum*, non adest inter ea substantialis differentia.

1° *Communia* sunt *elementa essentialia*, scil. nomina Iesu, Mariae et Ioseph, affirmatio virginalis conceptus Iesu ex Maria, modus conceptus virginalis per Spiritum sanctum, desponsatio Mariae et Ioseph in matrimonium, origo davidica Christi, nativitas in Bethlehem et impositio nominis Iesu, eiusque educatio in Nazareth.

2° *Diversitas* est tum in eo quod Lucas eventum narrat *ex parte Mariae*, Matthaeus *ex parte Ioseph ;* tum *ex parte factorum quae nativitatem consequuntur.* Quod explicatur pro diverso scopo : Matthaeus enim intendit ostendere Iesum esse Messiam Iudaeis promissum, et qua talem apparuisse, Iudaeos autem plurimos ex culpa sua eum non agnoscentes se a regno exclusisse, gentiles vero pro bonis suis dispositionibus esse ad regni participationem admissos, refert adorationem magorum et connexam caedem innocentium, fugam in Aegyptum, et reditum ex Aegypto in civitatem Nazareth; — Lucas vero, exhibens parentes Iesu fideliter observantes legem caeremonialem, narrat adorationem pastorum, circumcisionem Iesu, huius oblationem in templo et a Simeone et Anna agnitionem, reditum in Nazareth, iter in Ierusalem et reditum ad vitam absconditam ; quae omnia a Luca narrantur tamquam introducentia ad ministerium Christi publicum in Galilaea inchoandum.

3° *Quantum ad successionem* eventuum, ita *possunt congrue ordinari*[1] : nativitas Salvatoris, manifestatio ad pastores, circumcisio pueri Iesu, oblatio in templo (Lc. II, 7-38), tunc adventus magorum, quorum iter plures menses insumere potuit, cum dicantur venisse ab Oriente, i. e. a Mesopotamia aut ab Arabia, et Herodes, qui diligenter didiscerat tempus stellae, indicet caedem natorum a bimatu et infra, dein fuga in Aegyptum, postea reditus in terram Israël (Mt. II, 1-22) ; denique reditus in Nazareth iuxta Mt. II, 23 et Lc. II, 39[2].

4° Quare *nulla habetur contradictio,* sed *diversus aspectus* in quo fontes evangelici describunt relationes S. Familiae respective cum Bethlehem et cum Nazareth habitas. Matthaeus enim, ostensurus Iesum esse Messiam promissum, supponit ut connaturale quod sit natus in Bethlehem, et notat quod si civitatem davidicam reliquerit et in eam non redierit, causa sit referenda in familiam Herodianam, atque sedulo advertit varia facta implere prophetias messianicas ; Lucas vero exhibens terminum a quo ministerii publici, testatur parentes Iesu habitasse in civitate Nazareth, occasione descriptionis praescriptae venisse in Beth-

1. Ita quoad substantiam Tatianus, Eusebius, Epiphanius, Leo M. et plures alii, maxime recentiores. Iste est ordo facilior ; est tamen alius ordo absolute possibilis.

2. Nec obstat quod, secundum Lucam, post oblationem in templo, *statim* videantur rediisse in Nazareth : « Et ut perfecerunt (ὡς ετέλεσαν) omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth » (II, 39). Nam talis locutio (ὡς cum aoristo) per se non determinat, an eventus immediate locum habuerit aut tantum post notabile tempus. In contextu vero illa verba introducunt v. 40 : Puer autem crescebat... ; quare non sunt praecedentibus coniungenda, sed potius sequentibus. Simile exemplum est in I, 80.

lehem, ibique Iesum esse natum, post aliquod tempus vero rediisse in patriam.

5° Denique *quantum ad Christi genealogias* (Mt. I, 1-17; Lc. III, 23-38), gratis dicerentur confictae, nam Iudaei magna cum cura genealogias familiae conficere et conservare solebant; ceterum virginali conceptui non adversantur, cum paternitas, quam B. Ioseph agnoscunt respectu Iesu, sit legalis tantum (M. I, 16), vel etiam putativa (Lc. III, 23). Ad diversitatem earum explicandam, duplex praecipue adest sententia, omissis quibusdam aliis quae nullatenus probabiles sunt :

a) Prima tenet Matthaeum tradere Beati Ioseph, Lucam vero Mariae genealogiam. Nam v. 23 ita est legendus : Καὶ αὐτὸς ἦν Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ὤν υἱός — ὡς ἐνομίζετο Ἰωσήφ — τοῦ Ἠλι... Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, existens filius — ut putabatur Ioseph — (revera tamen) Heli...; non autem : existens filius — ut putabatur — Ioseph, qui fuit Heli... Hanc opinionem prius proposuit Annius Viterbiensis saec. XV, quem secuti sunt multi recentiores; non tamen videtur habere fundamentum in antiqua traditione. Stricte quidem possibile est hoc modo legere textum Lucae, at lectio non est obvia, sed potius violenta; atque hoc praebet incommodum quod eadem vox υἱός sumatur in duplici sensu, filii scilicet et nepotis. Merito quoque opponitur, quod apud Iudaeos inauditum est texere alicuius genealogiam per matrem; et quod Iesus in actis publicis inscribendus erat ut legalis filius Ioseph.

b) Altera sententia tenet utramque genealogiam esse B. Ioseph, cuius Matthaeus carnales maiores, Lucas vero legales, iuxta legem leviatus (Deut. XXV, 5) enumerat. Heli (Lc. III, 23) et Iacob (Mt. I, 15-16) fuerunt fratres uterini; viduam Heli matrimonium duxit Iacob, ut suscitaret semen fratri suo, et ex ea genuit B. Ioseph : iste ergo habuit patrem carnalem, Iacob, cuius ascendentes referuntur apud Matthaeum; patrem legalem, Heli, cuius maiores recensentur apud Lucam. Haec sententia iam proposita fuit a Iulio Africano, qui saec. II Hierosolymis natus, per plures annos in Palaestina commoratus est, traditiones evangelicas recipere ac transmittere poterat, atque invocat suos testes, ipsius familiae dominicae posteros; ab Eusebio, Hieronymo, Augustino adoptata, per saecula sequentia communis fuit usque ad saec. XVI, atque etiam nunc praeclaros habet defensores; legibus et usibus Iudaeorum bene respondet; unde omnibus inspectis est valde probabilis, non tamen est absolute certa.

Quoad ulteriores explicationes, vide Evangeliorum commentatores.

B. *Quantum ad textus, quos interpolatos aut mutatos dicunt*, praeter Mt. I, 16, de quo supra iam diximus,

n. 117, B, 2°, asserunt in Luca, praeter locutionem « ut putabatur » III, 23, de qua supra A, 5° a), interpolata esse I, 34-35 : facile enim possunt removeri, iisque remotis perfecte sibi correspondent v. 31 : ecce concipies... et v. 36 : ecce Elisabeth et ipsa concepit... Iis autem ablatis, iam nihil remanet in Luca quod virginalem conceptum exprimat. Cuius asserti patronus praecipuus est Harnack[1].

Resp. : Narratio Lucae complectitur septem partes. Tres priores successive referunt a) nuntium Gabriëlis ad Zachariam de futura conceptione Ioannis, I, 5-25; — b) nuntium Gabriëlis ad Mariam de futura conceptione Christi I, 26-38; — c) visitationem Mariae ad Elisabeth, in qua mater Ioannis ipseque Ioannes conceptum Christum agnoscunt, I, 39-56. — Succedunt tres partes priorum completivae, describentes : d) nativitatem Ioannis, I, 57-80; — e) nativitatem Christi, II, 1-21; — f) Iesu praesentationem in templo, ubi Messias agnoscitur et celebratur, II, 22-39. Septima descriptio est iter in Ierusalem, in quo ipse Iesus suae dignitatis conscientiam manifestat, II, 40-52.

Mira itaque in Lucae narratione est unitas compositionis, ita ut facta, quae comitantur ortum Ioannis, perspiciantur esse praeludium et praeparationem ortûs Iesu longe mirabilioris, atque initialis historia Iesu praeparet publicum eius ministerium.

Iamvero *totius huius narrationis anima et centrum est doctrina virginalis generationis Iesu*, ita ut, ea remota, tota narratio fiat manca et inconcinna; nam :

1° Conceptio Ioannis nuntiatur *patri* Zachariae; Christi conceptio nuntiatur *matri* Mariae.

2° B. Maria gravida, visitans Elisabeth, exhibetur ut sponsa S. Ioseph, in proprio domo adhuc habitans, I, 56; nihilominus Elisabeth, repleta Spiritu sancto, eius graviditatem celebrat ut sanctam, I, 42.

3° Quare et in historia praesentationis et inventionis in templo, B. Maria primas tenet partes, ac ipse Iesus Matri

1. *Zu Lukas*, I, 34-35, in *Zeitschr. für die N. T. Wissenschaft*, 1901; et *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, I.

dicenti : « ecce, *pater tuus* et ego, dolentes quaerebamus te », respondet : « nesciebatis quia in his quae *Patris mei* sunt oportet me esse? », verum sibi Patrem Deum agnoscens. Quae impossibile est intelligere extra conceptum Christi virginalem. Accedit in evangelica narratione, a) initialem historiam Iesu tradi ut historia praecursoris multo mirabiliorem ; cum autem praecursor nasciturus praedicetur ex sterilibus parentibus, haec oeconomia falleret, si Messias nuntietur via naturali generandus ; — b) parallelismum intercedere inter v. 31-32 quae verba Is. VII, 14 applicant, et v. 34-35 quae ista perfectius apta gradatione declarant ; — c) v. 36 : « Ecce Elisabeth cognata tua et ipsa concepit... » confirmare v. 32, sed supposita Mariae quaestione v. 34 : nisi enim supponatur Mariae admiratio et quaestio, non intelligeretur quare angelus loquatur de alia quadam muliere quae concepit. Quare non solum omnino gratis, adversarii interpolationem statuunt sine ullis argumentis, verum etiam, ea admissa, in narratione Lucae nihil amplius contineretur eorum quae auctor voluerit affirmare[1].

Obiiciunt: 1° Quaestio Mariae : « Quomodo fiet istud..., » non est verisimilis in sponsa cui nuntiatur maternitas futura.

Resp. : Non est forsan verisimilis in sponsa ordinaria, at per-

1. De his omnibus et aliis connexis, sicut de praecedentibus, cfr. laudatus VAN CROMBRUGGHE, o. c., et VOSTÉ, *De Conceptione Virginali Iesu Christi*. Iste, ut melius pateret perfecta unitas narrationis Lucanae, atque in ea realis gradatio et ad hoc necessaria virginalis conceptionis assertio, post alios proponit parallelismum sequentem inter annuntiationem nativitatis Ioannis ad Zachariam, et nativitatis Christi ad Mariam.

Annuntiatio ad Zachariam (I, 11-20)		Annuntiatio ad Mariam (I, 28-38)	
1. Apparet Angelus	11	1. Apparet Angelus, dicens: Ave	28
2. Turbatur Zacharias ...	12	2. Turbatio Mariae	29
3. Annuntiatio	13-17	3. Annuntiatio	30-33
4. Quaestio Zachariae	18	4. Quaestio Mariae	34
5. Responsum Angeli	19	5. Responsum Angeli	35
6. Signum	20	6. Signum	36-37
		7. Ascensio Mariae	38

Quod si auferrentur v. 34-35, nihil responderet quaestioni Zachariae et angeli ad eum responsioni (18-19), atque deficeret realis climax quem postulat dignitas maior Salvatoris et Mariae, supra praecursorem Ioannem eiusque matrem : culmen in quod tendit tota historia. Hinc omnes partes se tenent, et totum caput est inscindibile.

fecte intelligitur sponsam quae habet firmum propositum, vel et votum, virginitatis, postulare : quomodo fieri potest, cum in proposito virginitatis firmiter persistam?

2° Quaestio supponit in Maria incredulitatem ; si autem ex incredulitate peccasset, in contextu deberetur ipsi poena infligi, eodem modo ac incredulo Zachariae.

Resp. : Quaestio non supponit incredulitatem, nec proinde postulat poenam ; sed exprimit admirationem ex non perspecta duorum concurrentium conciliatione ; quare Maria non interrogat dubitans de facto, sed modeste quaerens de modo.

3° Maria in toto contextu est silentiosa ; v. 34 autem inducitur loquens ; ceterum v. 34-35 constituunt duplicatum disparatum et dissonum v. 31-32.

Resp. : Non est sane mirum, quod Maria, humilis et silentiosa, in negotio tanti momenti septem verba proferat ; sicut etiam v. 32 loquitur et v. 46 sq. Quaestio Mariae introducit responsum angeli, perfectius declarantis nuntium praecedentem. In hoc erat promissio nascituri Messiae filii David, qui et Filius Altissimi vocabitur ; nunc autem magis explicatur quomodo altiore et veriore sensu futurus sit Filius altissimi, i. e. Dei : non quidem excluditur quominus nasciturus sit filius David et Messias, sed additur quod insuper sit vere Filius Dei. Quare non est duplicatum sed parallelismus potius transferens in ordinem altiorem, progressivus climax atque apta gradatio.

QUAESTIO SECUNDA.

MATER DEI EST VIRGO IN PARTU.

125. Dogma fidei est Matrem Dei esse virginem in partu, i. e. filium edidisse et peperisse illaesa corporis sui integritate, et non violato sigillo virginitatis, ac proinde ex utero clauso et obsignato, ut certum est, Ecclesiae traditione id habente tamquam punctum doctrinae revelatae.

Quod privilegium negarunt, praeter illos omnes qui virginitatem in conceptu abnegant :

1° Tertullianus, ad impugnandos Docetas (adv. Marc. III ; de carne Christi, 23), et etiam, ut videtur, Origenes, saltem in iuventute sua (hom. 14 in Luca, circa a. 233).

2° Saec. IV Iovinianus, contra quem scripserunt Hieronymus et Ambrosius, et quem damnavit Siricius papa (a. 390), et cuius discipuli in Hispania fuerunt damnati saec. VII a Conc. Toletano XI.

3° Errorem renovarunt saec. XVI quidam Protestantes, ut Sociniani, Bucerus, Petrus Martyr, Molinaeus, Beza, Buringer, etc...

4° Nostris temporibus, Rationalistae et Modernistae.

Doctrina catholica virginitatis in partu, in documentis Ecclesiae iam allatis n. 116 :

1° *implicite* affirmatur, quatenus Christus *ex virgine natus* dicitur, aut ex Maria *semper* virgine ;

2° *explicite* proclamatur et definitur a Siricio papa (a. 392), a Leone M. in ep. dogm. ad Flavium Const. (a. 449); a Concilio Lateranensi, sub Martino I (a. 649), can. 3 ; a Leone III, fid. Nicephori (a. 811), et a Paulo IV, const. *Cum quorumdam*, a. 1555. Cfr. prop. 24 damn. ab Alex. VIII.

126. Testimonium Scripturae. — Virginitas in partu

A. *Praenuntiata* fuit ab Isaia propheta, VII, 14 (iuxta textum universaliter receptum tam graecum LXX, quam latinum vulgatae), ut supra declaravimus, n. 117 A, 3°.

B. Etiam *testata* ab Evangelio. Quamvis magis explicite conceptum quam partum virginalem doceat, ipsum tamen partum corporali virginitati non nocuisse indubie inculcat, ut monet Van Crombrugghe, o. c., p. 36 sq. Etenim :

a) Matthaeus in generatione seu ortu Messiae, impletum declarat vaticinium Isaiae : Ecce Virgo concipiet *et pariet* Filium (I, 22-23) ; pariter Lucas annuntiationem factam narrat verbis quae ad litteram referunt septuagintaviralem eiusdem vaticinii versionem :

Is. VII, 14 : Ecce ipsa Virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabit nomen eius Emmanuel.	Lc. I, 31 : Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.

b) Ex intentione docendi partum virginalem, notat Lucas quod ipsa B. Maria peperit filium, et pannis eum involvit, et reclinavit in praesepio (II, 7) ; atque de oblatione pueri in templo, legem statutam pro consecratione primogeniti dicit impletam, omittit autem invocare legem de auferenda immunditia puerperae (II, 23-24).

Ubi « tria sunt perpendenda :

1° quidem, ter provocatur ad legem Domini, ut notetur character *legalis* oblationis Iesu ;

2° dicuntur « impleti dies purgationis *eorum* » (II, 22) : haec lectio certa est[1] et indicare videtur sermonem esse de determinatione chronologica legalis obligationis non magis attingentis Mariam quam Iesum aut Ioseph, adeoque purificationi stricto sensu, B. Mariae ut matris mundandae, propter virginalem Christi partum, locum non esse ;

3° ex praescripto legis pauperes offerre tenebantur in puerperae purificatione « duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccato (Lev. XII, 5-8) ; praeterea, primogenitum adigebantur Deo consecrare et pretio redimere (Ex. XIII, 2, 12 sq.). Evangelista notat parentes Iesu utrumque fecisse ; ut autem denuo indigitet Iesum esse *primogenitum Matris-Virginis* citat, verbis Scripturae, legem statutam pro consecratione primogenitorum, et intentionaliter omittit invocare legem qua regulatur auferenda immunditia puerperae ». Citat scil. Lev. XII, 8 : « par turturum aut duos pullos columbarum », sed his relatis, citationem abrumpit, omissis « unum in holocaustum et alterum pro peccato, orabitque pro ea sacerdos et sic mundabitur ».

127. Testimonium Traditionis. — Mariae virginitas :

1° Initio praedicabatur *implicite*, dum Christus dicitur *natus* ex Virgine, aut *Virginem peperisse* illum vel *parturiisse*, quod iuxta naturalem et obvium sensum formaliter est intelligendum. Hinc Augustinus, Enchir. 34 : « Si vel nascente corrumperetur eius (matris) integritas, nondum ille (Christus) de virgine nasceretur eumque falso, quod absit, natum de virgine Maria tota confiteretur Ecclesia ».

2° Saec. II *explicite* ita dicitur. Et quidem alii de materialiter non fracto claustro *expresse* loquuntur, ut opus aprocryphum Protoevangelium Iacobi, c. 19 sq. narrans historiam cum legendariis circumstantiis ; item Ascensio Isaiae, 11, Oda 19 Salomonis, et Oracula Sibyllina, quibus consonat Clemens Al. scribens in l. VII Strom., c. 16 :

1. Ita, ad differentiam Vulgatae, textus graecus secundum quamcumque criticam N. T. editionem.

« Multis in hodiernum diem videtur Maria esse puerpera propter ortum filii sui, cum non sit puerpera. Quidam enim dicunt, postquam peperisset, inspectam ab obstetrice inventam fuisse virginem (allusio ad circumstantiam legendariam). Tales autem sunt nobis Scripturae Dominicae veritatem parientes et manentes virgines cum occultatione mysteriorum veritatis (i. e. id nobis non est necessarium testimonium legendarium : sufficit nobis assertio Scripturae de occulto mysterio). *Peperit et non peperit*, inquit Scriptura (iuxta apocryphum aut extracanonicum textum Ezechiëlis), ut quae ex se, non ex coniunctione conceperit. Quamobrem gnosticis (i. e. perfectis christianis) conceperunt Scripturae. Quod quia non intellexerunt haereses, quasi quae non conceperunt eas ablegant ».

Alii vero, modeste et cum pudore de B. Virgine loquentes, contenti sunt affirmare incorruptionem puritatis respectu partûs, ut Irenaeus, adv. haer. IV, 33, et Exp. praedic. apost. 54 ; et forsan Origenes (post a. 244), in Lev. hom. 8, ita retractans quod antea scripserat ; atque deinceps Athanasius, q. 19 et Epiphanius. Cfr. etiam Hilarius, de Trin. III, 19; Zeno Ver. lib. 1, tr. 5; lib. 2, tr. 8 et 9; Greg. Nys., de Vita Moysis; Greg. Naz., or. 40, 45; Gaudentius Br., serm. 8 et 9 : Proclus, or. 1 in S. Dei Gen., 10.

3° A saec. IV *dogma* virginitatis in partu asserunt et *defendunt contra adversarios :* Ephraem (ed. Lamy), hymni II, 534, 570, 576 ; Epiphanius, adv. haer. 78 ; Ambrosius, ep. 42 ; et de inst. virg. VIII, 52 invocans Ezech. XLIV sq. ; item Hieronymus, adv. Iov. I, 31 ; ep. 22, n. 18 ; ep. 48, n. 21 ; Augustinus, ep. 137 ad Vol. II, 18 ; serm. 186 ; in Ioan. tr. IV, 10 ; de haer. 82. Atque deinceps Petrus Chrys., serm. 117, 142 ; Theodotus Anc. in conc. Eph., hom. in Nat. D. ; Leo M., serm. 22 ; Maximus Taurin., hom. 5 ; Gregorius M., Mor. XVIII, 52 ; hom. in Ev. II, 26, n. 1 ; Ioannes Dam., de Fide orth. IV, 14.

Qui Patres etiam comparationes instituunt partûs virginalis cum egressu Christi e sepulchro, eius ingressu in coenaculum ianuis clausis, et cum penetratione radiorum solis per crystallum illaesam. Interdum utuntur exemplo sideris, quod absque sui

laesione radium emittit, et cui radius non adimit claritatem, ut significetur quod Dei Mater, absque sui corruptione, peperit Filium qui ipsi integritatem non abstulit. Vel figura lucis, vitrum absque violatione penetrantis et pervadentis, ab eoque subtiliter egredientis, imo vitri, quod irradiat, calorem induentis : quo modo Verbum incarnatum, quod est splendor gloriae et figura substantiae Patris (Hebr. I, 3), Virginis claustra inviolata ingressum est, eaque sua divinitate perfudit, ex quibus intactis egressum est, ipsa natura humana indutum. Rursus comparant puritatem Virginis Deiparae puritati speculi, quod nec radiorum cuspide frangitur, nec lucis repercussione maculatur ; partum vero illius assimilant fructui maturo ex arbore ultro elabenti, quin vellicari et quasi obstetricari debet : partus enim virgineus obstetricis manu non indiguit.

Unde Ecclesia canit in praef. de B. Maria : « virginitatis gloria permanente, lumen aeternum mundo effudit » ; et « talis partus decet Deum », in hymno Nativitatis.

128. Convenientia rationis a S. Thoma traditur, III, q. 28, a. 2 :

« Absque dubio asserendum est, matrem Christi etiam in partu virginem fuisse ; nam propheta non solum dicit : *Ecce virgo concipiet*, sed etiam addit : *et pariet filium.* Et hoc quidem propter tria :

1° quidem, *quia hoc competebat proprietati eius qui nascebatur*, qui est Verbum Dei. Nam Verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde ut ostenderetur quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit ut de incorrupto virginis utero nasceretur. Unde in sermone quodam Ephesini Concilii (p. III, c. 19) legitur : « Quae parit carnem puram, a virginitate cessat. Sed quia natum est in carne Verbum Dei, custodit virginitatem, seipsum per hoc ostendens Verbum. Neque enim nostrum verbum, cum paritur, corrumpit mentem ; neque Deus Verbum substantiale partum eligens, peremit virginitatem ».

2° *hoc est conveniens quantum ad effectum incarnationis Christi.* Nam ad hoc venit ut nostram corruptionem tolleret ; unde non fuit conveniens ut virginitatem matris nascendo corrumperet. Unde Augustinus (?) dicit in quodam sermone de Nat. Dom. : « Fas non erat ut per eius

adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta ».

3° *fuit conveniens ne matris honorem nascendo diminueret*, qui parentes praeceperat honorandos ».

129. Animadversiones. — Animadvertenda veniunt plura :

1° Contra virginitatem in partu argumentatur, inter alios, Tertullianus ex Scripturis : tum a) quia Christum dicunt *factum ex muliere* (Gal. IV, 4) ; tum b) quia verba legis : *Omne masculinum adaperiens vulvam* applicant Christo (Lc. II, 23), unde et plures Patres ita de Christo loquuntur. At :

a) Vox *mulier* indicat femineum sexum, non functionem ; et ideo non implicat nuptam a viro cognitam, aut corruptam, nam in Gen. II, 22, Eva dicitur mulier, dum adhuc virgo erat. Unde Augustinus, c. Faustum, XXIII, 7 : « mulierem pro femina posuit, more locutionis Hebraeorum : usus enim hebraeae locutionis mulieres dicit, non virginitate corruptas, sed feminas ». Cfr. S. Thomas, III, q. 28, a. 1, ad 3.

b) *Aperiens vulvam* significat primogenitum. Unde non significatur apertio physica, sed, in sensu legis, primus transitus filii, scilicet primogeniti : idem est ac nasci seu ex utero prodire primogenitum. Evangelista, ait Beda, in Lc. VIII, 4, « consuetae nativitatis more loquitur, non quod Dominus sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificaverat, egressus devirginasse credendus sit ». Unde, monet S. Thomas, III, q. 28, a. 2, ad 1 : « illa adaperitio non significat reserationem meatuum claustri pudoris virginei, sed solum exitum prolis ex utero matris ».

2° Primis temporibus Patres, illum textum exponendo Scripturae, non semper accurate locuti sunt, nec cum omni praecisione : sive ex modestia aut excessu pudoris, sive etiam ob theologiam adhuc imperfectam, et quandoque verbis videntur privilegium virginitatis negantes ; at aliunde omnem corruptionem vel maculae impuritatem a partu excludunt, nec necessariam aut praesentem fuisse

obstetricem significant : « Quoniam Verbum, animadvertit Irenaeus, adv. haer. IV, 33, caro erit, et Filius Dei filius hominis, *purus pure puram aperiens vulvam*, eam quae regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit[1] ».

Imperfecte locuti sunt Irenaeus, Origenes, Athanasius, Epiphanius et plures alii, imo Hieronymus, contra Helvidium, qui tamen postea contra Iovinianum omnino clare et indubie apertionem vulvae negavit, locis supra citatis.

3° Unde nullatenus audiendi sunt qui sensum locutionis : *adhuc virgo*, ita intelligendum putant ac si implicaret B. Virginem post conceptionem Christi amisisse virginitatem[2]. Irenaeus v. gr. semel, adv. Haer. III, 21, de Maria profert locutionem : « quae adhuc erat virgo », sed locutio potius ex parallelismo litterario est provocata cum Gen. II, 5, quam ex ipso dogmate. Nam scopus auctoris est exponere similitudinem cum terra virgine, dum Adam ex ea formatus est, non autem comparationem urgere cum terra postquam haec virginem esse cessavit : de sequentibus scil., adhibendo locutionem, non cogitavit, eodem modo ac I Macch. V, 54.

Patet ex locis parallelis, adv. haer. III, 22 et Epideixis seu Dem. Ap., 22, dum dicit de Eva quae adhuc virgo erat ; e contra de Maria dicit simpliciter : virgo, omittens intentionaliter *adhuc*. Et etiam quia Origenes pariter de Maria dicit : adhuc virgo (M. G. XIII, 1902 D, 1904 A), et tamen sine dubio admittit et explicite praedicat virginitatem Mariae perpetuam, v. g. in Ioan. I, 6 ; in Mt. X, 17 ; in Ioan. II, 11. Confirmari potest, quia Iustinus,

1. Ceterum Irenaeus, adv. haer. III, 21, ait prophetiam Isaiae esse impletam in Virgine, hoc est in Mariae *partu*. Et Epideixis seu Dem. Ap., c. 54 : « Priusquam illa quae parturit pareret, et priusquam advenirent dolores partus, liberatus est et evasit masculus : inexspectatum et inopinatum, per virginem partum eius annuntiavit ».

2. Ita H. Koch, *Adhuc virgo*, Tübingen, 1929, et *Virgo Eva-Virgo Maria*, Berlin-Leipzig, 1937. De quo vide Capelle, *Adhuc virgo chez S. Irénée*, in *R. T. A. M.*, 1930 ; Deneffe, in *Scholastik*, 1931 ; Mitzka et Bardenhewer, in *Zeitsch. f. Kath. Theol.*, 1931 ; Jouassart, in *Rev. des sc. rel.*, 1932-1933 ; Campana, o. c., ed. 4, 1936, p. 712-714 ; 714-723 ; Lebon, in *R. Hist. Eccl.*, 1938.

dial. 100, et Ambrosiaster, q. 40, simpliciter dicunt : virgo.

4° Cum de signaculo seu claustro virginitatis quandoque disputatum fuerit, aut adhuc disputetur, non requiritur in declaratione dogmatis, praecise determinare in quo illud consistat, sed necessarium est dicere signaculum illibatum in partu integrumque mansisse, ac Christum per uteri septa illaesa et irrupta transiisse.

5° Controversiae quoque fuerunt inter catholicos, non quidem de facto virginitatis in partu, sed de modo concipiendi Christi nativitatem ex Maria : non solum primis temporibus, sed et tempore scholasticorum.

Ita saec. IX, cum dicerent Christum ex Virgine processisse, non per virginalis ianuam vulvae, sed incerto tramite, sicut radius luminis transiens crystallum, non frangens, aut sicut radius procedit ex stella, stella integra permanente, id impugnavit Ratramnus, in libro de Nativitate Christi, utpote monstruosum, et sustinuit Christum lege aperti corporis editum et per ministerium vulvae *naturaliter* natum esse, quamvis simul explicite assereret B. Mariam mansisse virginem in partu. At contra eum, vel potius occasione dictorum eius, insurgit Paschasius Radbertus, in libro De Partu Virginis, merito advertens nativitatem Christi esse *praeter leges naturae*, et opinionem ortûs mere naturalis componi cum fide non posse verae virginitatis.

Item saec. XIII, Durandus, IV Sent., d. 44, q. 6, n. 11, rem explicabat, non quidem, sicut solet fieri, per corporum compenetrationem, sed per dilatationem membrorum et meatuum naturalium, virtute divina factam, sine interruptione vel aliqua fractione. Sed ista explicatio visa est potius phantastica, et partum fabulosum Christo adscribens ac proin derelicta.

130. Partus virginalis magnum est miraculum simul et mysterium. — Est *miraculum*, superans omnes vires creatas atque sola virtute divina productum; et quidem contra naturam. Etenim ordo et lex naturae est

quod duo corpora naturaliter se compenetrare seu esse simul in eodem loco non possunt ; unde, si fiat, id virtuti divinae est tribuendum, et quidem contra naturam agenti, quia in natura est dispositio contraria secundum quam corpora aliter se habere debuissent.

Imo est verum et proprie dictum *mysterium*, quia ad differentiam conceptûs virginalis, cuius possibilitatem intelligere valemus, partûs virginalis, secundum statum scientiae humanae, nec possibilitatem videre, nec modum intelligere valemus ; quin tamen absolutam eius impossibilitatem seu contradictionem demonstrare possimus. Res enim quae est physice seu naturaliter, non ideo est etiam metaphysice impossibilis. Ut, ait S. Thomas, suppl., q. 83, a. 3 : « Esse distinctum dependet a principiis essentialibus rei sicut a causis proximis, sed a Deo sicut a causa prima. Et quia causa prima potest conservare rem in esse cessantibus causis secundis, ideo virtute divina et ea sola, fieri potest... quod corpori remaneat esse distinctum ab alio corpore, quamvis eius materia non sit distincta in situ ab alterius corporis materia. Et sic miraculose fieri potest quod duo corpora (distincta) sint simul in eodem loco ».

Dixerunt plures Christum in nativitate assumpsisse dotem subtilitatis, quae competit corporibus gloriosis, et ita per ostia clausa transire potuisse. At, ut notat S. Thomas, III, q. 28, a. 2, ad 3 :

1° Christus non assumpsit corpus gloriosum, sed passibile et mortale sicut nostrum, cum omnibus naturalibus defectibus et poenalitatibus, imo cum naturali necessitate subiiciendi illis defectibus ; unde non habuit dotem subtilitatis, quae provenit ex redundantia gloriae animae ad corpus, qualis redundantia ante passionem non erat.

2° Subtilitas etiam corporis gloriosi, seu spiritalitas, ut ait Apostolus I Cor. XV, 44, non aufert naturales corporis proprietates ; naturale autem est corpori quod non possit in uno loco esse simul cum alio corpore ; ergo in hoc non consistit dos subtilitatis, sed in hoc quod corpus sit spiritui perfecte, quasi omnino, subiectum. Quod si corpus gloriosum etiam penetret alia corpora, aut per ea illaesa transeat, id non est explicandum quadam dote aut proprietate corporis, sed nonnisi divino miraculo.

« Necessitas distinctionis duorum corporum in situ, ait S.

Thomas, suppl. q. 83, a. 2, causatur a natura quantitatis dimensivae, cui per se convenit situs : cadit enim in definitione eius, quia quantitas dimensiva est quantitas habens situm... Subtilitas autem a corpore glorioso dimensionem non aufert... Et ideo corpus gloriosum non habebit ratione suae subtilitatis, quod possit esse simul cum alio corpore » in eodem loco.

Dimensio scil. natura sua determinatum locum et distinctum situm occupat. Determinatus situs est signum distinctivum huius vel illius corporis. Si enim accipiatur linea separata, necesse est, si sint duae lineae, esse distinctas in situ : alias linea addita lineae non efficeret maius ; et similiter est de superficiebus et aliis quantitatibus. Unde duo corpora seu duae materiae naturaliter sunt in duobus sitibus et locis. Nam definitio quantitatis dimensivae est quantitas habens situm. Ergo ubi plures sunt quantitates, plures sunt situs : sicut situs, ita et quantitates. Corpora autem distinguuntur secundum quantitatem dimensivam ; ergo ubi una est quantitas dimensiva, non est naturaliter nisi unum corpus, et non possunt remanere corpora distincta : non possunt duo esse distincta, et unum.

Ita secundum naturales causas et principia naturalia rerum. Sed esse distinctum a principiis naturalibus est ut a causa proxima, a Deo ut a causa prima. Et quia causa prima potest conservare rem in esse, cessantibus causis secundis, ita potest facere quod corpus remaneat in esse distinctum ab aliis corporibus, quamvis non sint distincta in situ.

QUAESTIO TERTIA.

MATER DEI EST POST PARTUM VIRGO PERPETUA.

131. Dogma fidei est matrem Dei post partum semper mansisse virginem, i. e. ab omnibus venereis abstinuisse, et speciatim nec in matrimonio carnale commercium admisisse, ideoque virginem esse perpetuam.

Quod, praeter illos qui negant virginitatem Mariae in conceptu, impugnarunt illi qui dixerunt eam cum Ioseph matrimonium carnaliter consummasse, et ex eo alios filios procreasse, fratres Domini. Ita :

1º Saec. IV, Helvidius, contra quem scripsit Hieronymus librum De perpetua virginitate B. Mariae ; post eum Bonosus Sardicensis, qui et discipulos habuit, contra quem Siricius papa tuitus est perpetuam virginitatem, atque Ambrosius.

2º Eodem saeculo, in Oriente, Eunomius et Arabes illi qui a S. Epiphanio, haer. 78, Antidicomarianitae vocantur, quos impugnat ipse, postea vero et Ioannes Damascenus.

3º Saec. XVI Protestantes posuerunt principium, virginitatem non esse matrimonio perfectiorem. Quapropter fere omnes negant virginitatem perpetuam Mariae, etiam si admittant eius virginitatem in conceptu et in partu ; nihilominus pauci sunt, etiam recentissimis temporibus, qui defendunt Mariam fuisse perpetuo virginem.

4º Item generatim Rationalistae.

Doctrina catholica virginitatis perpetuae matris Christi affirmatur :

1º *implicite* omnibus documentis supra allegatis, in quibus praedicatur *semper* virgo ; quod verum non esset, si post partum virgo non mansisset.

2º *explicite* virginitas post partum ex professo definitur a Siricio papa, ep. ad episc. Thess. (a. 392) ; a conc. Lateranensi sub Martino V, can. 3 ; a Leone III, prof. fidei Nicephori ; a Sixto IV, const. *Cum praeexcelsa ;* a Paulo IV, const. *Cum quorumdam.*

132. Testimonium Scripturae. — Scriptura *directe* et *explicite* de virginitate perpetua B. Mariae non loquitur ; attamen plura narrat quae illam veritatem *implicite* continent, aut *indirecte* sunt eius indicium :

1º Primum indicium desumitur ex verbis, quae refert Lucas, I, 34 : « virum non cognosco ». Haec non mere exprimunt factum, se hucusque virum non cognoscere, sed et propositum non cognoscendi virum, seu firmam virginitatis servandae voluntatem, quasi inviolabile statutum : virum nolo, imo nec possum cognoscere. Angelus autem, promittens Deum hanc virginitatem in maternitate servaturum, id propositum Mariae divinitus obfirmasse censendus est. Quare nequaquam poterat sanctissima et perfectissima Mater Dei propositum suum relinquere.

2° Praeterea exstant indicia varia, quae simul sumpta manifestant Iesum fuisse B. Mariae filium unicum. Ita narrat Lucas, II, 41, quod non solum Ioseph, sed et Maria, « ibant per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschae »; quod factum supponit Mariam liberorum iunioris aetatis cura non fuisse domi retentam.

Dein incolae Nazareth, teste Marco, VI, 3, exclamant : « Nonne hic est filius (cum articulo) Mariae, et frater (sine articulo) Iacobi ? »; quod ita tantum explicari valet : cognoscebatur Iesus esse filius unicus Mariae iam viduae, qui proin modo distinctivo designatur filius Mariae; unde et illi quorum dicitur frater, filii Mariae non vocantur.

Denique dicti fratres Iesu invident eius favorem popularem (Mc. VI, 4), circa missionis exercitium ipsi consilia praebent (Io. VII, 1 sq.), atque attentant eum quasi manu violenta domum reducere (Mc. III, 21 sq.). Qui modus agendi, attentis moribus antiqui Orientis, supponit fratres Iesu fuisse cognatos natu maiores. Cum ergo Iesus sit Mariae primogenitus, isti non sunt fratres eius uterini.

3° Ultimum indicium est quod Christus in cruce refertur Matri suae Ioannem tradidisse in filium : Ecce filius tuus (Io. XIX, 26). Quod factum supponit Iesum esse unum Mariae filium, quo moriente, alius extraneus tamquam filius adoptivus matri providere debeat.

133. Testimonium Traditionis. — Primis temporibus, perpetua virginitas Mariae, etiam post partum, generatim praedicabatur *implicite*, eo quod vocetur *ipsa virgo*, quasi per excellentiam, vel *semper virgo* dicatur, aut virginitas eius habeatur *inviolabilis*; nec inter christianos ante saec. IV nominati sunt qui virginitatem post partum expresse negarunt aut in dubium revocarunt. Speciatim :

1° Patres a) argumentantur ad eam stabiliendam in Scripturis : ita invocant verba Ezechiëlis XLII, 2 : *Porta clausa erit, non aperietur et vir non intrabit per eam*, v. g. Ambrosius, de inst. virg., 5-8, n. 57; Hieronymus, de perp. virg. B. M., 17; — item ex Lc. I, 34 : *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* v. g. Ambrosius, de inst. virg. 7, et in Luc. I; — item ex Io. XIX, 26 : *Ecce Filius tuus* : ita Origenes, in Ioan. I, 6; Hilarius, in Mt. I, 3; Chrysostomus, in Mt. hom. 5, n. 3; Ambrosius, de inst. virg. 7; in Lc. X; Epiphanius, haer. 78, n. 10; Athanasius, de virginitate;

b) atque respondent principalibus difficultatibus quae contra eam obiici possunt, v. g. fratres Domini non sunt filii Mariae, sed aut filii Ioseph ex priore matrimonio suscepti : ita Clemens Al.; Origenes, in Luc. hom. 7; in Mt. X, 17; in Ioan. II, 11; Hilarius l. c.; Chrysostomus, in Mt. hom. 5; aut sunt consobrini : ita Hegesippus, H. E. III, 11; — et Maria uxor vocatur aut coniux Ioseph, et Iesus Filius primogenitus, quin commixtio carnalis postea locum habuerit : ita Hilarius, l. c.; Didymus Al., de Trin. III, 4; Chrysostomus, in Mt. hom. 5; Ambrosius, de inst. virg., 5.

2° Ut typos perpetuae et perfectae virginitatis designant Iesum et Mariam, v. g. Origenes, in Mt. hom. 10 et Hieronymus, ep. 48 ad Pam.; imo hanc denominant *virginitatis magistram:* ita Ambrosius, de inst. virg., 6.

3° Contrariam positionem habent tamquam *insaniam*, ut Origenes, in Ioan. praef. 6; et Epiphanius, haer. 78; et titulum ἀειπάρθενος, i. e. *semper virgo*, habent quasi orthodoxae fidei tesseram.

4° Cum posteriore parte saec. IV plures traditionalem fidem impugnaverint, statim ut *blasphemi*, *irreligiosi* vel *sacrilegi*, et *haeretici* damnati sunt. « Plures irreligiosi et a spirituali doctrina admodum alieni, occasionem ex eo occupant turpiter de Maria opinandi... homines pravissimi » : ita Hilarius, in Mt. I, 3. « Fuerunt, ait Ambrosius, de inst. virg., 5, qui eam negarent virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium iamdudum silere maluimus ». Et Epiphanius, l. c. : « Quis ullo tempore umquam exstitit, qui S. Mariae nomen appellare auderet et non rogatus subinde Virginis vocabulum adiiceret?... Haec enim perpetuo incorrupta permansit... Quanam vero fronte incorruptam illam Virginem aggrediuntur, quae Dei Filii domicilium esse meruit, quae ex infinito Israëli-

tarum numero ad id unum est electa, ut vas quoddam et habitatio uni esset divino partui consecrata ».

5° Dein fuse virginitatem post partum defenderunt tamquam Ecclesiae fidem : ita Hieronymus, l. de perp. virg. B. M., 17 ; Augustinus, ep. 137 ad Vol., 8 ; ep. 162 ad Evod. 6 ; c. Iul. op. imp. IV, 122 ; Cyrillus Al., adv. nolentes confiteri S. Virg. Deip. ; Petrus Chrys., serm. 117 ; Leo M., serm. 22 ; Maximus Taur., hom. 5 ; Gennadius, liber eccl. dogm. 35 ; Sophronius, ep. syn. ad Serg. ; Ioannes Dam., de Fide Orth. IV, 44 ; hom. 2 in Dorm. B. V. M.

6° Unde B. Mariam extollunt, explicite praedicando eam virginem esse ante partum, in partu, et post partum. Ita Augustinus, de cat. rud. XXII, 40; serm. 186; Ephraem, or. ad S. D. M. ; Gregorius Thaum. (?) hom. in Nat. Chr[1]., 16 ; Zeno Ver., l. I, tr. 5, n. 3 ; l. II, tr. 8, n. 2. Qui modus loquendi et a conciliis consecratur.

Quare Ecclesia cantat : *Post partum Virgo immaculata permansisti, Dei Genitrix intercede pro nobis.*

134. Convenientia rationis traditur a S. Thoma, III, q. 28, a. 3 : « Absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere praesumpsit Matrem Christi post partum a Ioseph esse carnaliter cognitam, et alios filios genuisse. Hoc enim :

1° *derogat Christi perfectioni:* qui sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tamquam perfectus per omnia filius eius, ita decuit ut esset unigenitus matris tamquam perfectissimum germen eius.

2° hic error *iniuriam facit Spiritui sancto,* cuius sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat quod de cetero violaretur per commixtionem virilem.

3° *derogat dignitati et sanctitati Matris Dei,* quae ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum.

4° etiam *ipsi Ioseph esset ad maximam praesumptionem imputandum,* si eam quam revelante angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret.

Et ideo simpliciter est asserendum, quod Mater Dei, sicut virgo concepit, ita etiam et virgo post partum in sempiternum permansit ».

135. Virginitas Mariae est perfectissima, non solum corporis sed et mentis. — Haec est firmum propositum ab omnibus venereis abstinendi in perpetuum, quod laudabile est ex fine, in quantum fit ad vacandum rebus divinis, et ideo supremam perfectionem tantum acquirit ex voto quo firmatur[1]. Unde virginitatem corporis in ratione moralitatis, virtutis, et meriti complet et perficit.

Hinc B. Virginem *votum* emisisse castitatis perfectae generatim docent scriptores post Augustinum, qui primus fertur id *explicite* asseruisse, ad verba Mariae : « Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco ? », animadvertens, de s. virg., 4, « Quod profecto non diceret, nisi prius se virginem Deo vovisset » ; — licet Gregorius Nyssenus, or. in Nat. Chr[1]., et Ambrosius, de inst. virg., V, 35, iam antea forsan ita opinati sint. Omnes vero theologi cum S. Thoma in hoc conveniunt.

Probatur : 1° *Ex responso Mariae* ad angelum, Lc. I, 34 : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* Cuius sensus non est, quidquid dicant Rationalistae : virum *nondum cognosco, nec mox brevi cognoscam,* sed simpliciter : *non cognosco,* in responsione ad angelum qui maternitatem futuram, citra temporis determinationem, promiserat, i. e. virum non possum cognoscere ; quod sine inviolabili proposito seu voto verum non esset. Impedimentum scil. allegatum non est huiusmodi ut pendeat a sola Virginis voluntate[2].

2° *Ratione theologica* quam S. Thomas affert, III, q. 28, a. 4 : Virginitas et alia « perfectionis opera magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur. Virginitas autem in Matre Dei praecipue debuit pollere... Et ideo conveniens

1. S. Thomas, IV Sent., dist. 45, q. 5, a. 3 ; II-II, q. 151, a. 3, ad 4.
2. Id quoque concedunt nonnulli Rationalistae, inter quos Loisy, sed ipsi fatentur ista verba non esse historica.

fuit ut virginitas eius ex voto esset Deo consecrata ». Siquidem, « in B. Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit » : in IV, d. 30, q. 2, a. 1, sol. 1.

Et ita decebat triplici ratione, ait S. Bonaventura, in IV, d. 30, q. 2 : « 1ª est, ut esset Dei *decentissimum habitaculum*. Quia enim sapientia candor est lucis aeternae et speculum sine macula, quam nihil inquinatum incurrit (Sap. VII, 26), decebat ut ex Matre incorrupta in re et voluntate firma conciperetur ; perfecta autem incorruptio voluntatis in voto consistit virginitatis. — 2ª ratio est, ut esset mulieribus totius *virginitatis exemplum*. Sicut enim Deus Pater Christum viris proposuit in exemplum, sic et eius Matrem in exemplum proposuit mulieribus ; et quoniam hoc est maxime imitandum et laudandum, scilicet votum virginitatis, absque dubio in illa esse debuit. — 3ª ratio est, quia debebat in ea esse omnis *nobilitatis et sanctitatis privilegium*. Absit enim, quod aliqua alia virgo B. Mariam excellat, imo *Altissimus qui fundavit eam* (Ps. LXXXVI, 5), omnis dignitatis privilegio adornavit, ut, sicut ipse eam prae ceteris adamavit, sic omnibus esset sanctior et amabilior universis. Unde, circumscripta maternitate Dei, adhuc ipsa prae ceteris sanctis debet amari et laudari ; et ideo Spiritus sanctus, qui aliis inspiravit votum, ab ea non retinuit celatum ».

Imo plures tenent primam fuisse quae id votum emiserit ; at certo perfectius fecit. Ideo hanc virginitatem solent celebrare : in Liturgia Iacobi Maria dicitur *gloria virginum*, ab Ephraem *corona virginum*, ab Epiphanio *princeps virginitatis*, ab Ambrosio *virginum vexillafera virginitatisque magistra*, a Petro Chrysologo *regina totius castitatis*, a Bernardo *primice ia virginitatis*, ab Ecclesia *Virgo Virginum*.

Votum illud, secundum S. Thomam, fuit prius *conditionatum :*

« Verum, quia tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros, quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur, mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Ioseph, absolute virginitatem vovisse ; sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum vero accepto sponso secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit » (q. 28, a. 4), « et absolute vovit antequam ab angelo annuntiaretur » (ad 1).

E contra alii, ut S. Bonaventura, Scotus, Suarez, et praesertim recentiores, tenent votum Mariae fuisse *absolutum*, quia id putant perfectius. Votum conditionatum quidem ordinario est minus perfectum, quando scil. pendet a conditione extrinseca ; at in omni voto necessario et semper intrinseca inest conditio : nisi Deus aliter praecipiat aut ipsi magis placeat, et hanc conditionem exprimere et explicite apponere, non potest votum reddere imperfectius. Unde nihil prohibet quominus B. Virgo votum emiserit sub conditione honestissima, hac scil. « nisi Deus aliter ordinaret » : «nec istam conditionem apposuit ut dubitaret an vellet virgo permanere, sed an deberet », ut ait S. Thomas, in IV, d. 30, q. 2, a. 1, qc. 1 ; et a. 3, ad 6.

136. Animadversio. — De temporis momento quo B. Virgo votum emiserit nihil certi statui potest, et diversa est sententia.

1° Alii dicunt id factum fuisse *in primo instanti conceptionis*, cum iam ipsi esset usus rationis : supponunt scil. id inspiratum fuisse a Deo, ut sic ab initio perfecta esset sponsa Spiritus sancti. Sed haec est coniectura mere possibilis, in nulla positiva ratione fundata ; nisi forsan quis intendat Mariam implicite id voluisse, dum voluerit in omnibus placere Deo.

2° Alii dicunt votum emisisse *in tenella aetate*, quando triennis in templo praesentata est ; sed hoc etiam videtur mera coniectura [1].

---

1. De praesentatione in templo animadvertit BILLUART, *de mysteriis Christi*, diss. 1, a. 2 : « Circa saeculum octavum invaluit opinio apud Graecos, deinde apud Latinos quosdam, B. Virginem a parentibus Ioachim et Anna senibus et sterilibus miraculose in lucem editam esse, eam aetatis suae anno tertio ex voto parentum in templo fuisse praesentatam, ac tunc virginitatis voto se astrinxisse, traditam levitis et sacerdotibus ad educationem... Haec omnia sunt dubia et incerta ; quia sunt excerpta ex scriptis partim spuriis et apocryphis, partim recentioris aetatis... Quid ergo Ecclesia celebrat die 21ª Novembris, sub nomine Praesentationis B. Virginis ? R. Celebrat Ecclesia actum illum pientissimum et generosissimum quo B. Virgo se adhuc tenera aetate voto virginitatis adstrinxit, atque professione vitae perfectioris se Deo dicavit et consecravit ; quod factum esse in templo creditur. An autem haec oblatio facta fuerit a parentibus ex voto? an triennis oblata fuerit puella ? an in sacerdotum disciplinam tradita ?... nec dicit nec colit Ecclesia. Imo cum olim in oratione festi Praesentationis legeretur : *Deus qui sanctam tuam Genitricem tabernaculum sancti Spiritus post triennium in templo praesentari voluisti*, Sixtus V iussit hanc orationem emendatam sic legi, prout hodie legitur : *Deus qui B. Mariam*

3° Alii denique dicunt *iuniore sed competenti aetate* id esse factum, ex quo cogitare ceperit de usu corporis et de virginitate, eaque sufficienter intelligens : tunc scil. perfecte se consecravit Deo. Quod asserere sufficit atque videtur probabile.

137. Obiiciunt : Ipsum Evangelium innuit Mariam virginitatem amisisse post Christi nativitatem, et alios liberos peperisse.

I. Scribit Matthaeus : Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, *antequam convenirent* inventa est in utero habens de Spiritu sancto... Et *non cognoscebat* eam *donec* peperit filium suum *primogenitum* (I, 18, 25) ; qui modus loquendi indicat, post Christi nativitatem, carnale commercium intercessisse fecundum inter Mariam et Ioseph.

Resp. : a) *Primogenitus* (M. I, 25 ; Lc. II, 7 ; hebr. *bekor*) ex usu biblico dicitur absolute, absque respectu ad sequentem, quia non est nisi allusio ad legem mosaicam circa « omne primogenitum quod aperit vulvam » (Ex. XIII, 2 sq. ; Num. XVIII, 15), quae applicanda erat unigenito sicut primogenito. Hinc, ut ait Hieronymus, « primogenitus est non tantum post quem et alii, sed ante quem nullus » adv. Helv., 12 ; ad quae S. Thomas : « Primogenitus dicitur ille ante quem nullus, quamvis post ipsum non sit alius ; alias unigenitus ius primogeniturae non haberet nec debuisset offerri ex lege, quod falsum est » in IV, d. 30, q. 1, a. 3, ad 2 ; cfr. III, q. 28, a. 3, ad 4.

b) Particula *donec* ex usu biblico, quandoque supponit realisationem ulteriorem rei quae dicitur non facta ante determinatum momentum, ut Mt. XVII, 9, quandoque vero non supponit, ut Mt. XVI, 28 ; Gen. VIII, 7 ; II Reg. VI, 23 ; Ps. CIX, 1-2, nempe si determinatio momenti sola narrationi importat. Intentio autem Evangelii est docere Iesum de Virgine esse natum ex miraculosa operatione Spiritus sancti, et sic impletam esse Isaiae prophetiam, ut constat ex v. 18 et 22 ; ad quod importat

semper Virginem Spiritus sancti habitaculum hodierna die in templo praesentari voluisti ».

solum determinare quod ante partum Maria non cognita fuerit, non vero quid postea intercesserit[1].

c) Locutio : *antequam convenirent* (πρὶν ἢ συνελθεῖν, Mt. I, 18) significat : ante solemnem Mariae in domum Ioseph introductionem, seu antequam coniuges cohabitarent, ut ex contextu manifestum est. Dato, non concesso, quod convenire significaret congredi maritaliter, idem dicendum esset ac in responso praecedenti de formula : donec peperit.

Cui obiectioni respondit Hieronymus : « Quasi si quis dixerit : antequam in portu pranderem, ad Africam navigavi, non possit stare sententia, nisi ei in portu prandendum quandoque sit. Aut si velimus dicere : Paulus Apostolus antequam ad Hispanias pergeret, Romae in vincula coniectus est ; aut certe illud : Helvidius antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est ; statim aut Paulo post vincula ad Hispanias sit ineundum, aut Helvidio poenitentia agenda post mortem, cum Scriptura dicat : In inferno autem, quis confitebitur tibi ? An non potius sit intelligendum quod *ante* praepositio, licet saepe consequentiam indicet, tamen nonnumquam ea tantum, quae prius cogitabantur ostendat » adv. Helv., 4. Hinc ex hoc « quod dicitur : antequam convenirent, non sequitur quod postea convenerint, sed Scriptura, quid factum non sit, ostendit », l. I in Mt. I.

II. Evangelium pluries *fratres Domini* memorat, vel et sorores (Mc. III, 31 ; VI, 3 ; Mt. XII, 46 ; XIII, 55-56 ; Lc. VIII, 20 ; Io. II, 12 ; VII, 3 ; XIX, 25 ; I Cor. IX, 5 ; Act. I, 14. Ergo Maria genuit alios filios.

Resp. : Nullatenus intelligendi sunt fratres uterini, a Maria geniti et post Christum nati ; at sensu latiore fratres usu biblico vocantur proxime cognati, v. g. consobrini.

1. Respondent alii verba obiecta « non cognoscebat donec » interpolata esse ex intentione virginalem conceptum instantius inculcandi. Nam versio syr.-sinaitica, et antiquus textus africanus non habent illa, et ita exhibent textum simpliciem et clariorem, in quo monitum angeli et illius impletio perfecta sibi correspondent :

I, 20 : Noli timere accipere Mariam coniugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium et vocabis nomen eius Iesum.	I, 24 : Et accepit coniugem suam, et peperit (ipsi) filium et vocavit nomen eius Iesum.

Cfr. Lagrange, *Rev. Bibl.*, 1906.

Cfr. Gen. XII, 14; XIII, 8; XIV, 16; XXIX, 15; I Paral. XXIII, 21-22; Lev. X, 4. Quare numquam dicuntur filii Mariae, sed ita vocatur solus Iesus.

In lingua hebraica et aramaica non est speciale vocabulum ad designandos consobrinos, qui non possunt ita indicari nisi per circumlocutionem; quare communi vocabulo fratrum sensu latiore vocari solent. Exinde vox graeca translata : οἱ ἀδελφοὶ sumitur in eodem sensu apud LXX. Auctores autem N. T. hac voce aequivoca usi sunt, quia late vulgata erat in populum locutio *fratres Domini*, et isti optime cogniti erant a communitate primitiva, quae aramaico et graeco utebatur sermone; quare locutionem et litteraliter expresserunt et reddiderunt in lingua graeca.

Ad summum possunt fratres Domini haberi filii Ioseph ex priore matrimonio procreati, uti apocrypha intellexerunt : Protoevangelium Iacobi, et Evangelium Petri; et exinde plures Patres : Clemens Al., Origenes, Hilarius, Epiphanius, Cyrillus Al., Ambrosius.

Sed ista sententia dein visa est improbabilis ac impugnata fuit ab Hieronymo, adv. Helvidium scribente : « Tu dicis Mariam virginem non permanssise, ego plus vindico, etiam ipsum Ioseph, virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur »; unde ab eo tempore iam derelicta est, saltem in Ecclesia latina, et fratres Domini communiter intellexerunt eius consobrinos. Quod non solum historice asserendum[1], sed et ob rationem fidei : « Si Dominus, ita S. Thomas, ad Gal. I, l. 5, matrem virginem noluit nisi virgini (scil. Ioanni), commendare custodiendam, quomodo sustinuisset sponsum eius virginem non fuisse et non perstitisse? »

Qualis in concreto adsit cognatio, sive ex parte Ioseph, sive ex parte Mariae, vario modo explicatur[2].

138. B. Virgo, non obstante voto, poterat sponsum sibi assumere et verum matrimonium inire cum S. Ioseph. — Etenim obiectum immediatum contractus matrimonialis est vinculum coniungale indissolubile, et ius radicale proprii corporis sibi invicem a sponsis mutuo

1. Ita iuxta testimonium antiquum HEGESIPPI, qui refert traditionem Ecclesiae Hierosolymitanae; apud EUSEBIUM, H. E., II, 23; III, 11; IV, 22.

2. Cfr. LAGRANGE, *Évangile selon S. Marc;* DURAND, *L'Enfance de Jésus-Christ*, Paris, 1908; VAN CROMBRUGGHE, *De Fratribus Domini*, in *Coll. Gand.*, 1911; AL. JANSSENS, *De H. Maagd en Moeder Gods Maria*, II, *Theotocos*, 1928; VOSTÉ, *De Conceptione Virginali Iesu Christi*, Romae 1933.

tradendum. Aliud autem est usus matrimonii et illius iuris, cui usui quis renuntiare potest, dum tamen ipsum matrimonium subsistit. Hinc S. Thomas, III, q. 29, a. 2 :

« Duplex est rei perfectio : prima et secunda. Prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciem sortitur; secunda vero perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliqualiter suum finem attingit. Forma autem matrimonii consistit in quadam indivisibili coniunctione animorum, per quam unus coniugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. Finis autem matrimonii est proles generanda et educanda : ad quorum primum pervenitur per concubitum coniugalem; ad secundum per alia opera viri et uxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam.

Sic igitur dicendum est quod quantum ad primam perfectionem, omnino verum fuit matrimonium Virginis matris Dei et Ioseph, quia uterque consensit in copulam coniugalem, non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret... Quantum vero ad secundam perfectionem, quae est per actum matrimonii, si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum... Habuit tamen illud matrimonium etiam secundam perfectionem quantum ad prolis educationem ».

Neque dicas : Vovens castitatem non potest licite se exponere periculo votum frangendi, nec proinde inire matrimonium. Nam matrimonium B. Virginem inter et S. Ioseph initum fuit iuxta divinam ordinationem, uti diximus, n. 119, et ideo inspirante et dirigente Deo, atque eadem divina ordinatione factum est, ut S. Ioseph non secus ac eius sponsa virginitatem servare proposuerit, vel et voverit. « B. Virgo, ait S. Thomas, antequam contraheret cum Ioseph, fuit certificata divinitus, quod Ioseph in simili proposito erat, et ideo non se commisit periculo nubens » IV, d. 3, q. 2, a. 1, sol. 2, ad 2; a. 2, ad 1.

Matrimonium inter eos de facto initum fuisse, habemus *certum* ex Scripturarum testimonio.

Constat : 1° ex eo quod Ioseph dicatur *vir* (ἀνήρ) Mariae (Mt. I, 16, 19), et Maria *coniux* (γυνή) et *uxor* eius vocetur, etiam ab angelo (Mt. I, 20, 24; Lc. II, 5);

2° quod necessario supponitur in genealogia Christi, quae

Ioseph proclamat virum Mariae (Mt. I, 16), ut necessarium est, quia secus Christus nec legaliter esset filius Ioseph ;

3° et resultat ex eo quod Ioseph videns eam gravidam, et nolens eam tradere sed timens accipere et volens occulte dimittere eam, iuxta monitum angeli accepit suam coniugem ;

4° hinc Ioseph et Maria dicuntur *parentes* Iesu (Lc. II, 27, 41, 43) et Ioseph vocatur *pater* eius (Lc. II, 23, 48) : pater non solum putativus, aut nutritius, aut adoptivus, sed vere legalis, iure nuptialis dominii, utpote coniux matris Iesu, et hac ratione auctoritatem habens ;

5° unde angelus ad eum mittitur, ut ad caput familiae, mandata Dei communicans (Mt. II, 13-14, 19-21), et Ioseph imponit puero nomen Iesu (Mt. I, 21, 24, 25).

Quod si quidam Patres videantur negare, intelligendi sunt de matrimonio consummato, seu de nuptiis concubitu carnali perfectis ; quare nec Ioseph simpliciter dicendus est maritus, aut Maria ipsi coniugata in actu secundo.

Propositum, vel et votum, perfectae castitatis non irritat matrimonium, dummodo in pactum non deducatur, seu non apponatur, nec implicite, ut conditio sine qua non cui allegatur consensus ipsius contractus matrimonialis, ita ut hac conditione contractus excluderet debiti coniugalis redditionem[1]. At potest mere concomitanter se habere ad ipsum matrimonium contractum, vel et aliud pactum de eo fieri.

139. Corollaria. — 1° Matrimonium valide contrahi cum proposito aut voto virginalis castitatis, facilius intelligitur in sententia S. Thomae asserentis solum votum conditionatum, quam in sententia ponentium votum absolutum ; licet forsan nec sit impossibile in ista sententia.

2° Secundum ius et consuetudinem Iudaeorum, distinguebantur desponsatio et matrimonii celebratio : praecedebat desponsatio, quae erat vera promissio matrimonii de praesenti, seu consensus partium per verba de praesenti expressus, ita ut tolleret sponsae libertatem et haec ligaretur ; unde fere se habebat quasi apud nos matrimonium ratum non consummatum ; postea fiebat solemnis celebratio matrimonii, acceptio sponsae eiusque deductio in domum viri. Hinc ante matrimonium B. Virginis

1. « Illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum : talis enim conditio, cum sit contra matrimonii bonum, scil. prolem procreandam, matrimonium tolleret » S. THOMAS, in IV, d. 30, q. 2, a. 3.

fuit votum castitatis emissum saltem conditionatum, secuta est desponsatio cum B. Ioseph, dein mutuum propositum castitatis servandae vel et pactum, et iam certo, in Virgine saltem, votum absolutum, postea annuntiatio angeli et incarnatio Verbi, denique acceptio a B. Ioseph suae coniugis et in domum suam deductio.

3° Quamvis nulla interfuerit copula carnalis in unione B. Ioseph et Virginis immaculatae, nec proinde proles mutuo generata, nulla tamen deest perfectio matrimonii. Ut Augustinus ait, l. de nupt. et conc. I, 2 : « Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi : proles, fides et sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum ; fidem, quia nullum adulterium ; sacramentum, quia nullum divortium ; solus ibi nuptialis concubitus non fuit ». Nam, ut ait S. Thomas, IV, d. 30, q. 2, a. 2, ad 4 : « proles non dicitur bonum matrimonii solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum in matrimonio suscipitur et educatur ; et sic bonum illius matrimonii fuit proles illa, et non primo modo. Nec tamen de adulterio natus, nec filius adoptivus, qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonii : quia matrimonium non ordinatur ad educationem illorum, sicut hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter, quod proles illa susciperetur in eo et educaretur ».

CAPUT II.

DE PERFECTIONE CORPORIS POST HANC VITAM.

QUAESTIO UNICA.

DE GLORIOSA ASSUMPTIONE MATRIS DEI.

140. Nomine generali assumptionis designatur *totus transitus B. Virginis Mariae de vita terrestri in vitam coelestem.* Vox assumptionis quidem usurpatur quandoque ad significandum in sanctis transitum animae ad beatam vitam, communiter tamen reservatur ad significandam B. Virginis praerogativam, qua post mortem corpus suum in coelum est translatum. Vocatur quoque pausatio, depositio, dormitio, natalis, transitus B. Virginis ; at praevaluit nomen assumptionis quod magis idoneum ad prae-

dictam praerogativam significandam est inventum. In abstracto quidem a morte abstrahit et resurrectione, nihil dicens nisi translationem virginis gloriosae in sua integra natura ad coelum; quod etiam fieri posset quin antecessissent mors et resurrectio; — et non necessario connectitur cum incorruptione sepulchri, quae etiam aliter obtineri posset. At in concreto, ut a Patribus, Theologis et Liturgia sumitur, complectitur tria :

1° praeviam mortem;
2° praeservationem a corruptione per anticipatam resurrectionem et in coelum translationem;
3° una cum Filio exaltationem gloriosam in coelis.

De quibus, tribus in articulis sumus dicturi.

Articulus I.

DE MORTE MATRIS DEI.

141. Status quaestionis. — A. De ipsa *morte* B. Virginis, primis Ecclesiae saeculis, nullum habetur testimonium historicum, sed tantum inveniuntur paucae ad eius mortem allusiones ex ratione dogmatica : apud Origenem, asserentem Mariam virginitatem servasse usque ad mortem, apud Ambrosium, Hieronymum, Paulinum, Augustinum, ut En. in Ps. XXXIV.

Saec. autem IV, Epiphanius haesitans invenitur an Maria sit immortalis, an e contra mortua sit ac sepulta, cum Scripturae de hac re nihil dicant; quare quid sit verum se ignorare fatetur. Imo nonnulli affirmant, traditionem saec. V vel et IV extitisse in Ecclesia Hierosolymitana, iuxta quam immortalis fuerit, allegantes testimonia Timothaei, Hesychii, et Crysippi presbyterorum[1]; sed ista documenta, sicut alia similia, nullatenus sunt demonstrativa[2]. E contra S. Modestus Hierosolymitanus, initio saec. VII, positive asserit eam esse mortuam[3].

1. Ita JUGIE, in *Échos d'Orient*, oct. 1926.
2. Cfr. A. JANSSENS, *Maria's Hemelvaart*, Brussel, 1931; *La mort de la sainte Vierge*, in *D. Th. Pl.*, 1931.
3. *Encomion in B. V.*, 13.

Recentius, pauci quidam negarunt eius mortem : ita testatur Benedictus XIV, atque saec. XIX nominantur D. Arnaldi Genuensis[1], Viridia et Pennachi.

B. De ipsa *mortalitate*, olim erraverunt qui negaverint immaculatam conceptionem, dicentes Mariam, sicut peccatum originale, ita debitum mortis incurrisse in poenam peccati.

E contra, inventi sunt qui asserunt eam esse de iure immortalem, seu ex titulo gratiae, et in eius electione fuisse quod mortua fuerit vel non, aut saltem deprecatione sua potuisse obtinere exemptionem a morte; at voluntarie subiisse mortem in perfectam cum Filio conformitatem : ita v. g. inter recentiores L. Janssens et Lépicier, qui tamen rem diversimode concipiunt.

142. B. Virgo vere mortem subiit, non tamen ex debito et in poenam peccati, sed ex conditione et defectu suae naturae, atque in conformitate ad Dei legem et beneplacitum divinum. — Est *certum.*

A. *Probatur 1ª Pars:* Vere mortua est. Id indubium videtur :

1° *Ex traditione Patrum*, qui primis temporibus quandoque morti alludunt, postea expresse eam profitentur, uno Epiphanio dubitante, v. g. Augustinus, in Ps. XXXIV; Modestus Hier., Enc. in B. V., 13; Ioannes Dam., hom. 1 et 2 in Dorm. B. M. V.; Andreas Cret., Enc. de Dorm. S. Deip., 6; hom. 1 in Dorm.; Germanus Const., hom. 1 in Dorm.; Ioannes Thessal., or. in Dorm. Deip.; ps.-Augustinus, l. de Ass., 4; Michaël Glycas, Anal., p. III; Nicolaüs Cabasilas, serm. in Dorm. Deip.; etiam illi qui dubitarunt de assumptione, ut ps.-Hieronymus, ep. de Ass. 2, et Ado, in martyrologio.

2° *Ex liturgia*, tum ex vario titulo festi : vocatur enim *dormitio* (κοίμησις), *depositio*, *pausatio*, *transitus*, *translatio*, *mors vivifica*, etc.; tum ex ipsis orationibus.

1. *Super transitu B. Mariae Virginis Deiparae, expertis omni labe culpae originalis, dubia proposita*, 1879.

Ita v. g. in Sacramentario Gregoriano, super oblata : « Subveniat, Domine, plebi tuae Dei Genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in coelesti gloria apud te pro nobis intercedere sentiamus » ; quod etiam decantat Ecclesia in missa Assumptionis, sicut et profitetur : « Veneranda nobis, Domine, huius diei festivitas... in qua Sancta Dei Genitrix *mortem subiit temporalem* nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum ». Ita quoque in cantico Cathismo apud Graecos ; et in missali gothico; ac Ioannes Dam., canone in Dorm. B. V.

3° *Ex ratione theologica*, quia mors naturaliter sequitur ex conditione humanae naturae, atque post peccatum originale vitari non potuit, nisi per miraculum Dei ; quod affirmandum non est nisi adsint argumenta, quae in casu totaliter desunt. Quinimo rationes sunt maximae convenientiae, quare B. Virgo fuerit morti subiecta, ut Filio suo conformaretur, nec Matris potior quam Filii conditio videretur.

Sicut enim conveniens fuit Christo assumere humani corporis infirmitates, et defectus, atque ipsam mortem subire, ita et Mariae. Id autem fuit conveniens Christo propter tria, ut ait S. Thomas, III, q. 14, a. 1, et q. 50, a. 1 : a) ut satisfaceret pro peccatis nostris, assumendo poenas nobis debitas ; b) ut confirmaret veritatem humanae naturae, ostendendo se assumpsisse nostram carnem, veram, non phantasticam ; c) ut nos a timore mortis liberaret atque exemplum patientiae nobis exhiberet, passiones et defectus humanos fortiter tolerando. Ergo et conveniebat Mariam mori : a) ut consocia Christi in opere redemptionis, vere pateretur et mortem subiret in congruam satisfactionem pro hominum salute ; b) ut roboraret magis veritatem incarnationis, sua morte ostendendo carnem assumpsisse Christum a carne passibili et mortali matris, vera et nullatenus phantastica ; c) ut, ad consolationem nostram, nobis esset in exemplum heroicae patientiae atque sanctae et perfectae mortis, ac in morientium protectionem.

B. *Probatur altera pars:* a) *Non tamen ex debito et in poenam peccati*, quia in B. Virgine nullum fuit, nec originale. Hinc damnata est propositio 75 Baii. Quod si peccatum originale incurrisset, sed remissionem, seu gratiam obtinuisset, nec amplius haberet poenam, ut ait Augustinus, l. de pecc. mer. et rem., c. 33-36, et similiter Athanasius, de inc. 21, et Andreas Cret., in

Dorm. S. M., 1. Quare baptizatis mors non est amplius in peccati poenam.

Nihilominus dici potest ex demerito Adae peccantis Mariam morti fuisse obnoxiam, quia, ipso non peccante, homines morti non fuissent subiecti ; unde moriendo pro genere humano, poenam illam quae sine peccato Adae non fuisset, sicut Christus, ita et Maria, sed suo modo, solvere potuit. Quo sensu intelligenda sunt verba Augustini, En. in Ps. XXXIV, serm. 2 : « Maria ex Adam mortua est propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum, caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata ».

b) *Sed ex conditione et defectu suae naturae:* Natura humana enim naturaliter est mortalis et passiblis, ex principiis suae naturae, nimirum ex parte materiae, quia corpus eius est ex contrariis compositum, ac proinde est dissolubile ; quodsi homo quodammodo constitutus fuerit immortalis, quatenus poterat non mori, id erat ex dono gratuito et beneficio gratiae[1], ut scimus ex Conc. Milev., can. 1 ; Araus. II, can. 1-2 ; et Trid., sess. 5, can. 1 (cfr. quoque prop. 78 Baii damnatam). Quare Maria ex Adam post peccatum genita, naturaliter debuit habere ex conditione suae naturae atque defectu : mortalitatem.

Et quamvis ex singulari privilegio in gratia fuerit creata, non tamen in originali iustitia ; speciatim non restituta est ipsi immortalitas aut impassibilitas, sicut nec Christo, quia cum gratia non sunt necessario connexae, et ex alia parte sunt irreprehensibiles, et possunt convenienter ordinari ad finem redemptionis.

Quare audivimus liturgiam asserentem in secreta Missae Assumptionis : « Subveniat, Domine, plebi tuae Dei Genitricis oratio, quam, etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in coelesti gloria pro nobis intercedere sentiamus ». Idem testantur Patres : Andreas Cret., hom. in Dorm. Deip. ; Ioannes Dam., hom. de dorm. Virg. ; Ioannes Thessal., or. in dorm. D. n. Deip.

c) *Et in conformitate ad Dei legem et beneplacitum divinum.* Quia scil. Christus voluntarie debebat se subiicere legi

1. S. Thomas, I, q. 97, a. 1 ; a. 2, ad 4 ; II-II, q. 164, a. 1, ad 1.

Dei mortem statuenti, atque passione sua et morte genus humanum a peccato redimere, Maria quoque, in opere redemptionis consociata, sicut Christus debebat pati et mori, atque mandato mortis se subiicere. Quod fecit consentiendo in hoc quod esset mater Dei-Redemptoris, et eo ipso in totum opus salutis, dicendo : *Fiat mihi secundum verbum tuum* (Lc. I, 38)

Cfr. inter alios Ioannes Dam., hom. 1 et 2 in dorm. S. M.

143. Corollaria. — Ex praedictis facile intelligitur :

1° Mariam libere se submisisse morti, non tamen ab eius electione dependens fuisse, seu a libero consensu, quod naturam cum passibilitate et mortalitate habuerit, dum potuisset etiam eligere impassibilem et immortalem : natura enim in Adam amisit dona immortalitatis et impassibilitatis, qualem naturam Christus assumpsit a Maria, ut patiendo et moriendo mereretur sibi impassibilitatem et immortalitatem gloriae coelestis. Similiter, Maria in conformitate ad Filium, cum passione et morte sua mereri debebat corpus gloriosum, immortale et impassibile.

Quodsi ipse Christus dicatur voluntarie assumpsisse carnem passibilem et mortalem, id intelligendum est de voluntate sua divina, non vero de humana : naturam enim humanam accepit physicae necessitati subiectam passionis et mortis[1], cum infirmitatibus nostris (Hebr. II, 17 ; IV, 15) in similitudinem carnis peccati (Rom. VIII, 3), quae natura ratione prior est intellectu et voluntate. Et licet humana voluntas libere acceptaverit conditionem passibilem et mortalem suae naturae, et huic ordinationi divinae consenserit in primo instanti suae existentiae, ingrediens scil. mundum, ut ait S. Paulus (Hebr. X, 5) ; non tamen status passibilis et mortalis suae naturae ab hoc consensu pependit ut a dispositione et conditione.

2° Similiter Mariam non dicendam esse *de iure* immortalem, aut *titulo gratiae:* iste sane non existit, sed in Adam est toti posteritati deperditus. Gratia quidem restituta est personaliter B. Virgini, quantum ad sanctitatem, non vero quantum ad dotes corporis, quae meritis

1. S. Thomas, III, q. 13, a. 3, ad 2 ; q. 14, a. 2.

vitae terrestris erant obtinendae. Quare nullum est ius ad immortalitatem in vita terrestri possidendam.

Pauci auctores contrarium putant, sub praetextu quod Maria exempta est a peccato originali, ergo et a sequelis eius. Sed illud est purum sophisma. Inter gratiam enim atque impassibilitatem et immortalitatem non est connaturalis coniunctio, ita ut peccato non existente sed gratia, necessario debeant adesse impassibilitas et immortalitas. Ex voluntate divina quidem talis coniunctio existebat in statu originalis iustitiae, atque in statu gloriae; non autem in ordine redemptionis et reparationis, in quo immortalitas est obtinenda, sicut a Christo ita ab electis, per actus vitae passibilis et mortalis. B. Virgo autem non est creata in statu iustitiae originalis, sed pertinet ad ordinem redemptionis, et ideo submissa erat conditionibus huius ordinis, conditionibus scil. naturae passibilis et mortalis, cui meritis vitae praesentis et passibilis immortalitas erit obtinenda.

3° Item non est dicendum matrem Dei potuisse praetendere ad dotem immortalitatis. Nam matri Dei ut tali sane immortalitas nullatenus est debita, nec proinde est ius ad illam.

Quod si posset aliquo modo praetendere ad convenientia sui muneris, aut haec deprecatione sua obtinere, nullatenus tamen ad ea quae contraria sunt rationi divinae providentiae circa ordinem redemptionis.

4° Non tamen B. Virgo defectus *contraxit* impassibilitatis et immortalitatis. Nam ut ait S. Thomas, III, q. 14, a. 3 :

« In verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam, ut scil. illud dicatur contrahi quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis et horum defectuum in natura humana est peccatum... Et ideo illi *proprie* dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt... Christus autem hos defectus non habuit ex debito peccati : accepit enim naturam humanam absque peccato ». Et similiter dicendum est de B. Virgine. Nam « causa mortis et aliorum defectuum corporalium in humana natura est duplex : una quidem remota, quae accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, in quantum est ex contrariis compositum. Sed haec causa impediebatur per originalem iustitiam. Et ideo proxima causa mortis et aliorum defectuum est peccatum, per quod sublata est originalis iustitia. Et propter hoc,

quia Christus fuit sine peccato, dicitur non contraxisse huiusmodi defectus » ad 2. Et propter similem rationem est ita dicendum de B. Virgine.

Ergo defectus non contraxit, quia non habuit proximam eorum causam, scil. ex debito peccati aut in poenam, nam non subiit eos propter culpam; sed eos habuit ex sola causa remota : necessitate physica suae naturae. Unde non fuit in ea morale debitum mortis, sed physica mortis necessitas.

144. Modus et circumstantiae speciales mortis Matris Dei historice non constant. — Omnia siquidem quae de morte B. Mariae circumferuntur, desumenda sunt ex libris apocryphis, scil. ex libro de Transitu Virginis a quodam Leucio encratita conscripto, in quo sunt haereses de Trinitate et mundi constitutione, ex opere ps.-Melitonis de Transitu Mariae, saec. IV vel V, quod a Gelasio papa ut apocryphum fuit damnatum, quin tamen factum mortis aut assumptionis reprobaverit, ex Historia Eutymiana, ex libello dicto Ioannis Evangelistae de Dormitione Deiparae, aliisque, quorum narrationes sunt diversae, legendariae, atque contradictoriae ; quare nullam merentur historice fidem : de modo quo B. Virgo ab hac vita discessit, et de circumstantiis quibus id factum est, historice nihil scimus.

Certo non subiit martyrium, mortem violentam ; nec eius dolores in passione Christi fuerunt sufficientes ad martyrium, licet maiores et acutiores fuerint, quia ad martyrium non sufficit dolor interior, sed requiritur causa externa capax mortem inferre.

Ordinario dicunt Theologi Mariam non esse mortuam ex morbo, aegritudine, vel senio ; nam dicitur eam quidem habuisse defectus naturales communes nostrae naturae, non autem defectus contingentes ex causa particulari, ut ex vitio nativo, aut organica deformatione, culpa hominis, labe haereditaria, quae scil. quamdam indecentiam includunt et praeludium sunt corruptionis[1] ; et ex

1. Conformiter ad ea quae dicuntur de Christo. Cfr. S. THOMAS, III, q. 14, a. 4.

alia parte, secundum traditionem, non in extrema senectute e vivis discessit. Nec mortua est in dolore, quia dolores eius in passione Filii summum attigerunt ; sed mortua existimatur ex ardore divini amoris, et ex vehementi desiderio in intensa contemplatione. Quae omnia verisimiliter dicuntur secundum sententiam piam et probabilem, sed non positive demonstrantur.

Ita ps.-Hieronymus, in ep. de Ass. B. M. V. ; Guericus Abbas, sermo 2 de Ass. Mariae ; Albertus M., Mariale, q. 131-132 ; Dionysius Carthusianus, de Laud. glor. Virg. M., IV, a. 3 ; Thomas de Villanova, conc. 4 de Ass. Virg. ; Canisius, de M. V. inc. et D. Gen. sacros., l. V, c. 1 sq. ; Suarez, in III, disp. 21, sect. 1 ; Franciscus Salesius, tr. de l'Am. de D., l. VII, c. 14 ; S. Alphonsus, Gl. di M., serm. 1 de Ass., p. 11.

145. Animadversiones de loco et tempore mortis B. Virginis. — De loco mortis et sepulturae duplex est sententia. Quidam dicunt mortuam esse Ephesi, ut Tillemont, Serry, Natalis Alexander, et recentius Fonck. E contra alii plures, ut Andreas Cret., Ioannes Dam., Ioannes Thes., Nicephorus Callistus referens testimonium Iuvenalis ep. Hierosolymitani saec. V. ad Pulcheriam et Marcianum, quibus de Mariae corpore sollicitis respondisse fertur : B. Virginem Hierosolymis mortuam esse, sed sepulchrum eius corpore esse vacuum ; item Baronius, recentius Nirschl et Lagrange dicunt Hierosolymis esse sepultam : sive in Gethsemani, sive in Monte Sion, ubi basilica erecta traditur in loco domus in qua Maria mortua est. Sed res est incerta.

Quandonam e vivis discessit? Censent quidam, ut Cedrenus, Christophorus a Castro, Suarez, Canisius, eam attigisse annos 72 ; alii vero, ut Evodius, Nicephorus Callistus, S. Antoninus, Dionysius Carthusianus, Baronius, nonnisi annos 60-62, vel ad summum 63. Paucis annis post mortem Filii in terris remansit, ut esset, aiunt, *magistra apostolorum, doctrix exorientis Ecclesiae et consolatrix fidelium.*

Et quidem mortua est ante profectum S. Ioannis in Ephesum, prout testatur Menologium Graecum : « Magnus Apostolus et Evangelista Ioannes post Domini Ascensionem et Deiparae obitum venit Ephesum, Christum evangelizans... » Et rursus : « Timothaeus a Sancto Paulo, temporibus Neronis imperatoris, primus Ephesi episcopus ante Sanctum Ioannem Theologum ordinatus est. Theologus enim post Sanctae Deiparae dormitionem venit Ephesum[1] ».

1. Ad diem 16 Sept., et 22 Ian.

Articulus II.

DE ASSUMPTIONE MATRIS DEI IN COELUM.

146. Status quaestionis. — *Assumptio* (ἀνάληψις) de se abstrahit a morte et resurrectione, et nihil dicit nisi translationem (μετάστασις) in coelum, ubi corpus unitum est animae gloriosae. De facto tamen implicat mortem, et immunitatem corporis a corruptione sepulchri per anticipatam, brevi post mortem, resurrectionem, atque transitum in coelum[1].

Iamvero in hoc complexu aliquid potest esse obiectum scientiae historicae, aliud obiectum theologiae, vel et fidei. Obiectum historiae esse possunt facta sensibilia : mors, suscitatio corporis a morte, et in aërem sublevatio, quae de se natae sunt probari scientia historica ; obiectum autem theologiae, vel et fidei, sunt privilegia supernaturalia :

1. De hoc conferri possunt non solum opera dogmatica J. Scheeben, L. Janssens, Pesch, Terrien, Lépicier, Van Noort, Campana, Van Crombrugghe, Alastruey, sed etiam : VACCARI, *De corporea Deiparae Assumptione in coelum an dogmatico decreto definiri possit disquisitio historico-critico-theologica*, Romae, 1869 ; JANUCCI, *De psychomatica et pneumatosomatica Deiparentis Assumptione*, Taurini, 1884 ; PERELLA, *Quaestio utrum B. Virgo non solum in anima sed etiam in corpore evecta fuerit in coelum*, Neapoli, 1901 ; RENAUDIN, *La doctrine de l'assomption de la très Sainte Vierge, sa définibilité comme dogme de foi*, Paris, 1913 ; et *Assumptio B. Mariae Virginis Matris Dei disquisitio theologica*, Taurini, 1933 ; MERKELBACH, *Assumpta in coelum*, in *Rev. Eccl. de Liége*, 1914 ; MATIUSSI, *L'Assunzione corporea della Virgine Madre di Dio*, Milano, 1924 ; JUGIE, *La mort et l'assomption de la Sainte Vierge dans la tradition des cinq premiers siècles*, in *Échos d'Orient*, 1926-1927 ; JANNOTTA, *Thesis de Assumptione corporea B. V. Mariae Deiparentis in coelum. Doctrina S. Thomae*, Isola del Liri, 1924 ; ERNST, *Die leibliche Himmelfahrt Mariä historisch-dogmatisch nach ihrer Definierbarkeit beleuchtet*, Regensburg, 1921, et varii articuli, in *Theol. Prak. Qu.*, 1921, 1924, 1925, 1927 ; *Neues zur Kontroverse über die Definierbarkeit der leiblichen Himmelfahrt Mariä*, in *Bon. Zeitsch. für Theol. und Seelsorge*, 1927 et 1930 ; BARTMANN, *Maria in lichte des Glaubens und der Frömmigkeit*, Paderborn, 1925 ; MINGES, *Ueber die Definierbarkeit der Lehre von der leiblichen Himmelfahrt Mariä*, in *Th. Prak. Qu.*, 1925 ; GILLMANN, *Zum Problem der Definierbarkeit der leiblichen Himmelfahrt Mariä*, et *Archiv. für Kath. Kirchenrecht*, 1925 ; DENEFFE, varii articuli, in *Scholastik*, 1926, 1927, 1928 ; WIEDERKEHR, *Die leibliche Aufnahme der allerseligsten Jungfrau Maria in den Himmel*, Einsiedeln, 1927 ; MUELLER *Origo divino-apostolica doctrinae evectionis B. Virginis ad gloriam coelestem quoad corpus*, Innsbrück, 1930 ; A. JANSSENS, *Maria's Hemelvaart*, Brussel, 1931 ; FRIETHOFF, *De doctrina assumptionis corporalis B. Mariae rationibus theologibus illustrata*, in *Angelicum*, 1938.

permanens incorruptibilitas corporis, resurrectio ut gloriosa et receptio in coetu beatorum, consortium Mariae in plenissima Filii sui, etiam de morte, victoria. Quare si testimonia historica desint, vel si non sint sufficientia ad certitudinem historicam adstruendam dictae assumptionis, non sequitur nulla esse argumenta theologica, et nullam proinde certitudinem theologicam ad affirmandum, corpus Mariae post mortem denuo coniunctum animae et sic in coelum assumptum fuisse.

In hac quaestione :

1° Inter Reformatores, Luther de assumptione Mariae dubitat, imo festum assumptionis censet potius abrogandum ; Ioannes Rivius nullo modo affirmare vult Mariam una cum corpore assumptum, quia nihil de hac re est in Scripturis ; e contra, diserte assumptionem fatentur alii, ut Bullingerus et Brentius. Inter modernos autem, Protestantes liberales, rationalismo imbuti, eam impetunt, dicentes catholicorum persuasionem non habere fundamentum nisi apocryphorum legendas, aut saltem vim argumentorum, quibus theologi eam probare solent, negantes.

2° E Graecis Schismaticis, nemo negat corpoream assumptionem, imo Conc. Armenorum a. 1342 eam expresse profitetur ; atque item Synodus Hierosolymitana a. 1672 contra Calvinistas celebrata.

3° Catholici uno ore profitentur assumptionem corporalem B. Mariae in coelum ; at disputant de nota tribuenda huic doctrinae, utrum sit de fide, vel pie credenda, vel certa, aut sententia pia et religiosa a qua recedere esset temerarium.

Quidam rari decursu saeculorum dubitaverunt, postquam Gelasius papa damnavit ut apocryphum librum de Transitu Mariae, et S. Beda etiam, ut Lucae contradictorium : inde a saeculo VIII, ps.-Augustinus, serm. 208 (Ambrosius Autpertus) ; ps.-Hieronymus (prob. P. Radbertus) ; Ado in Martyrologio, Usuardus, Notker, Odilo Cluniacensis, Aelredus Riovallensis Ernaldus Bonaevallensis, Isaac de Stella ; sed longe plures professi sunt, et a saec. XIII omnes. Postea vero dubitavit Ioannes Morcelle (a. 1497) qui a Parisiensi archiepiscopo et Universitate fuit damnatus ; item saec. XVII quadantenus Tillemont,

et saec. XVIII Natalis Alexander, qui id retractavit, atque Marant, damnatus ab Universitate Lovaniensi. Hodiernis temporibus, quidam affirmant rem non posse demonstrari historice, ac proinde, licet esse piam sententiam non negent, tamen, hac de causa, asserunt non posse pertinere ad dogmata fidei, ut Baumstark [1] et Ernst [2].

147. Qua via B. Virginis assumptio probari possit? — Via alia est historica, ex testimoniis humanis, alia theologica, scil. ex Scripturis et Traditione, aut ex theologica ratione; rursus alia est directa, explicitis testimoniis allatis assurgentibus fere usque ad tempus quo factum locum habuit, alia solum indirecta, ex signis posterioribus id inferentibus. Quibus positis, factum assumptionis:

1º Non potest *directe* demonstrari *via historica*, quia nulla adsunt testimonia explicita, aut saltem non sunt sufficientia. Epiphanius enim, Ephraem, et Hieronymus [3], qui optime scire poterant, de morte et sepulchro B. Mariae, de modo quo translata est in coelum, nihil sciunt. Narrationes quae circumferuntur de transitu B. Virginis sunt desumptae ex apocryphis, quae non merentur fidem, ut declaravit Gelasius papa de libro Transitus Mariae, qui falso tribuebatur Melitoni.

2º Nec potest demonstrari *Scriptura* seu *testimonio divino:*

a) Non quidem ex prophetiis aut typis V. T., quia non probatur ipsa auctoritate Ecclesiae, aut unanimi Patrum consensu, sensu typico illa esse intelligenda, sed potius per accommodationem quandoque iis videntur uti ad exponendam suam doctrinam; ita ut non ex se demonstrent assumptionem, sed assumptio cognita in iis inveniatur.

b) Non ex Gen. III, 15; nam ibi annuntiatur victoria de daemone, sed quomodo perfecta sit et quousque se extendat, aliunde determinandum relinquitur. Quod si textus de B. M. Virgine probabiliter intelligendus sit non litterali sed mystico sensu, de ipsa non plus praedicare

1. *Oriens Christianus*, IV, 1904.
2. *Die leibliche Himmelfahrt Mariä historisch-dogmatisch nach ihrer Definierbarkeit beleuchtet*, Regensburg, 1921.
3. NIESSEN, *Die Mariologie des H. Hieronymus*, Münster, 1913.

potest quam de typo, Eva; Eva autem non fuit post mortem suscitata nec assumpta, sed solum in certa spe resurrectionis est mortua [1].

c) Nec ex Lc. I, 28: *Ave gratia plena... benedicta tu in mulieribus.* Ad quaenam privilegia gratiae aut benedictiones verba se extendant, aliunde est determinandum. Supposito ergo quod B. Maria sit assumpta, hoc dicendum est implicite in his verbis contineri; non autem ex solis verbis Scripturae potest deduci. Et ita Alexander III dicere potuit, ep. 22: « Maria concepit sine pudore, peperit sine dolore, et hinc migravit sine corruptione, iuxta verba angeli, imo Dei per angelum, ut plena, non semiplena, gratiae esse probaretur ».

3º Unde remanet quod *ex Traditione* probetur, sive auctoritate Patrum, sive Liturgia, sive sensu Ecclesiae, non quidem directe, sed *indirecte*; vel et *rationibus theologicis.*

148. B. Virgo post vitam terrestrem assumpta est in coelum, non tantum quoad animam, sed etiam quoad corpus. — Dicitur:

a) *post vitam terrestrem*, quae terminatur per mortem, ita ut B. Maria prius sit mortua: non quidem quod mors sit conditio assumptionis, quae etiam sine ea fieri potuit, sed quia, de facto, Maria mortua est, ut testatur liturgia, et necessarium fuit propter similitudinem cum Christo;

b) *assumpta*, non quidem ab angelis in coelum translata, ut imaginibus et picturis vulgaribus saepe repraesentatur, cum id necessarium non fuerit corpori glorioso B. Virginis, quod agilitatis dote ex virtute sua propria elevari poterat [2]; sed quia non connaturali virtute omni-

1. Ne dicatur, iuxta bullam *Ineffabilis Deus*, Patres in textu Geneseos, III, 15, expressas vidisse B. Virginis sempiternas contra serpentem inimicitias, ac de ipso *plenissimum triumphum*, dum ipsius caput immaculato pede contrivit. — Nam, praetermisso quod ita forsan intellexerint ex Traditione, quae sensum textus poterat extendere, triumphus ille intelligendus est iuxta subiectam materiam, scil. triumphus plenissimus *de peccato*, ita ut nulla omnino peccati labe B. Virgo fuerit infecta.
2. S. Thomas, suppl., q. 84, a. 1, ad 1: « Corpora gloriosa dicuntur ferri ab angelis, et etiam in nubibus, non quasi eis indigeant sed ad reverentiam designandam, quae corporibus gloriosis et ab angelis, et ab omnibus creaturis defertur ».

potentiae, sicut Christus, sed per omnipotentiam Dei, virtute ab Eo collata, ad coelum superelevari potuit[1];

c) *in coelum*, quia ipse Deus tum animam tum corpus rursus suscitatum ad se suscepit, et transtulit in coelum ac in beatorum sedem recepit.

Prima pars est omnino *certa*, quia ex definitione Benedicti XII et Conc. Flor. *de fide* est animas sanctorum omni labe purgatas statim post mortem in coelum recipi ; et ex altera parte certum est B. Virginem numquam ulla peccati labe fuisse maculatam ; unde et anima eius statim post mortem in coelum recepta fuit.

Altera pars est sententia *communis*, ita ut saltem *sine temeritate* negari nequeat, imo videtur iam *theologice certa*. — *Probatur :*

A. *Ex traditione :* 1° *E doctrina et consensu Patrum et theologorum*, saltem a saeculo V aut VI. Antea unus est Epiphanius qui, quamvis de morte Mariae dubitet, assumptionem implicite videtur agnoscere[2]. At dein diser-

1. Hinc iam solent dicere Christum in coelum *ascendisse*, Mariam fuisse *assumptam*. Haec distinctio tamen non est traditionalis, nam in ipsis Scripturis dicitur Christus fuisse *assumptus* (Mc. XVI, 19 ; Act., I, 2, 9, 11, 22). Spectata divinitate, Christus quidem ascendit ; sed humanitati non erat ex se virtus ascendendi, quam recepit a divinitate ; et ideo humanitas dicitur elevata fuisse et in coelum suscepta a divinitate. Ex alia parte, in liturgia romana legitur : Hodie Maria Virgo coelos *ascendit*, ant. ad Magn. in 2 Vesp.

2. WIEDERKEHR, *Die leibliche Aufnahme der allerseligsten Jungfrau Maria in den Himmel*, Einsiedeln, 1927, p. 16-26. — Testimonia anteriora quae afferuntur, sunt dubii valoris. Ita : 1° *Chronicon Eusebii* alludit assumptioni, sed id interpolatum fuit, cum verba desiderentur in antiquioribus codicibus. — 2° Duae sunt orationes quae sub nomine Hieronymi circumferuntur et Augustini, sed sunt multo recentioris aetatis. — 3° *Evangelium 12 Apostolorum*, saec. II, loquitur de Assumptione, sed id in supplemento, quod habetur ut posterius interpolatum. — 4° Liber *De Divinis nominibus* qui tribuitur *Dionysio* Areopagitae forsan loquitur de assumptione (III, 2), sed non est anterior fine saec. V, et textus est obscurus : agitur de prodigio post mortem Mariae, at non affirmatur istud prodigium esse resurrectionem ; ceterum, iuxta alios, nec est ibi quaestio de morte Mariae. — 5° Gregorius Nyss., de Virginitate, XIII, ait : « Sicut in Dei Genitrice Maria mors, quae ab Adam usque ad ipsam regnavit, cum etiam contra ipsam fieret quemadmodum in aliquo lapide in fructu virginitatis se illidens, in ipsa contrita est, ita etiam in omni anima quae per virginitatem hanc vitam in carne cohibet, atteretur et dissolvetur potentia mortis ». Forsan hic habetur allusio ad resurrectionem Mariae, at etiam aliter intelligi potest, scil. de regno mortis per concupiscentiam aut dolorem, quod regnum in Maria est destructum. — 6° BAUMSTARK, in *Röm. Quartalschrift*, 1897, probavit

tissime affirmant, nec solum factum sed et doctrinam : B. Virginem scil. non potuisse nexibus mortis deprimi, — non fuisse servituti mortis obnoxiam nec proinde corruptioni sepulchri, — una cum Christo plenam victoriam retulisse de daemone ac proin et de morte, — atque virginem perpetuo incorruptam nulli maledictioni esse subiectam, nec incinerationis.

a. *In Oriente* eam affirmant : Timothaeus Hier. (circa 535), or. in Simeon. ; Modestus Hier. († 634), Enc. in Dorm. Deip. ; Ioannes Thessal., or. in Dorm. Deip. ; Andreas Cret., or 1 et 2 in Dorm. S. Deip. ; Menologium Basilianum, in f. 15 Aug. ; Germanus Const., in Dorm. B. M. ; ps.-Athanasius, in Ann. Deip. ; Ioannes Dam., hom. 1 in dorm. B. M. V. ; Theodorus Studita, Laud. in Dorm. Deip. ; Iosephus Hymnographus, Mariale ; Leo VI Imperator, or. 14 in B. M. Ass. ; Ioannes Euch., sermo in dorm. Deip. ; Nicephorus Call., H. E. XVII ; Nicolaus Cabasilas, serm. in dorm. Deip. ; Michaël Glycas, ann. III.

b. *In Occidente :* Gregorius Turonensis († 593) de Glor. Mart. I, 4 ; ps.-Augustinus, l. de Ass. B. M. ; Hincmarus Rhem., carmen in Deip. ; Atto Vercel., serm. 17 de Ass. ; Fulbertus Carnot., serm. 5 de Nat. M. V. ; Petrus Damianus (?), serm. 40 de Ass. ; Hildebertus Cenom., in fest. Ass. serm. 1 ; Abaelardus, serm. 26 in Ass. B. M. ; Alanus ab Ins. ; Hugo Victorinus, de Ass. et 10 praecon. M. V. ; Bernardus, ep. 174 ad can. Lugd. ; serm. 1 in Ass. M. ; Amedeus Lausanensis, hom. 7 de B. M. obitu et ass. in coelum ; Richardus a S. V., in Cant. c. 42 ; Ioannes Beleth, Expl. div. Off ; Petrus Cellensis, serm. 7 de Ass. ; Philippus de Harveng, in Cant. V, 50 ; Petrus Blesensis, serm. 33 et 34 in Ass. ; Absalon de Sprinckirsbach, serm. 44 in Ass. ; S. Bonaventura, Brevil. VII, 5 ; S. Albertus M., Mariale, q. 131-

Ecclesiam Antiochenam versus finem saec. IV celebrasse festum quod dicebatur : Μνήμη τῆς ἁγίας Θεοτόκου Μαρίας, at non constat agi de festo assumptionis. — 7° Iuxta TILLEMONT, *Mémoires*, I, 477 sq., verisimile est duos sermones, respective a Cyrillo Alex. (a. 431) et a Proclo (a. 429) habitos, celebrare assumptionem ; at ista coniectura non sufficienter probatur.

Caesaraugustae tamen, asservatur sarcophagus qui dicitur S. Engratiae, pertinens ad initium saec. IV et representans Christum manu sublevantem Deiparam ; quod iudicio peritorum significat Mariae assumptionem in coelum. Ita tamen forsan indicari posset assumptio solius animae.

Igitur nullum adest testimonium evidens et decisivum ante saec. V. Eo tempore apocryphorum litteratura abundat. Opus syriacum a. 1865 a Dr. WRIGHT Londini editum : *Obsequiae B. Virginis*, assumptionem iam refert initio saec. V, ante Conc. Ephesinum.

132; S. Thomas, Exp. in sal. ang.; et III, q. 27, a. 1; q. 83, a. 5, ad 8; et dein communiter omnes.

2° *Ex Liturgia*, scilicet :

a. *Ex festo* quod nunc, et iam a multis saeculis celebratur in universa Ecclesia, et ab antiquitate ortum repetit.

A. *In Ecclesia orientali* autumant plures saec. V. celebrari, eo quod Nestoriani et Monophysitae illud recolant; at certo ab initiis saec. VI ut celebratum cognoscitur, scil. in Ecclesiis hierosolymitana et syriaca. Nam in Vita Theodori († 529) occurrit mentio de festo, frequenti populi concursu in honorem Mariae celebrato, quod dormitionem obiectum habuisse, dubitari vix potest; in Syria idem festum saec. VI celebratum fuisse colligitur ex hymno Jacobi Sarugensis [1].

Medio saec. VI celebrabatur 18 ianuarii, at Mauritus imperator (582-602), teste Nicephoro Callisto, H. E. XVII, 38, ordinavit ut extenderetur ad integrum Orientem, et dein celebraretur 15 augusti. Quod declarat Capelle ex documentis copticis : dormitio reponebatur in die 20-21 mensis Tobis, i. e. 18 Ianuarii; assumptio die 16 mensis Messore, qui a primo distat 206 diebus, unde mutatio inducta, nam 18 + 206 = 15 Augusti, si menses computentur 30 dierum [2].

Saec. VII Modestus id celebrat Hierosolymis; Ioannes id introducit Thessalonicae, et exinde transit ad Aegyptum et ad ceteras fere Orientis plagas, excepta Macedonia.

In Occidentali Ecclesia : in Gallia saec. V. celebratur 18 Ianuarii festum Mariae, ut testantur Caesarius Arelatensis, Missale Bobbianum et Missale Gothicum, quod idem videtur ac festum quod saec. IV celebrabatur Antiochiae sub titulo Memoria S. Dei Genitricis semperque Virginis; saec. VI, 18 Ianuarii etiam celebratur dormitio ut testatur Gregorius Turonensis [3] (a. 590), ac Martyrologium Hierosolymitanum in fine saec. VI. Romae vero celebrabatur die 15 augusti dormitio sub Theo-

1. Ita apud VAN CROMBRUGGHE, o. c., p. 171, qui citat TILLEMONT, *Mémoires*, I, p. 476; BAÜMKER, *Histoire du Bréviaire*, I, p. 267; ZINGERLE, *Zeitschrift der d. morgenland. Gesellschaft*, 1895, p. 44 sq.
2. *La fête de l'Assomption dans l'histoire liturgique*, in *E. Th. L.*, 1926.
3. Nam postquam in libro *De gloria Martyrum*, mortem, et resurrectionem Mariae retulit, ut dicebatur, coram Apostolis factam, ait c. 9 : « Maria vera gloriosa Genitrix Christi... angelicis choris canentibus, in paradisum, Domino praecedente translata est... Huius festivitas sacra mediante mense undecimo (scil. ianuario) celebratur... Adveniente autem hac festivitate ego ad celebrandas vigilias accessi ». Qui totus contextus iuxta logicum nexum idearum convenire nequit nisi B. Virginis corporali assumptioni, ut recte monet BELLAMY, in *D. Theol.* contra Morin et Duchesne.

doro I (c. 650); Sergius vero I (687-701) maiorem solemnitatem ipsi tribuit, quod saeculis sequentibus vocatur assumptio. Et hic titulus simul ac dies 15 augusti introducta fuerunt in Galliam s. VIII, ut videre est in Missali Gothico, in Missali Bobbiano, in Sacramentario Gregoriano. Saec. VII etiam celebratur Mediolani, item in Hispania, ut testatur Antiphonale Ecclesiae Legionensis et Vita S. Ildephonsi; saec. VIII, ut videtur, transiit in Angliam, et in Germaniam, ubi Synodo Salsburgensi a. 713 fuit probatum.

b. *Ex obiecto festi*, quod non solum est mors, nec assumptio animae, sed et corporis, uti patet ex orationibus liturgicis, ex homiliis Gregorii Turonensis, Andreae Cretensis, Ioannis Damasceni, Odilonis, et ex sacramentariis gelasiano et gregoriano; quod si celebrent dormitionem Mariae, in morte Matris Dei spectatur mysterium eius gloriae et exaltationis.

Et ita non solum liturgia romana, sed et graeca, syriaca, coptica, syro-maronitica, armena, atque antiqua liturgia gallica, liturgia mozarabica et gothica.

3° *Ex sensu Ecclesiae*, scil. ex *praedicatione universali* ac *sensu et cultu fidelium*. Singulis annis praedicatur et inculcatur a magisterio ordinario assumptio corporalis B. Virginis, occasione huius festi, atque in aliis orationibus et precibus id quoque rememoratur. Ex altera parte fideles universim huius rei sunt persuasi, id admittunt Ecclesiae fidendo, et id ut mysterium colunt. Quodsi iis diceretur Maria non esse corporaliter assumpta, vel id quoque proponeretur tamquam dubium, sane magnum provocaret scandalum inter fideles et pios, atque indignationem.

Quare in Conc. Vatic. 200 circiter Patres introduxerunt postulatum in quo « B. Mariam anima immaculata et corpore virgineo ad dexteram Dei Filium nostram praestantissimam mediatricem in coelis adstare... solemniter declarari et definiri postulatur ».

B. *Ex rationibus theologicis :*

1° *Eminens dignitas Matris Dei*, quae postulat ut a Filio glorificetur, maxime in corpore, in quo sigillum ma-

ternitatis magis est impressum quam in anima, ita ut et in statu gloriae appareat mater Dei dignissima. Quodsi caro Christi citra omnem corruptionem, brevi post mortem, resurrectionem et assumptionem gloriosam est consecuta, convenientissimum est ut idem dicatur de carne a quo caro Christi sumpta est, quaeque est una cum ista.

2° *Consociatio Mariae cum Iesu in redemptione*, qua in tota vita, in passione, et in morte Filii intime fuit coniuncta in maxima conformitate ut esset cum ipso causa salutis ; quare et in triplici victoria Filii consociari debet quam retulit de peccato, de concupiscentia, et de morte quoque per gloriosam resurrectionem et ascensionem.

3° *Amor et honor specialis Iesu matri debitus*, quae et dolorum passionis plene particeps esse voluit ; quare et ipsius gloriae esse debet plene particeps, ab omni inhonoratione corruptionis immunis.

4° *Eminens Mariae sanctitas*, qua *gratia plena*, immaculate est concepta et *ab omni peccato* originali et actuali *immunis*, quare ab omni corruptione et a mortis regno debuit praeservari, a cunctis sequelis scil. peccati dedecus inferentibus et humiliationem[1]. Anticipata quoque resurrectio et assumptio in coelis pertinet ad plenitudinem gratiae consummatae, quae principaliter est gloria animae, sed ad quam pertinet quoque gloria corporis quae ex anima redundat in carnem.

5° *Benedictio singularis* qua Maria proclamata fuit benedicta inter mulieres, scil. perpetuae benedictionis particeps et nulli maledictioni obnoxia ; ergo sicut a maledicto peccati et concupiscentiae per immaculatam conceptionem, a maledicto corruptionis in conceptione et partu per miraculosam virginitatem, ita et a maledicto corruptionis sepulchri et incinerationis debuit esse immunis per anticipatam corporis resurrectionem et gloriosam assumptionem[1].

1. Quidam dixerit solam corruptionem esse proprie poenam peccati, non ipsam mortem ; sed id contradicit Gen., II, 17 et Rom., V, 12 sq. ac VI, 23 ; atque Conc. Trid., sess. 5, can. 1. Ergo in praesenti ordine historico ipsa mors dicenda est poena peccati, et non solum permanentia in morte, aut vinculum mortis seu dominatio mortis. Nihilominus in regeneratis, nec ipsa mors nec ipsa corruptio est vera poena, cum poena inferatur propter culpam, quae in ipsis tota deleta est quoad reatum culpae et reatum poenae ; sed adest mera poenalitas, seu defectus ex conditione naturae humanae sibi relictae. Et ita dicendum de B. Virgine ; quare si sepulchri corruptioni fuisset subiecta, id non fuisset ipsi poena, licet videri poterit sequela peccati Adae, et quidem dedecus importans. Potestas mortis non dominatur in illum cui ius est ad resurrectionem gloriosam et immortalitatem futuram.

6° *Excellentia virginitatis* mentis et corporis : caro quae fuit fons vitae, et, hac de causa, in perfecta integritate prodigioso miraculo conservata fuit et sine dolore peperit, ac perpetuo incorrupta usque ad mortem remansit, non debebat subire corruptionem sepulchri : Deus enim permittere non poterat quod corruptio destrueret miraculum suae omnipotentiae.

Confirmatur : a) Finem initio correspondere est conveniens. Sicut erga Mater Dei, quae ad ordinem hypostaticum prope accedit et ad fines deitatis attingit, exordium habuit in singulari privilegio conceptionis immaculatae, ita finem in singulari privilegio habere debet gloriosae in coelum assumptionis.

b) Quodsi alii suscitati, probabiliter, et in corpore cum Christo coelum ingressi sunt, hoc privilegium nec matri Dei est denegandum.

c) Ceterum nullae conservantur B. Virginis corporales reliquiae, quod corporis assumptionis est probabile signum.

149. Valor allatae demonstrationis. — Assumptio corporalis *directe* et *methodo mere historica* probari nequit, quia hucusque reperta non fuerunt documenta vel testimonia explicita primaeva usque ad aetatem apostolicam assurgentia, quibus appareret doctrinam illam pertinere ad fidem Ecclesiae primitivae et ab Apostolis fuisse praedicatam.

1. Vel aliter, ut S. THOMAS, in *Exp. Sal. ang.* : « Tres maledictiones datae sunt hominibus propter peccatum. Prima data est mulieri : scil. quod cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret, et in dolore pareret. Sed ab hac immunis fuit B. Virgo, quia et sine corruptione concepit, et in solatio portavit, et in gaudio peperit Salvatorem. Secunda data est viro, scil. quod in sudore vultus vesceretur pane suo. Ab hac immunis fuit B. Virgo, quia, ut dicit Apostolus, virgines solutae sunt a cura huius mundi et soli Deo vacant. Tertia communis fuit viris et mulieribus, scil. ut in pulverem revertantur. Et ab hac immunis fuit B. Virgo quae cum corpore assumpta est in coelum : credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit et portata in coelum. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae* ».

Potest tamen probari *indirecte* ac *methodo theologica* :

A. Et quidem *ex Traditione* videtur deduci argumentum certum, si spectetur ut nunc est in Ecclesia praesenti :

1° Immunitas enim Mariae a corruptione sepulchri, iam a pluribus saeculis, explicite praedicatur communiter, sicut eius cooperatio ad redemptionem, qua plenam de diabolo victoriam retulit ; et licet non certo constiterit id ab omnibus praedicatum fuisse tamquam doctrinam Ecclesiae, ita tamen semper a pluribus, postea vero communiter de eo non fuit dubitatum.

2° Festum corporalis assumptionis quoque universim celebratur in tota Ecclesia, et licet de facto fuerit quodam tempore dubitatum ita ut ab aliquibus id haberetur quasi pia sed incerta sententia, postea tamen in textu officii et missae fuit indubie propositum ; cumque dein propositum fuerit ut id mutaretur, communi consilio id reiectum fuit ac significatio corporalis assumptionis festo conservata, ita ut dicendum sit, ait Benedictus XIV, De Can. Sanct., l. I, c. 42, n. 151, *Ecclesiam hanc amplexam esse sententiam.*

3° Sensus ipsius Ecclesiae maxime id inculcat, a pluribus saeculis, praedicatione universali atque fidelium adhaesione et cultu ; ita quod id tamquam sententia Ecclesiae iam appareat indubie, et de die in diem persuasio sit certior, ac fidelium convictio facta sit invincibilis et irrefragabilis. Non tantum itaque Ecclesia hanc doctrinam tolerat aut permittit, sicut quandoque permittit sacerdotum aut theologorum sententiam, sed ipsa practice eam inculcat absque haesitatione, praecipue in liturgia et cultu.

Quod maxime verum est si haec tria argumenta sumantur simul.

Iamvero, supposita assistentia sancti Spiritus, qui est Spiritus veritatis, consensio tam universalis et constans Ecclesiae per multa saecula est argumentum theologicum certum veritatis : non enim agitur de facto mere historico, sed de facto continente doctrinam, seu de re dogmatica spectante *res fidei et morum*, res scil. *ad aedificationem doctrinae pertinentium*, in quibus Ecclesia universa errare

non potest ; nempe de immunitate a corruptione, de victoria super mortem et cum Filio conformitate maiori, de gloria et statu matris Dei in praesenti, quae omnia respiciunt eius missionem, sicut et conditiones personales, aut relationes cum mysterio incarnationis et redemptionis [1].

B. *Ex rationibus theologicis*, si spectentur in quantum ex sola ratione sunt deductae, non potest haberi nisi argumentum convenientiae : ratio enim sola certo demonstrare non valet factum supernaturale. At etiam considerari possunt, in quantum in Ecclesiae traditione proponuntur. Si autem ita considerentur, argumentum 2m et 5m ostendunt assumptionem pertinere ad doctrinam revelatam, et faciunt certitudinem fidei : revelata enim doctrina est cooperatio Matris Dei in redemptione cum pleno de serpente triumpho, ac immunitas eius a quacumque maledictione. Similiter argumentum 4m et 6m, de eminenti sanctitate et a peccato immunitate, ac de miraculosa virginitate perpetuo servata, si spectentur ut in traditione Ecclesiae habentur, ostendere possunt assumptionem aliquomodo pertinere ad doctrinam Ecclesiae et hac ratione esse saltem theologice certam.

Cetera autem argumenta, etiam primum quod deducitur immediate ex dogmate fundamentali divinae maternitatis, non videntur esse nisi convenientiae, licet in casu etiam maximae.

---

1. Obiiciunt : Ad hoc deberet ab Ecclesia esse proposita ut infallibiliter certa. — Resp. : Nullatenus ita debet proponi ; sed sufficit quod proponatur ut vera vel certa, et ut universaliter accepta sit in Ecclesia : eo ipso enim est infallibiliter certa, ut scimus ex generali promissione assistentiae Spiritus Sancti Ecclesiae facta. Ecclesia non solum infallibilis est quodam *sensu negativo*, quatenus non potest declarare non revelatum aut falsum, quod est vere revelatum aut verum ; sed etiam *sensu positivo*, quia id quod speculative proponit doctrina aut practice cultu tamquam revelatum, aut verum, aut fidei conforme, vere ita est. Non potest scil. excedere in docendis veritatibus ordinis religiosi ; quodsi generatim in theologia, praedicatione, aut cultu innueretur error, omnino deberet huic contradicere. Secus infallibilitas non multum esset utilitatis. Tunc enim ad cognoscendum Ecclesiam esse infallibilem in instituendo festo vel in tenenda doctrina ut certa, prius oporteret demonstrare agi de facto revelato aut de veritate cum revelatis connexa.

Si Ecclesia assumptionem definiret, in hoc iudicio infallibilis esset ; quare idem dicendum est, si practice eam inculcat sua liturgia. Ubi applicandum venit adagium : *Legem credendi lex statuit supplicandi.*

150. Obiiciunt : 1° Festum et doctrinam assumptionis originem habere ab apocryphis saec. IV, V vel VI, quae varias narrationes valde miras, et multis circumstantiis ornatas de assumptione ediderunt, vel et erroribus doctrinalibus mixtas.

Resp. : Quamvis circumstantiae diversae sint et contradictoriae ac plures fabulosae, nec proinde fidem mereantur, ipsa substantia tamen facti dicenda est vera. Impossible enim est opinionem cuiusdam auctoris saec. V aut VI plus minusve fide digni tam celeriter sparsam fuisse in toto Oriente et Occidente, ita ut ab Ecclesiis omnino dissitis acceptaretur, saltem constanter, et in regionibus diversissimis institutionem cuiusdam festi permanentis immediate provocaret. Talis scilicet consensus casu vel inconsideratione explicari nequit, sed persuasione universali quae respondet traditioni doctrinali, et publicae Ecclesiae doctrinae saltem implicitae.

Ceterum doctrina Patrum non necessario nec absolute apocryphis est ligata. Ita Gregorius Turonensis, licet plures circumstantias communes habeat cum apocryphis, proponit tamen assumptionem, quia invenit suam Ecclesiam celebrare festum, ut supra ostendimus n. 148, A, 2°, a. Modestus Hier. vero, Andreas Cret., Germanus Const. pro apocryphis non multam habent aestimationem, et particularitates fabulosas reiiciunt. Doctrinam nempe fundant in rationibus theologicis ; et id quoque verum est de Ioanne Dam., licet nihilominus fidem adhibuerit cuidam narrationi apocryphae, quae ex ipso desumpta fuit in Breviario Romano, 4ª die octavae Assumptionis. A fortiori, posteriores Patres atque Theologi non in apocryphis aut fabulosis narrationibus nituntur, sed in theologicis argumentis.

2° Assumptio est de se et ex natura sua factum historicum. Ecclesia autem infallibilis non est in factis historicis, nec in festis de ipsis celebratis.

Resp. : Ecclesia universa infallibilis est in festis colendis quae versantur, non quidem circa factum mere historicum, uti sunt Ioannes ante portam latinam, translatio domus Laureti, apparitio B. Virginis Lapurdi aut S. Michaelis Archangeli, inventio S. Crucis, sed circa veritatem tangentem fidei doctrinam, aut factum continens doctrinam religiosam, pertinens scil. ad res fidei aut ad aedificationem doctrinae fidei, quale est assumptio Virginis in coelum.

Sicut ergo Ecclesia non posset celebrare incarnationem, resurrectionem aut ascensionem Domini, si Christus non incarnatus fuisset, vel non resurrexisset aut in coelum ascendisset ; et sicut non posset celebrare divinam Virginis maternitatem aut conceptionem immaculatam, si mater Dei una et virgo, aut immaculata non esset, ita nec assumptionem animae et corporis, si corpus Mariae assumptum non fuisset.

3° De assumptione Virginis in Ecclesia per quatuor aut quinque saecula perstitit solemne silentium, quod suppleri nequit. Assumptio ergo, licet forsan possit esse obiectum cuiusdam piae sententiae, non tamen potest pertinere ad doctrinam Ecclesiae seu apostolicam.

Resp. : Argumentum supponit ab initio requiri doctrinae apostolicae praedicationem explicitam, dum tamen possit sufficere implicita. Dici proinde potest assumptionem praedicatam fuisse *implicite*, quia ab initio dicitur Maria perfectum triumphum tulisse de serpente, omnibus gratiis ac privilegiis dotata, Christo perfecte consociata in incorruptione et in gloria coelesti ; ergo et in incorruptione sepulchri et gloria corporis. Sed *explicita* praedicatio initio non fuit, sicut nec conceptionis immaculatae ; quia de rebus magni momenti ad substantiam redemptionis pertinentibus erat sermo, non de punctis secundariis, quae secundum oeconomiam Dei postea erant in dogmata evolvenda. Rationes quoque fuerunt silendi, ne occasio daretur Docetis impugnandi veritatem carnis Christi, Valentinianis affirmandi coeleste corpus et Gentilibus B. Virginem habendi tamquam deam atque exercendi idolatriam ; quae rationes post saec. V non amplius urgebant.

Ceterum doctrina assumptionis potuit manere in traditione mere orali ; quare nulla habetur affirmatio contraria. Etiam silentium documentorum primaevae Ecclesiae non est tam mirum, quia ante saec. V nec de morte B. Virginis aliquid positive dicunt, nec de eius gloria coelesti, vel quoad animam, multum loquuntur. Atque brevi post eius mortem fuit Ierusalem destructa, nec in loco omnino eodem reaedificata ; quare nec

mirum est si traditio de B. Virginis sepulchro periit ; sicut etiam ex more sepeliendi Iudaeorum in locis bene munitis aut absconditis, facile intelligitur potuisse corpus amoveri et in coelum transferri, quin discipuli id animadverterint. Quare saec. IV non videtur extitisse in Ierusalem traditio *historica* de fine B. Virginis.

4° Resurrectio gloriosa et ascensio in coelum uni Christo tribuuntur a Patribus, v. g. ab Athanasio, Ambrosio, Augustino ; ergo non competunt B. Virgini.

Resp. : Soli Christo tribuitur resurrectio perpetua, ut capiti cui resurrectio *primo* competebat et *de iure*, vel in oppositione ad corpus mysticum quod in Christo capite promissionem futurae resurrectionis accepit, sed nondum ipsam resurrectionem assecutum est. Nihil tamen prohibet quominus alicui concedatur resurrectio anticipata, tamquam privilegium, v. g. illis qui cum Christo resurrexerunt. Hoc quoque modo a Patribus uni Christo tribuitur immunitas a peccato originali, ut supra dictum est.

Ceterum contra haereticos non possunt valide adducere nisi facta universaliter nota, et palpabilia, quorum est conscientia universalis ; quale non erat resurrectio Virginis, utcumque eam admittebant. Sed etiam si tres Patres eam non admiserint, non demonstraretur ab Ecclesia universa fuisse ignoratam aut negatam, sed solum exinde constaret traditionem explicitam eo tempore nondum in quibusdam extitisse Ecclesiis.

151. Estne assumptio B. Virginis veritas solemniter definibilis ? — Theologi, decursu saeculorum, variam notam dederunt doctrinae de assumptione B. Virginis. S. Albertus M. ait esse pie credendam ; S. Canisius esse piam Ecclesiae credulitatem ; S. Antoninus, Suarez, Lugo, Serry, Baronius, Frassen, Billuart esse doctrinam communem et tutam, quam temerarium esset negare, ut agnovit etiam, postquam dubitaverit, Natalis Alexander confitens esse omnino amplectendam ; Benedictus XIV esse piam et religiosam sententiam ad quam Ecclesia devenit et a qua recedere non licet[1] ; Melchior

1. Notetur ex eo quod solum dicatur pia sententia, non posse concludi licitum esse ab ea recedere. Nam aliud est sententia pia solum probabilis, a quo recedere liceret, aliud sententia pia et credenda, seu quam omnes credunt, a quo recedere nullatenus licet. Similiter ex eo quod sententia vel opinio dicitur pia, nequit deduci non esse reve-

Cano sententiam oppositam dicit inter eas quas theologi temerarias censent et inter errorum gradus constituunt ; D. Soto ait non esse dubiam ; Ioannes Carthagena, Tannerus, Gotti, Van Noort, Noyon, Mannens, Renaudin, Van Crombrugghe dicunt esse certam et sine errore non posse negari ; Hugon dicit certissimam doctrinam ; Catharinus et Corduba dixerunt de fide, quibus contradixit Caietanus, hodie tamen id docent Lépicier et Wiederkehr, censentes eam proponi ab universali et ordinario magisterio. At non constat eam hucusque proponi tamquam revelatam, ac proinde nondum est catholica fide credenda.

Censemus autem nostris temporibus iam proponi, non solum ut communem doctrinam, sed etiam ut certam, uti constat ex argumentis supra allatis ; quapropter qui eam negaret, non solum notam temeritatis incurreret sed et erroris. Quare etiam definiri solemniter posset : Ecclesia tunc solum solemniter affirmaret quod iam inculcat universaliter magisterio ordinario.

At alia est quaestio, si definiri posset ut dogma fidei, et proponi ut veritas revelata ab omnibus credenda ?

Cui respondendum censemus cum multis : affirmative. Nam ea doctrina non solum est connexa cum veritatibus fidei, verum etiam formaliter continetur, licet implicite, in veritatibus revelatis qualiter in traditione praedicantur ; nempe in plena victoria quam Maria, sicut Christus, retulit de serpente, in omnimoda immunitate ab omni maledictione, et forsitan in plenitudine gratiarum qua B. Virgo fuit dotata. Unde nihil prohibet, quin Ecclesia sequentibus temporibus eam explicite proponat ut dogma fidei, sicut et fecit pro conceptione eiusdem B. Virginis immaculata, aequo modo nonnisi implicite revelata. Imo decursu saeculorum magis de hac fuit dubitatum quam de assumptione, at certior fuit communis de assumptione affirmatio. Quare plures hanc iam dicant proxime definibilem[1].

latam : talis modus loquendi apud auctores, si de se non affirmat, tamen non excludit revelationem.

1. Non videtur attendendum, quod aliquis dixerit, assumptionem esse formaliter revelatam, eo ipso quod deducitur ex duplici praemissa

Alii tamen aliter dicunt :

1° Quidam pauci dixerunt assumptionem non posse definiri, quia non fuit tempore Apostolorum praedicata explicite ; sed hi gratis supponunt ad dogma fidei requiri explicitam eo tempore propositionem, quod verum non est : sufficit enim implicita, uti constat exemplo plurium dogmatum, illorum saltem qui sunt potius ordinis secundarii.

2° Alii dicunt Apostolos vidisse Mariam e mortuis suscitatam et ad coelum translatam. At, gratis id asseritur. Etiam si Apostoli id vidissent, non sufficeret ad fidem fundandam. Potuerunt quidem rationabiliter praesumere, ad coelestem gloriam fuisse translatam ; at non certo. Gloria corporis et ingressus in beatitudinem Dei non sunt sensu perceptibilia nec testimonio historico determinabilia : posset enim suscitari ad tempus, et elevari sursum et transferri in locum ignotum, ut dicitur de Elia et Henoch ; sed tunc non esset definitiva resurrectio nec admissio in locum reservatum beatis.

3° Quare alii dicunt Deum Apostolis vel saltem uni ex eis, v. g. Ioanni, expresse revelasse Mariam esse, et secundum corpus, in coelum translatam et beatificatam ; qui tunc id aliis praedicaret explicite. Id sane est possibile, sed non demonstratur ; et in statu hodierno historiae primitivae est parum probabile, tum quia non adest primis saeculis traditio explicita, tum quia non est probabile Apostolos eam praedicasse explicite, propter opportunitatem ut dictum est.

4° Non sufficeret revelatio privata, v. g. tempore posteriori ; quia Ecclesia doctrinam publicam proponere nequit in revelationibus privatis fundatam.

152. Conclusio. — Assumptio B. Virginis itaque nequit certitudinaliter demonstrari :

1° Ex dignitate Matris Dei ; nisi sumatur prout est in concreto cum omnibus privilegiis adnexis, et qualis existit in mente fidelium ex traditione Ecclesiae.

2° Nec ex immaculata conceptione aut perfecta virginitate, quae assumptionem non implicant et sine ipsa esse possunt ; nisi considerentur quatenus in traditione

---

revelata. Id enim est contra naturam veri syllogismi. Nam eo ipso quod sit conclusio, non quidem mere declarativa illius quod in alia propositione formaliter implicite continetur, sed vere illativa veritatis connexae, seu per veram illationem ex aliis deducta, sequitur eam non formaliter in praemissis contineri sed virtualiter tantum. Ergo non est, hac ratione, formaliter revelata ; ac proinde quod etiam revelata sit, aliunde debet ostendi. Cfr. nostra *Summa Theologiae Moralis*, I, de Fide divina, n. 675 ; *Rev. Eccl. de Liége*, V, sept. 1909.

praedicantur ut titulus immunitatis ab omni corruptione etiam sepulchri, ac a servitute mortis, quae inconvenienter aut indecenter Mariae tribuerentur.

3° Nec ex plenitudine gratiarum, nisi iam constet plenitudinem hoc etiam privilegium includere.

4° Sed tantum ex victoria plena et completa, una cum Christo reportata de serpente diabolico, vel etiam ex immunitate ab omni maledictione : non quidem ac si ita necessario esset ex natura rei, quae aliter esse non posset, sed quatenus ista plena victoria et immunitas omnimoda hoc modo formaliter praedicantur de facto in Ecclesiae traditione.

153. Animadversiones. — 1° De *tempore* quo B. Virgo assumpta fuerit, nihil certi habetur.

Alii dicunt assumptam 40 diebus post resurrectionem, sicut Christus ; at non est par ratio, quia non debebat sicut Christus se manifestare publice ad probandam suam resurrectionem, in confirmationem fidei et suae missionis.

Alii dicunt ipso die obitus et sepulchri fuisse suscitatam et assumptam, quia simul ab Ecclesia celebrantur ; sed ista ratio nihil valet.

Alii dicunt communius esse suscitatam et assumptam tertio ab obitu die : ita Ioannes Dam., Nicephorus Callistus, Christophorus de Castro, Suarez, et alii.

Alii denique assumptam fuisse post 206 dies, secundum quamdam computationem ex apocryphis desumptam.

Magis probabile videtur brevi post mortem esse suscitatam et assumptam.

2° De *loco* ubi resurrexerit, aliqui dixerunt, conformiter ad quamdam narrationem apocrypham, corpus B. Virginis ab angelis fuisse in coelum evectum ibique surrexisse, sive animae iterum fuisse unitum. Sed ita in aliis narrationibus non dicitur, ac generatim fuit reprobatum. Quare dicendum est in sepulchro suscitatum et redivivum in coelum esse assumptum. A qua sententia non est recedendum.

3° De aliis *adiunctis*, ut praenuntiatione mortis ab angelo, occursu Domini, comitatu angelorum, Apostolorum adventu, aliisque miris, nihil certi scire possumus, sed plura ex pietate dici possunt. Haec tamen plerumque sunt ex apocryphis desumpta.

Articulus III.

DE EXALTATIONE MATRIS DEI IN COELIS.

154. Materia tractanda. — Quaeritur de statu praesenti B. Virginis in coelis, tam secundum animam quam secundum corpus, scil. :

1° de eius beatitudine, i. e. de intuitiva Dei qua gaudet visione, et de consequenti amore Dei beatifico deque fruitione beatitudinis completiva ; ac de quantitate huius beatitudinis, tum intensive, tum extensive spectata ;

2° de eius elevatione super angelos et beatos, de hierarchia et ordine ad quem pertinet in coelis, et de eius participatione in regno et dominio Christi ;

3° de accidentalibus quibusdam qualitatibus aut dotibus eius beatitudinis.

155. Essentialis gloria et beatitudo Matris Dei excedit beatitudinem et gloriam cunctis creaturis concessam, et quidem tum intensive, tum extensive. — Est *certum.*

Ratio est, quia beatitudo et gloria essentialis proportionatur gratiae et charitati. B. Dei Mater autem excedit omnes creaturas maiore sua plenitudine gratiae et charitatis. Ergo et eas excedit in ipsa beatitudine et gloria coelesti. Quare magis et perfectius Deum videt intuitive, et exinde maior necessario et perfectior sequitur amor atque fruitio delectabilior.

Excedit omnes : tum 1° *intensive,* quia lumen gloriae proportionatur gratiae et charitati ; quare eo clarius et intensius intuetur ac profundius penetrat atque scrutatur Deum, quo gratia eius et charitas excedant gratiam et charitatem angelorum et beatorum ; — tum 2° *extensive,* nam a) quo intensius Deum intuetur, etiam plura potest in eo ét cognoscere ét videre, possibilia atque existentia ; b) cum beati in Deo plura videant secundum quod plura ad eorum statum pertineant aut ipsi conveniant, multa plura cognoscit mater Dei et nostri, coadiutrix redemptionis et causa salutis, atque regina angelorum et beatorum, imo totius universi, quam alii omnes. Imo dici potest multa illorum quae Deus aeterna sua scientia visionis intuetur praeterita, praesentia aut futura, et a B. Virgine cognosci ; exceptis tamen illis quae singulariter ad Christum pertinent, uti sunt interiores eius animae cogitationes.

Sic igitur in beatitudine Mater Dei *certo* superat singulos ; imo *probabiliter* omnes *simul,* sicut supra dictum est.

156. Exaltata est Mater Dei in coelis super omnes angelos et beatos, atque ad coelestia regna elevata, a dextris Filii sui, immediate participans illius beatitudinem, et specialem ordinem et hierarchiam in coelis super omnes creaturas ipsa sola constituens. — Est pariter *certum.*

Dicitur : a) *a dextris* Filii sui, quia primum locum occupat post ipsum, immediate participans eius gloriam ;

b) ibi quandoque dicitur *sedens*[1], conformiter ad III Reg., II, 19, quia est in suprema requie et felicitate ;

c) iuxta alios convenientius dicitur *adstans* in throno[2], ut in Ps. XLIV, 10 : *Adstitit regina a dextris tuis...,* quia, ut ait S. Thomas, in III Sent., d. 22, q. 3, a. 3, qc. 3, ad 3 : « Quamvis B. Virgo sit super angelos exaltata, non est tamen exaltata usque ad aequalitatem Dei, vel unionem in persona : et ideo non dicitur *sedere* ad dexteram, sed *adstare* dextris, in quantum honor Filii aliquo modo participative, non plenarie, redundat in ipsam, in quantum dicitur mater Dei, sed non Deus » ;

d) *specialem ordinem et hierarchiam ipsa sola constituens :* sola etenim occupat gradum distinctum in hierarchia, utpote ad ordinem hypostaticae unionis pertingens, tamquam Dei mater, affinitatem specialem habens ad personas divinas, atque hac ratione ordinis superioris omnibus donis creatis, et connaturaliter omnium creaturarum regina.

1. Ita Leo XIII, in enc. *Iucunda semper.*
2. Ita Pius X, in enc. *Ad diem illum.*

Probatur : 1° *Ratione theologica*, nam :

a) Propter maiorem plenitudinem gratiae suae, dignitatem excellentiorem Matris Dei, atque exercitium perfectius virtutum, B. Virgo omnes angelos et beatos superat.

b) Consors fuit Christi in opere redemptionis ; convenienter ergo et debuit esse in triumpho victoriae atque in regno eius ac dominio.

2° Quare et in *Traditione Ecclesiae* id praedicatur :

a) *Patres* dicunt Matrem Dei omnibus sublimiorem.

b) In *Liturgia* canit Ecclesia, 15ª Augusti : *Elevata est super choros angelorum ad coelestia regna.*

c) In *orationibus* quoque invocat : *Ave regina coelorum... Regina coeli... Salve regina... misericordiae;* atque in Litaniis Lauretanis : *Regina angelorum..., omnium sanctorum.*

d) In *Bulla* quoque *Ineffabilis Deus* enuntiatur :

Deus « illam longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut... sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest... Cum vero ipsi Patres Ecclesiaeque scriptores animo menteque reputarent, Beatam Virginem ab angelo Gabriel... gratia plenam esse nuncupatam, docuerunt, hac singulari solemnique salutatione numquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustam, adeo ut numquam maledicto obnoxia et una cum Filio, perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audiri meruit : Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui ».

Quare Patres dicunt eam pro nobis intercedere apud Deum, tamquam *mediatricem*, ut Ioannes Dam., hom. 1 in dorm., Germanus Const., hom. 2 in dorm., et Bernardus saepius ; et vocant eam *reginam* et *dominam :* ita Modestus, Enc. in Dorm. ; Tarasius, hom. in S. Deip. praes. ; Ioannes Dam., hom. 2 et 3 in Dorm. ; de fide orth. IV, 14 ; Petrus Chrys., serm. 140 et 142 ; Anselmus, or. 1. Reginam, non tantum quia est super omnes elevata ; sed quia participat ipsum regimen Christi. Dominium quidem maiestatis et omnipotentiae Deus non potest communicare ; at dominium praesidentiae ac providentiae communicare potest. Unde Maria vocari solet *regina misericordiae :* benigna in modum matris. Merito itaque, ea ratione Maria proximior habetur Christo homini quam angelis et sanctis.

157. Animadversiones. — 1° Gaudium accidentale B. Virgini quoque advenit :

a) ex intuitu humanitatis gloriosae Filii sui Christi ;

b) ex exercitio regni et dominii, tamquam mediatrix atque mater misericordiae ;

c) ex gloria honoris et reverentiae a tota curia coelesti collatae.

2° Etiam B. Virgini solet attribui triplex aureola : martyrum scil., confessorum et virginum ; non quidem omnino proprie, sed eminenter.

Non proprie, nam mors non fuit illi violenter illata, nec ipsi competit docere publice, nec in ipsa fuit lucta interior adversus carnem. *Eminenter* tamen, quia in passione Filii vehementiores est passa dolores quam ipsi martyres ; fuit quoque magistra privata ipsorum Apostolorum ; atque virginitatem mentis et corporis servavit in summa perfectione.

3° Propter divinam suam maternitatem omnino singularem, singularibus quoque splendoribus in coelo celebratur, qui ipsi sunt reservati.

158. Corollarium. — Gloria corporis, cum ex anima derivata redundet, gloriae animae debet esse perfecte proportionata, ita ut, etiam secundum corpus, B. Virgini maior gloria competat prae cunctis beatis. Consequenter idem valet de corporis gloriosi dotibus, scil. de claritate, agilitate, spiritualitate seu subtilitate, ac impassibilitate ; quae in ipsa sunt eadem proportione maiores.

Exaltationem B. Virginis super omnes hierarchias creatas celebrat Albertus M., Mariale, q. 151 :

« Universalis Ecclesia cantat solemniter, quod ipsa est exaltata super choros angelorum... Omnes chori angelorum sunt de aliqua hierarchia ; sed ipsa exaltata est super choros angelorum ; ergo et super omnes hierarchias angelorum...

Item, plus distat Bᵐᵃ Virgo a Seraphim in dignitate et gloria, quam Seraphim super Cherubim ; sed propter excellentiam dignitatis ordinantur Seraphim super Cherubim uno ordine ; ergo Bᵐᵃ Virgo erit super Seraphim ad minus uno ordine ; ergo super hierarchiam angelorum.

Item, improportionabiliter differt magis domina a servo, quam servus a servo ; sed Seraphim sic se habet ad Cherubim ut servus ad servum, domina autem ad Seraphim ut regina sua et omnium angelorum ; ergo improportionabiliter plus est ipsa super Seraphim quam Seraphim super Cherubim. Ergo in

alio ordine super ipsum; sed Seraphim est supremus ordo angelorum; ergo ipsa est super omnes hierarchias angelorum.

Item, rex et regina ab eadem denominantur dignitate et regno et principatu...; ergo ab eodem regno dicitur rex coelorum et regina coelorum. Sed sua dignitas regalis est super omnes dignitates angelorum et principatus. Ergo dignitas reginae coelorum est super omnes choros et hierarchias angelorum.

Item, III Reg. II, 19 : *Positus est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius,* scil. regis; sed constat, quod thronus regis improportionabiliter est super omnes thronos angelorum; ergo thronus matris regis.

Item, ipsa habet regnum per Filium, et dicitur regina a regno Filii; sed illud est increatum et aeternum; ergo ipsa est regina a regno aeterno...

Item... auctoritates sanctorum. Augustinus (?) : « Sed de te o Virgo Maria, quid dicam pauper ingenio, cum quidquid dixero, minor laus est, quam dignitas tuae meretur? Si coelum appellem, tu altior es. Si matrem gentium dicam, praecedis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si dominam angelorum vocitem, super omnia te esse probaris ». Si igitur domina angelorum, ergo est super omnes angelos.

Item, Hieronymus (?) : « Haec est dies praeclara, in qua meruit exaltari super choros angelorum et pervenire ultra quam nostrae humanitatis est natura, ubi non substantia tollitur, sed gloriae magnitudo monstratur, ubi Christus pro nobis intravit Pontifex factus in aeternum ad coeli palatium ». Ergo exaltata est ultra quam humanae naturae sit licitum, scil. ubi Christus introivit; ergo super omnes hierarchias angelorum.

Item, Hieronymus : « Haec est, inquam, dies in qua usque ad throni celsitudinem intemerata virgo et mater processit, atque in regni solium sublimata, post Christum gloriosa resedit. Sic itaque illi sancta Ecclesia canit, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, ut ultra angelorum et archangelorum dignitatem merito transcenderit; quia etsi similitudo sanctis promittitur, veritas tamen negatur». Et infra: « Non temere super choros angelorum exaltata devotissime praedicatur; quia praecessit eam Dominus et salvator ad coelestia, ut praepararet ei in aetheriis mansionibus locum... Creditur enim, quod salvator omnium ipse... totus festivus ocurrit, et cum gaudio eam secum in throno gloriae collocavit ».

Ex his patet qualiter B^ma^ Virgo super ordines et hierarchias angelorum, in quartam et novam hierarchiam cum Filio specialiter est exaltata ».

III^a^ PARS.

DE B. VIRGINE IN ORDINE AD NOS.

159. Status quaestionis. — Postquam spectavimus B. Virginem, tum in ordine ad Deum, tum in seipsa, sive secundum animam sive secundum corpus, iam dicendum est de matre Dei in ordine ad nos.

Nam Christus incarnatus est ad nos reconciliandos Deo, delendo culpam nostram, a servitute diaboli et a poena nos liberando, gratiam nobis restituendo ac amicitiam cum Deo, atque ducendo nos in vitam aeternam. Quod quidem :

a) *perficere potuit,* tamquam *caput* totius humanitatis lapsae reparandae;

b) *perfecit* ut *mediator* Deum inter et homines primarius et unicus, triplici potestate ac munere : potestate sacrificandi et sanctificandi suo sacerdotio, potestate docendi suo magisterio, potestate regendi lege, iudicio ac gubernatione, suo imperio;

c) propter quod *constitutus* est *rex ac dominus universorum* totiusque creationis.

Iamvero B. Virgo facta est mater Dei-Redemptoris ad hunc eumdem finem consequendum; et ideo in omnibus debuit Christo redemptori consociari atque toti eius operi :

a) Christo *capiti* tamquam nostri *mater spiritualis* et adoptiva;

b) Christo *mediatori* tamquam *mediatrix* secundaria ipsi subordinata;

c) Christo universorum *regi* tamquam *regina* universi et *domina,* particeps potestatis regiae ac regiminis Christi.

Quae tria constituunt missionem Matris Dei ad nos et socialem eius functionem. Unde ipsi sunt tres relationes : *fidelibus universis* est mater, imo omnibus hominibus ; *viatoribus* speciatim est mediatrix ; *beatis* praesertim est regina et domina.

Hinc tres quaestiones :

1º Mater Dei est mater nostra adoptiva et spiritualis.

2º Mater Dei est mediatrix Deum inter et homines, ubi a) de mediatione Mariae in generali ; b) de eius munere adiutricis ad ipsum opus redemptionis ; c) de eius intercessione, ac munere advocati apud Deum, in applicatione fructuum redemptionis ; d) de exercitio mediationis ac efficacia ; e) de mediationis universalitate.

3º Mater Dei est universorum regina et domina.

QUAESTIO PRIMA.

MATER DEI EST MATER NOSTRA ADOPTIVA SPIRITUALIS.

160. Maria non est mater nostra secundum naturam et vitam naturalem, sed secundum adoptionem et vitam supernaturalem divinam.

A. *Non secundum naturam et vitam naturalem*, quamvis id aliquando videatur asseri, quia scil. Iesus, sumendo nostram naturam, factus est frater noster secundum humanitatem ; unde et Maria, mater eius, est et mater nostra ! Hoc tamen modo Iesus est frater noster sensu latiore cuiuscumque cognationis, non in Maria sed in Adam, a quo descendimus omnes : Christus et nos ; nec id sufficit ut dicamur aut simus filii Mariae, quae non dedit nobis vitam naturalem. Quodsi sufficeret, mater omnis hominis dici posset mater omnium, quia isti sunt fratres eius filiorum, cum quibus eamdem naturam habent humanam.

B. At, *secundum adoptionem et vitam supernaturalem divinae gratiae*, vere dicitur et est, licet analogice, mater nostra, quia voluntarie istam vitam nobis aliquo modo

communicavit, et hoc modo per quamdam analogiam dicitur nos ad illam genuisse. Quod multiplici quidem ratione Mariae tribuunt :

1º *Titulo cognationis spiritualis* nostrae cum Christo, ut esset « primogenitus in multis fratribus » (Rom. VIII, 29) : Christus nos adoptavit in fratres ad vitam divinam Patris, imo in membra sua, ita ut ipse esset caput nostri (Eph. IV, 15) et nos unum corpus mysticum cum illo (Rom. XII, 5) ; imo ad hoc venit in mundum (Io. III, 15-16 ; X, 10). Sed Maria, gerendo Christum, auctorem vitae supernaturalis, est vera causa quod Christus nos adoptavit ut fratres in vita divina. Consentiendo scil. in generationem Filii et in maternitatem respectu illius, consensit eo ipso in maternitatem spiritualem aliorum. Ergo et ipsa est, hac ratione, mater nostra adoptiva.

2º *Titulo cooperationis ad nostram redemptionem et salutem*, quo vitam supernaturalem nobis procurat ; quia consensum dedit ad hoc ut fieret mater Redemptoris, et ita nobis redemptorem praeberet, induxit quoque Filium suum ad nos redimendum, et in doloribus Filium ad passionem, simul ac propriam compassionem, obtulit in salutem nostri et vitam divinam.

3º *Titulo amoris et maternae sollicitudinis*, quo nos fovet et tuetur, quia, ut mater, nos amat et curam habet de vita supernaturali nobis procuranda et conservanda, ut in ea nascamur, crescamus et perseveremus.

4º *Titulo* denique *donationis*, quia Redemptor, Christus in cruce, nos ut filios ipsi dedit et ipsam nobis ut matrem (Io. XIX, 26-27).

161. Mater Dei-hominis recte dicitur mater nostra adoptiva spiritualis, quae nos genuit ad vitam divinam gratiae. — Est *certum* ex praedicatione universali Ecclesiae. *Probatur :*

A. *Ex ratione theologica*, quia mater Dei singulariter ad redemptionem et salutem nostram concurrit voluntate et opere, consensu scil. et facto ; porro redemptio in eo tendit ut lapsi regeneremur ad vitam divinam. Ergo

concurrendo ad hoc, est vera causa nostrae vitae divinae, et sic dicitur mater quae nos ad eam genuit.

1° *Concepit* nos, *consentiendo in hoc quod fieret mater Redemptoris.* Nam :

a) Christus non venit in mundum nisi ad vitam supernaturalem et divinam nobis communicandam, ut esset caput totius generis humani et primogenitus in multis fratribus. Sed Maria, consentiendo ut fieret mater Christi, eo ipso consentit in eo quod vita supernaturalis et divina nobis communicaretur ; imo voluntarie ad hunc finem, a Deo sibi propositum et intentum, consensum dedit ex amore generis humani lapsi et ex charitate erga nos. Ergo materno ex affectu voluit nobis communicare vitam supernaturalem gratiae divinae, et esse nostri et omnium mater spiritualis.

b) Incarnatione Verbum Dei connubium inivit cum humana natura lapsa ; cui loco omnium consensum dedit Maria (n. 22 et 33). Sed connubium illud est in regenerando et deificando naturam humanam ad vitam divinam. Ergo consentiendo in incarnationem Verbi, voluntarie et effective nos genuit ad vitam divinam.

c) Christus *essentialiter* est caput naturae humanae regeneratae ac generis humani reparati ; cuius hoc est corpus eius mysticum. Sed Maria voluntarie concepit et in sinu gestavit Christum caput generis humani reparati. Ergo et voluntarie concepit et in sinu gestavit totum eius corpus.

Genuit itaque Christum completum, non solum corpus reale sed et mysticum. Unde, sicut corpus mysticum est plenitudo et complementum corporis realis et physici, ita in Maria, maternitas spiritualis est prolongatio maternitatis divinae. Hinc applicare liceat verba Augustini, l. de virg., c. 6 : « Illa una femina non solum spiritu, verum etiam corpore, et mater est et virgo : et mater quidem spiritu, non capitis nostri qui est Salvator..., sed plane mater membrorum eius, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur qui illius membra sunt... »

2° *Peperit genus humanum reparatum, compassione sua* cum Christo, dum sub cruce passioni et morti consenserit

Filii sui, quo ille nos regeneraverit et nostram salutem promeruerit, atque ipsa proprios dolores hisce coniunxerit, ac passionem simul cum Filio suo obtulerit Patri, ex eodem affectu voluntatis ac Filius eius de mandato Patris, scil. ad salutem nostram.

Ita mater Dei-hominis, conceptionem humanitatis reparandae et restaurandae inceptam, in cruce implevit. Quare proprium Filium quidem sine dolore, nos, e contra, in doloribus peperisse dicitur. Hinc Albertus M., Mariale, q. 29, § III :

« Tempore passionis ubi mater misericordiae, Patri misericordiarum in operatione summae misericordiae affuit, et consors passionis, adiutrix facta est redemptionis, et mater regenerationis ; unde ibi propter fecunditatem spiritualem qua totius generis humani mater spiritualis effecta est, non sine parturitione doloris, omnes nos in vitam aeternam in Filio suo et per Filium vocavit et regeneravit ».

3° Non tantum compassione nos peperit, sed et *meruit fieri mater spiritualis in perpetuum.* Quare *materno affectu nos amat et curam maternam erga nos exercet,* nos fovet et tuetur. Impossibile est enim quod B. Virgo desinat amare eos quos initiali consensu et heroica compassione regeneravit in vitam divinam ; ita ut de felici exitu sui et Filii operis non esset sollicita, nec ullatenus curaret. Unde omnem maternam sollicitudinem et curam adhibet ut in vita divina enutriri, conservari, et crescere possimus, id petendo et obtinendo ab ipso suo Filio, tuendo nos contra daemoniacos incursus, et in nobis efformando virtutem Christi.

Quibus apparet perfecte esse atque se gerere matrem nostram.

B. *Ratione convenientiae,* quae multiplex est, et considerari potest, sive ex parte Dei, sive ex parte nostri, sive ex parte operis redemptionis.

a) *Ex parte Dei :*

1° *Pater* sociam habuit Mariam in generatione humana Filii in carne ; ergo conveniebat ut sociam eam haberet

et in generatione filiorum adoptionis ad vitam gratiae, quae est ipsius incarnationis finis.

2° *Filius* venit in mundum, ut essemus participes filiationis suae divinae per adoptionem; Filius autem veniens in mundum est filius Mariae; ergo conveniebat ut essemus per adoptionem filii Dei simul et filii Mariae.

3° *Spiritus sanctus* in et cum Maria formavit corpus Filii Dei, Verbi incarnati. Sed et filios adoptionis format et generat ad imaginem et in complementum generationis humanae Verbi incarnati. Ergo conveniebat ut eos etiam formaret cum Maria.

b) *Ex parte nostri*, quia conveniebat quod non solum, in ordine adoptionis et gratiae, haberemus patrem, Deum, et fratrem, Filium, verum etiam et matrem; ac proinde conveniens erat quod ipsa mater Filii incarnati esset et mater nostra.

c) *Ex parte operis redemptionis*, quod oportebat in omnibus respondere operi lapsûs et ruinae; ergo sicut in opere ruinae fuit unum principium totale peccati et mortis, scil. Adam caput generis humani et Eva, eius socia, mater cunctorum viventium : ita et in opere redemptionis conveniebat esse unum principium totale salutis et vitae, scil. novus Adam, Christus, una cum matre eius consocia, Maria, quae fieret mater viventium vita divinae gratiae.

C. *Ex traditione Ecclesiae*. Maria esse mater spiritualis hominum :

1° Praedicatur prius *implicite* sub figura novae Evae.

Ita apud Iustinum, dial. 100 : « Eva... inobedientiam et mortem peperit. Maria autem... Filium Dei... per quem Deus... poenitentiam agentes et in eum credentes, a morte liberat ».

Irenaeus, adv. haer. IV, 33, recolit regenerationem « quae est ex virgine, per fidem, generationem » n. 4, et dicit de pura vulva « quae regenerat homines in Deum[1] » n. 11.

Tertullianus, de carne Chr[1], 17 : « Haec est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo..., rationali per virginem dispositione Domino nascente ».

Ceterum Mariam esse causam vitae aut salutis, sicut Eva est

1. Cfr. P. Galtier, *La Vierge qui nous régénère*, in *Rech. Sc. Rel.*, 1914.

causa mortis, asserunt generatim, v. g. Cyrillus Hier., cat. XII, 15; Epiphanius, haer. 78, n. 18; Gregorius Thaum. (?), serm. in Nat. Chr., 23; Chrysostomus (?), hom. in Pasch., n. 2; in Ps. 44; Proclus, or. 1 in Laud. B. M.; Hieronymus, ep. 22, n. 21; Ambrosius, ep. 63, n. 33; Augustinus, de ag. chr. 22; Zeno Ver., serm. l. I, tr. II, n. 9, etc.

2° A saec. IV *explicite* dicitur *mater viventium*, ut habet Epiphanius, l. c., *mater vitae* et *salutis*, *mater omnium*.

Ita Ephraem eam invocat : *Ave omnium parens!* (serm. de S. Dei. Gen. Laud.); Augustinus dicit : *mater membrorum* Christi (de s. virg., 6); esse *matrem nostram* innuunt Ambrosius, de inst. virg. 14, et Hieronymus, ep. 39 ad Paulam, clare dicunt Ioannes Dam., or. 2 in Dorm. V. M., 10, et Germanus Const., serm. 1 de Dorm. Deip., 5; a Ps.-Athanasio, de Ann. Deip., 14 est *mater vitae* nuncupata, a Petro de Argos, hist. Manich., 29, *nostrum omnium mater*, a Severiano Gab., serm. 6 de op. mun., *mater salutis*, a Petro Chrys. *ministra salutis et mater viventium* (serm. 64), *mater nunc viventium per gratiam* (serm. 140), *mater per Christum* (serm. 99); a Gregorio II, ep. ad Germ. Const., *mater hominum;* ab Anselmo *mater nostra* (or. 52), *mater salutis, mater omnium qui credunt in Christum* (or. 47), *mater misericordiae* (or. 49), *mater rerum creatarum, mater restitutionis* (or. 51); ab Eadmero, de Exc. V. M., c. 11 : *mater et domina rerum;* a Bernardo, serm. de Aquaed., n. 4 sq., *mater nostra et mater salutis;* a Richardo a S. Laur. *mater vitae* et *mater gratiae, mater omnium viventium vita gratiae* (De Laud. B. V. M., l. VI, c. 1, n. 12); ab Alberto M., Mariale, q. 29, § III : *mater misericordiae, mater regenerationis, totius humani generis mater spiritualis*. Hinc Bonaventura, serm. 6 in Ass. B. M. V. : « unum genuit corporaliter, omne tamen genus humanum spiritualiter ».

a) Est autem mater, speciatim *per consensum in adventum Salvatoris*, et per generationem Christi, ut iam dicebatur antiquitus.

Ita inter alios Ephraem, op. syr. II, p. 324, 327; III, 607; Cyrillus Al., Encom. in S. M. Deip.; Sophronius, serm. 10 in B. V. Ann., 22; ps.-Epiphanius, hom. 5 in Laud. S. M. Deip.; Andreas Cret., hom. in Dorm. S. M.; Germanus Const., hom. in Dorm. Deip. 2; Anselmus, or. 52; Bernardus, serm. 6 de consensu; Richardus a S. Laur., De Laudibus B. M. V., l. VI, c. 1; Albertus M., Mariale, q. 145 et 146.

b) Et iterum mater est *compassione sua* cum Christo in cruce, ut posteriori tempore dictum fuit.

Cui quadantenus iam alludere videtur Ambrosius, in Luc. X, n. 132; de inst. virg. 7, n. 49; clarius Liturgia graeca (men. 17 Febr. oda 9; men. 26 Feb. post-oden 3, apud Wagnereck, Pietas mariana graeca); item Ioannes Dam., de Orth. fid. IV, 5, et Georgius Nic., cr. in S. M. ass. cr.; expressius autem docuerunt : Arnoldus Carn., L. de Laudibus B. M. V., et de Verbis Dom. in cruce, 3; Eadmerus, de Exc. M. V., c. 5; Rupertus, lect. 13 in Ioan.; Bernardus, serm. in Apoc. de 12 Praer.; Richardus a S. Laur., de Laud. B. M. V, l. IV, c. 14, n. 1; Albertus M., Mariale, q. 29, § III; q. 42, 5° et q. 43, § II; Bonaventura, I Sent., d. 48, a. 2, q. 2, dub. 4, proclamans : «Piissima anima B. Virginis dilectissimo Filio suo patienti, quantum sustinere poterat, compatiebatur. Nullo tamen modo dubitari potest, quin virilis eius animus, et ratio constantissima vellet etiam Unigenitum tradere Filium suum pro salute generis humani, ut mater per omnia conformis esset Patri. Et in hoc miro modo debet laudari et amari, quod placuit ei, ut Unigenitum suum pro salute humani generis offerretur. Et tantum etiam compassa est, ut, si fieri posset, omnia tormenta quam filius pertulit, ipsa libentius sustineret »; dein alii multi, atque ipsi Pontifices : Leo XIII, enc. *Quamquam pluries*, 15 Aug. 1889, et *Iucunda semper*, 8 Sept. 1894; Pius X, enc. *Ad diem illum*, 2 Feb. 1904; Benedictus XV, litt. ap. *Inter sodalicia*, 22 Mart. 1918; et Pius XI, litt. ap. *Explorata res*, 2 Feb. 1928.

D. *Ex Ecclesiae vita et liturgia*. Fideles omnes Mariam esse christianorum mater non solum non dubitant, sed firma persuasione asserunt atque invocant; quod ceteroquin iis universim et sine restrictione praedicari solet. Ecclesia vero canit : « *Vitam datam per Virginem, Gentes redemptae plaudite...*; *Salve regina, mater misericordiae...*; *Montra te esse matrem...*; *Salve mater misericordiae, mater Dei et mater veniae, mater spei et mater gratiae...*, etc., atque a Pio IX, enc. *Quanta cura*, 8 Dec. 1864, proclamatur : *Mater Dei et nostra*, imo *omnium nostrum amantissima mater*.

162. Quando et quomodo Maria facta sit mater nostra, diversimode fuit explicatum. Quod mirum non est, quia maternitas illa variis actionibus exercetur. Et quidem Maria :

1° *Essentialiter* facta est mater nostra eo momento quo consensum initialem dedit generationi Dei-Salvatoris,

nam ipse auctor vitae spiritualis et omnes gratiae vi praedicti consensus nobis advenerunt. Hoc itaque consensu initiali redemptionis, vere concepit et genuit nos spiritualiter, quod est titulus de se sufficiens ut dicatur mater nostra; unde etiamsi mortua fuisset ante Filium, vero tamen sensu esset mater nostra adoptiva.

2° *Perfectius* tamen et *complete* magis voluit nos generare et esse mater nostra. Sicut Christus uno actu nos redimere potuisset, nos tamen non redemit nisi omnibus vitae suae actibus ut in passione et morte consummatis, ita Maria non solo actu initialis consensus, sed exinde omnibus quibus cooperata est Filio, durante vita mortali, atque ipsi passioni eius et morti, quo redemptio fuit consummata : hoc igitur modo complete generavit et perfecte peperit totum genus hominum redemptorum.

3° Dein *exercere pergit* functionem matris, amore scilicet materno et tenera sollicitudine qua nobis invigilat et nostrae saluti : uniendo se Filio, vere cum illo intercedit pro nobis apud Patrem nobisque obtinet omnes gratias salutis et applicationem redemptionis.

Hinc consensus Mariae in incarnationem Salvatoris est *elementum constitutivum essentiale* sed *inchoativum* maternitatis spiritualis; cooperatio ad passionem Christi et mortem *elementum integrale sed completivum;* interventus continuus quo indesinenter consociatur Filio suo, nequaquam est constitutivum elementum, sed non est nisi *exercitium consequens* maternitatis. Denique etiam a Christo *solemniter* mater nostra est *proclamata* in cruce, dum videns matrem et discipulum stantem quem diligebat : « dicit Matri suae : Mulier, ecce Filius tuus; deinde dicit discipulo : Ecce mater tua » (Io. XIX, 26-27); quo actu quidem non fuit mater constituta, sed promulgata et simul authentice designata ut ministerium maternitatis erga filios exerceret in perpetuum. Unde hisce verbis proprios affectus materni amoris et pietatis, Christus interiore sua gratia efficaciter in ipsa firmavit.

Etiam si forsan non tam late se extendat huius loci sensus litteralis, saltem patet mysticus, quo in traditione Ecclesiae discipulus est symbolum omnium fidelium et Maria mater erga

omnes. Id congruit indoli IV[1] Evangelii, quod refert facta et verba Christi historica, et simul proponit ut symbola veritatis cuiusdam divinae. Cuius sunt in Evangelio plura indicia :

1° *Ex modo loquendi*, dum Maria designatur sub nomine mulieris per excellentiam, et Ioannes sub nomine generali discipuli.

2° *Ex parte materiae*, quia, ut ait Ambrosius, in Luc. X, n. 130 : « Testabatur de cruce Christus, et testamentum eius signabat Ioannes, dignus tanto testatore discipulus. Bonum testamentum, non pecuniae, sed vitae, quod non atramento scribitur sed Spiritu Dei vivi ». Iamvero indecens fuisset, ut universalis hominum salvator, in ultima sua voluntate, de solis Mariae et Ioannis privatis personis sollicitus fuisset in temporalibus, sed omnino debitum erat, ut in ipso actu consummandi suum sacrificium ad omnes in se credituros curam extenderet, illos matri suae commendando.

3° *Ex parte adiunctorum*, nam in publico Calvariae loco, coram multis testibus, commendatio illa facta fuit, quod satis innuit ibi non agi de singulari commendatione, sed de significatione universali, spectante omnes qui in Christum credituri sunt ; item momento quo Christus homines redimit et quo Maria redemptori assistit consocia, transfixionem patitur a Simeone praedictam, et munus religiosum implet offerendi Filium ex summo amore redemptionis et salutis ; cuius amoris solus Ioannes non esset adaequatum obiectum, sed totum est genus fidelium. Ceterum omnia verba a Christo prolata in cruce, non particularis tantum significationis et applicationis sunt, sed universalis[1].

Hanc interpretationem quadantenus suggerunt Origenes saec. III, praef. in Ioan. 1, 6 ; et Georgius Nic. saec. IX, or. 8 in S. Mariam cr. ass. ; saec. XII explicite eam omnibus discipulis seu fidelibus applicandam proponit Rupertus, lect. 13 in Ioan., et eam tradunt plures alii, ut auctor Tractatus de Conceptione B. M., et Gerhohus, de Gl. et hon. Fil. hom., c. 10, n. 1 sq. ; a tempore vero Alberti Magni, Mariale, q. 29, § III, et serm. de sanctis, 53, facta est communis ; dein ut *sensus perpetuus Ecclesiae* fuit a Pontificibus agnita : Benedicto XIV, bulla *Gloriosae Dominae*, 27 Sept. 1748 ; Pio VIII pariter et Gregorio XVI, bulla *Praesentissimum ;* Leone XIII, enc. *Octobri mense*, 22 Sept. 1891 ; *Adiutricem*, 5 Sept. 1895 ; *Augustissimae Virginis*, 12 Sept. 1897 ; atque a Pio X, enc. *Ad diem illum*, 2 Febr. 1904, qui eundem sensum etiam tribuit mulieri Apocalypseos, XII 1 sq. Idem repetunt de commendatione Christi in cruce : Benedictus XV, litt. ap. *Inter Sodalicia*, 22 Mart. 1918 ; et Pius XI, litt. *Explorata res*, 2 Febr. 1923 ;

1. Cfr. Luc. XXIII, 34, 43, 46 ; Io. XIX, 28.

enc. *Quamprimum*, 11 Dec. 1925 ; *Rerum Ecclesiae*, 21 Febr. 1926 ; ep. *Saeculum mox quintum decimum*, 25 Dec. 1903[1].

163. Corollaria. — Ex praedictis sequitur :

1° Mariam non solum esse nostram matrem adoptivam, externa quadam et iuridica adoptione, sed *veram matrem*, licet spiritualem, quia vere nos genuit, ita ut vera *causa* quodammodo sit intrinsecae nobis vitae supernaturalis et gratiae divinae.

2° Mariam esse matrem nostram spiritualem, non tantum *indirecte*, quia Christus ex ea natus est, aut *improprie*, quia maternam curam gerit et oratione pro nobis intercedit, sed *directe et proprie :* quia cooperata est nostrae generationi spirituali ac saluti, et quidem *cooperatione specifice materna*, cum intenderit nostram spiritualem generationem ; et quia *ex munere matris* intercedit, ita ut oratio eius sit fundata in cooperatione sua, et etiam vera sit cooperatio in applicatione mediorum salutis et executione redemptionis.

Licet ergo sit mater nostra, quia mater Dei, attamen non solum qua et in quantum est mater Dei.

3° Non solum Mariam esse matrem respectu omnium, *quantum ad totum genus humanum*, sed *etiam quantum ad singulos :* regeneravit quidem totum genus humanum suo consensu in redemptionem, et sua compassione in passione crucis, sed et generat singulos homines, dum intercedit pro iis et gratiam iis procurat quibus vita divina iis donatur.

4° Non tamen *aequaliter* esse matrem erga omnes et singulos. Nam non solum est mater fidelium ; et quidem, iuxta doctrinam Pontificum, etiam est mater in actu primo erga omnes homines, non autem in actu secundo. Infidelium scil. est solum mater *in potentia*, quia destinata ad eos actu generandos ad vitam divinae gratiae ; mere fidelium, at peccatorum, etiam *in actu*, sed *non perfecte*,

1. Videri potest Bittremieux, *Doctrina Mariana Leonis XIII*, Brugis, 1928 ; et *Ex doctrina mariana Pii XI*, in *Eph. Th. Lov.*, 1934.

quia fides non est vita spiritualis completa, sed solum initium; iustorum *actu et perfecte*, quia habent vitam spiritualem completam; denique *excellenter* est mater beatorum. Damnatorum vero non est amplius mater, sed ipsa fuit[1].

QUAESTIO SECUNDA.

MATER DEI VERE EST MEDIATRIX NOSTRA.

164. Quid sit mediatio? — *Mediator* (μεσίτης) est ille qui medium tenet inter duo extrema et utrumque coniungit : etenim, ait S. Thomas, III, q. 26 : « ad mediatoris officium *proprie* pertinet coniungere et unire eos inter quos est mediator, nam extrema uniuntur in medio » (a. 1). Quocirca « in mediatore duo possumus considerare » (a. 2) :

1° rationem medii, qua distat ab utroque extremorum, unde aliquo modo inferior est uni et simul superior alteri (*mediatio naturalis* et *in potentia*);

2° actum medii, seu munus et officium coniungendi, in quantum ea quae sunt unius, ad alterum defert (*mediatio moralis* et *in actu*).

Unus Christus, *simpliciter et perfecte*, est mediator Deum inter et homines, non ab hominibus constitutus, sed ab ipso Deo datus : « Unire scil. homines Deo *perfective* (et *principaliter*, ut dicitur ad 1) convenit Christo, per quem homines sunt reconciliati Deo, secundum illud II Cor. V, 19 : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* ». Unde Act. IV, 12 : *Non est in aliquo alio salus; nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* « Et ideo solus Christus est

1. Ita v. gr. Leo XIII non solum dicit matrem christianorum, sed etiam humani generis (enc. *Octobri mense*, 22 Sept. 1891; ep. *Amantissimae voluntatis*, 14 Apr. 1895; enc. *Adiutricem populi*, 25 Sept. 1895); Benedictus XV : universorum hominum mater (litt. ap. *Inter sodalicia*, 22 Mart. 1918); Pius XI : hominum mater (litt. ap. *Explorata res*, 2 Febr. 1923), quae homines universos habet commendatos (enc. *Rerum Ecclesiae*, 21 Febr. 1926).

perfectus Dei et hominum mediator, in quantum per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit » (a. 1).

Est autem Christus hoc modo mediator unicus inter Deum et homines, non in quantum Deus sed in quantum homo, secundum Apostolum, I Tim. II, 5, 6 : *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pro omnibus.* Non est mediator secundum divinitatem, qua erat aequalis cum Patre et Spiritu Sancto, sed secundum humanitatem : sic enim erat inferior Deo ratione ipsius naturae creatae, et simul supra homines, ratione dignitatis quam habebat ex unione hypostatica et ex plenitudine gratiae et veritatis (*mediatio naturalis* aut *in potentia*). Ergo, secundum quod est homo, aptus est et « convenit ei coniungere homines Deo, praecepta et dona Dei hominibus exhibendo, et pro hominibus Deo satisfaciendo et interpellando (*mediatio moralis in actu*). Et ideo verissime dicitur mediator, secundum quod homo » (a. 2).

« Nihil tamen prohibet, addit S. Doctor, aliquos alios *secundum quid* dici mediatores inter Deum et homines : prout scilicet *cooperantur* ad unionem hominum cum Deo *dispositive* vel *ministerialiter* » (a. 1) : dispositive, praestando aliquid praevium mediationi Christi; vel ministerialiter, nomine et virtute Christi applicando fructus redemptionis. Qui tamen mediatores sunt subordinati Christo, utpote ad eum ordinati, et ab eius mediatione dependentes, quorum interventus non habet valorem nisi dependenter a meritis Christi.

Ita « prophetae et sacerdotes Veteris Testamenti dicti sunt mediatores inter Deum et homines dispositive et ministerialiter » : prophetae « inquantum praenuntiabant », et sacerdotes, in quantum ministri quorum actus « praefigurabant verum et perfectum Dei et hominum mediatorem » (ad 1). Item « sacerdotes Novi Testamenti possunt dici mediatores Dei et hominum, in quantum ministri veri mediatoris, vice ipsius salutaria sacramenta hominibus exhibentes » (ad 1). Et angeli boni, quamvis « non recte possunt dici mediatores inter Deum et homines..., Dionysius tamen dicit eos esse medios, quia secundum gradum naturae sunt infra Deum et supra homines constituti, et mediatoris

officium exercent » (ad 2). Ita quoque sancti in coelis[1]. Proinde nihil prohibet quominus et hoc idem dicamus de B. Virgine[2].

1. III Sent. d. 19, a. 5, q. 2, ad 5 ; IV Sent. d. 15, q. 4, a. 5, qc. 1, ad 4 ; d. 38, q. 1, a. 1, qc. 1, ad 4 ; d. 45, q. 3, a. 2.

2. Non videtur speciatim attendendum, quod animadvertit P. Friethoff, *Utrum B. M. V. mediatrix sit in sensu proprio?* apud *Angelicum*, 1933 ; et *De Alma Socia Christi Mediatoris*, Romae, 1936, p. 9 et sq. : ad communem rationem mediatoris non requiri quod aliquis sit ontologice medius inter extrema et in utroque communicet, sed sufficere, iuxta S. Thomam, « quod distat ab utroque extremorum » ; licet ad particularem rationem mediationis in Christo illud requiratur, quatenus simul est Deus et homo. Nam, licet, rebus in abstracto consideratis, id forsan sustineri posset, tamen de facto, non solum in mediatione Christi, sed etiam in mediatione B. M. V., verum est quod sit media, communicans in utroque : est enim infra Deum, et simul supra homines ex dignitate Matris Dei et plenitudine gratiae. Cum Deo scil. participat quodammodo divinam dignitatem maternitate sua divina, atque plenitudine divinae gratiae, perfectam iustitiam et omnimodam impeccantiam ; cum natura vero humana nostra habet mortalitatem, passibilitatem ac infirmitatem.

Ceterum, in traditione Patrum, non solum de Christo sed et de B. Virgine mediatio praedicatur, eo etiam sensu quod sit media inter Deum et homines. Vide apud Augustinum, Conf. l. 10, c. 42, 43 ; Epiphanium, Ancoratus, 44 ; Chrysostomum, hom. 7 in ep. 1 Tim. 2 ; Ambrosium, comm. in ep. Tim. 1m ; Sophronium, or. 2 in S. Deip. Ann ; inter op. Petri Damiani, serm. 40 ; Irenaeum, adv. haer., III, 18, n. 7 ; Antipatrem Bostr., hom. in S. Ioan. B.

Atque de Patribus doctrina ista transivit ad scholasticos, nominatim ad commentatores libri Sententiarum, ut videre est apud Albertum M., III, d. 19, a. 10 ; Mariale, q. 24 ; Bonaventuram, III, d. 19, a. 2, q. 2 ; et Thomam Aquinatem, III, d. 19, a. 5, sol. 2. Iste sequentia habet : « In medio est duo considerare, scil. rationem quare dicitur medium et actum medii. Dicitur autem aliquid medium, ex hoc quod est inter extrema. Actus autem medii est extrema coniungere. Mediator igitur dicitur aliquis, a) ex hoc quod actum medii exercet in coniungendo disiunctos. Non potest autem actum medii exercere nisi aliquo modo natura medii in ipso inveniatur, ut scil. sit inter extrema. Esse autem inter extrema convenit quantum ad duo, scil., b) quantum ad hoc quod medium participat utrumque extremorum, et c) secundum ordinem, in quantum est sub primo et supra ultimum : et hoc exigitur ad rationem medii proprie dicti, quia medium dicitur secundum respectum ad primum et ultimum, quae ordinem dicunt. Christo autem secundum humanam naturam haec tria conveniunt : a) ipse enim secundum naturam humanam pro hominibus satisfaciens homines Deo coniunxit, b) ipse etiam ab utroque extremorum aliquid participat in quantum homo : a Deo beatitudinem, ab hominibus infirmitatem (alibi dicit : cum Deo iustitiam, mortalitatem cum hominibus et passibilitatem), c) ipse etiam, in quantum homo, supra homines fuit per plenitudinem gratiarum et unionem, et infra Deum, propter naturam assumptam. Et ideo, *proprie* loquendo ratione humanae naturae est mediator ».

Nec probatur illud retractasse in Summa, III, q. 26. Nam ibi manifeste alludit ad hanc doctrinam, v. g. a. 1, obiect. 2 et ad 2 ; ad 3. Cfr. etiam Q. D. de Ver. 29, a. 5, ad 5 ; et Comm. in ep. Pauli : ad Gal., III, 20, et ad Tim., II, lect. 1.

Vide Bittremieux, *De Mediatione universali B. Virginis*, Brugis, 1926.

165. Status quaestionis. — Certe B. Virgo, sicut alii sancti, gradu tamen eminentiore, est mediatrix ; sed quaestio est, an etiam prae sanctis, non solum excellentiore, sed et *singulari ratione*, ac *universali influxu* et causalitate id ipsi competat, propter *peculiares* eius ad Christum relationes atque *specialem cooperationem*. Quod acriter negant Protestantes ; et etiam unus vel alter catholicus in dubium vertunt, aut solum commentum pietatis habent rationi convenientiae forsan innitens, sed in theologia solido fundamento carens.

Quaestio, cum accuratiori, ultimis temporibus, subiiciatur examini, sub vario aspectu erit consideranda, et satis ample, non tamen prolixe, tractanda[1].

Articulus I.

DE MEDIATIONE MATRIS DEI IN GENERALI.

166. B. Virgo, tamquam nova Eva, recte dicitur et vere est perpetua mediatrix inter Deum et homines : *non quidem principalis et absolute necessaria, sed secundaria*

1. De mediatione B. Virginis, praeter auctores dogmaticos : Scheeben, L. Janssens, Terrien, Lépicier, Hugon, Campana, Diekamp, Minges, Van Noort, Pohle, Lercher, etc., specialiter conferri possunt : De la Broise, *Sur cette proposition : toutes les grâces nous viennent par la Sainte Vierge*, in *Études*, 1896, et Bainvel, *Marie, mère de grâce*, Fribourg, 1903 ; quae simul edita fuerunt et aucta in *Marie, mère de grâce*, Paris, 1921 ; Hugon, *La Mère de grâce*, Paris, 1904 ; Godts, *De definibilitate mediationis universalis Deiparae*, Bruxellis, 1904, et *La Corédemptrice*, ib., 1920 ; Renaudin, *La mission de corédemptrice*, in *Rev. Thom.*, 1904 ; Clobus, *Maria's universeele genadevoorspraak*, in *Studiën*, 1911 ; Van Crombrugghe, *Tractatus de B. Virgine Maria*, Gandae, 1913 ; *De universali B. Mariae in re salutis mediatione*, in *Coll. Gand.*, 1923 ; Merkelbach, *Mater divinae Gratiae*, in *Rev. Eccl. de Liége*, 1914 ; *De invloed der nieuwe Eva op ons goddelijk genadeleven ; Nog iets over den invloed van Maria op ons genadeleven*, in per. *De Standaard van Maria*, 1922-1923 ; Gutberlet, *Die Gottesmutter*, Regensburg, 1917 ; Villada, *Por la definición dogmatica de la mediación universal de la Santisima Virgen*, Madriti, 1917 ; — *Pétition de la Faculté de Théologie de l'Université de Louvain au sujet de la définition dogmatique de la médiation universelle de la Sainte Vierge*, in *Ann. de l'Univ.*, 1915-1917 ; Girerd, *Marie, mère des hommes ou Mère de grâce ; Marie, dispensatrice ou médiatrice universelle de la grâce ; Nature de la Médiation de Marie*, in *Rev. Cl. fr.*, 1920 ; Lebon, *La B. Vierge Marie, médiatrice de toutes les grâces*, in *Vie dioc.*, 1921 ; *L'Apostolicité de la doctrine de la médiation mariale*, in *R. Th. A. et M.*, 1930 ; Anciaux, *Marie, Nou-*

et Christo subordinata, excellentissima nobisque utilissima, ita ut toti operi redemptorio sit cooperata et sine eius influxu nulla, post peccatum originale, gratia nobis obveniat. — Ita enuntiata, sensu generali, doctrina est sententia *communis et certa*, ex universali et ordinaria praedicatione.

Dicitur mediatrix :

1° *non principalis* seu perfective : Christus solus potuit nos Deo reconciliare redemptionemque perficere ac nobis de condigno mereri salutem et omnia media salutis ; B. Virgo potuit huic tantum concurrere cooperatione imperfecta.

2° *non absolute necessaria :* Necessaria est ad satisfactionem condignam et plene sufficit mediatio Christi ad nos redimendum, et ad obtinendum omnia media salutis, imo infinite superabundat ; nec proinde ipsi aliquid addi potest. Quare mediatio Mariae de se non requiritur ut, mediante Christo, coniungi Deo valeamus ; sed tantum, quia ita libera Dei voluntate est positive statutum.

---

velle Ève, in *Mém. du Congrès Marial de Bruxelles*, 1921 ; LAMBOT, *Marie, médiatrice de toutes les grâces*, ib. 1921 ; VAN DER MEERSCH, *Maria, onze medeverlosseres*, in *Vl. Maria-Congres van Brussel*, 1921 ; DUBLANCHY, *Marie médiatrice*, in *Vie Spirituelle*, 1921-1922 ; *Marie*, in *Dict. Théol. Cath.* ; BOVER, *De Virgine Maria universali gratiarum mediatrice*, Barcinone, 1921 ; *La Mediación universal de la Segunda Eva en la Tradición patristica*, Matriti, 1923-1924 ; *Universalis B. Virginis mediatio ex proto-evangelio demonstrata*, et *Maria hominum coredemptrix*, in *Greg.*, 1924-1925-1927 ; *Maria mediatrix*, in *Eph. Theol. Lov.*, 1929 ; BITTREMIEUX, *Maria, Middelares tusschen God en de Menschen*, 1921 ; *Beschouwingen over Maria's algemeen Genademiddelaarschap*, in per. *De Standaard van Maria*, 1922 et 1924 ; *De Notione B. M. V. mediatricis omnium gratiarum*, in *Eph. Th. Lov.*, 1925 ; praesertim : *De Mediatione universali B. Mariae Virginis*, Brugis, 1926 ; *De congruo promeruit nobis B. Virgo quae Christus de condigno promeruit*, in *Eph. Theol. Lov.*, 1931 ; *Marialia*, Brussel, 1936 ; LAMIROY, *De B. Virgine coredemptrice et mediatrice omnium gratiarum*, in *Coll. Brug.*, 1921 ; NAULAERTS, *De Maria Mediatrice disquisitio theologica*, in *Vie dioc.*, 1922 ; KERKHOFS, *Marie, mère de toutes les grâces*, in *Rev. Eccl. de Liége*, 1922 ; VAN HOUTRYVE, *La Médiation de Marie dans la liturgie*, in *Vie doc.*, 1922 ; ALBERDINGK THIJM, *Maria's algemeen Genadebemiddeling*, in *Studiën*, 1922 ; CLEMENS, *Maria's invloed op ons genadeleven*, in per. *De Standaard van Maria*, 1922-1923 ; MC. NABB, *The mediatorship of the Blessed Virgin*, in *Blacfriars*, 1923 ; CH. PESCH, *Die S. Jungfrau Maria, die Vermittlerin aller Gnaden*, Freiburg, 1923 ; JANOTTA, *Theses de mediatione B. V. Mariae apud Deum pro hominibus*, Isola del Liri, 1923 ; BLONDIAU, *De Mediationis B. Mariae existentia, modo ac fundamentis*, in *Coll. Namurc.*, 1924-1925 ; BARTMANN, *Mater divinae gratiae*, in *Theol. und Glaube*, 1925 ; GARCIA A. DOLSE, *La mediación universal actual de la Virgen Maria*, in *Esp. y Am.*, 1925 ; O'MALLEY, *Mediatrix omnium gratiarum*, in *Eccl. Rev.*, 1925 ; GRAB-

3° *sed secundaria :* dispositive, ministerialiter et ex participatione. *Dispositive*, scil. disponendo et inducendo, seu quid praevium agendo mediationi Christi et actibus eam adducendo. *Ministerialiter*, scil. applicando nomine et virtute Christi fructus redemptionis. *Ex participatione*, i. e. non virtute propria, sed in dependentia a mediatione Christi. Constituta est ministra Christo, ad accipiendum et dandum nobis Christum, ad procurandum nobis redemptionem, atque elargiendum redemptionis fructus.

4° *Christo subordinata*, non coordinata : Mediatio Mariae scil. derivata est ex virtute et meritis Christi, ita ut virtus, valor et meritum B. Virginis fundetur in meritis Christi et ab iis pendeat ; unde quidquid facit aut petit, facit et petit ex meritis Christi. Hinc dicitur *Mediatrix ad Mediatorem*[1].

MANN, *Bemerkungen zur Frage nach der Definirbarkeit der algemeine Gnadenvermittlung Mariàs*, in *Klerusblatt*, 1925 ; LE ROHELLEC, *Marie, dispensatrice des grâces divines*, Paris, 1925 ; RIVIÈRE, *Sur la notion de Marie médiatrice*, in *Eph. Theol. Lov.*, 1925 ; *Questions mariales d'actualité*, in *R. Sc. Rel.*, 1932 ; SALES, *De Mediatione universali B. Virginis Mariae in distributione gratiarum*, in *D. Thomas* (Pl.), 1925 ; SCHÜTH, *Mediatrix, eine marialogische Frage*, Innsbrück, 1925 ; VILAIN, *Notes sur Marie médiatrice*, in *N. R. Th.*, 1926 ; PRZYWARA, *Mutter der Lebendigen*, in *St. der Zeit*, 1926 ; SANDERS, *Maria Middelares*, in *Studia Cath.*, 1927 ; DENEFFE, *De Mariae in ipso opere redemptorio cooperatione*, in *Greg.*, 1927 ; *Maria, die Mittlerin aller Gnaden*, Innsbrück, 1934 ; MULDERS, *Maria Middelares*, in *N. K. St.*, 1928 ; ALAMEDA, *Maria Mediadora*, Vitoria, 1928 ; FERNANDEZ, *De Mediatione B. Virginis secundum doctrinam S. Thomae*, in *C. Tom.*, 1928 ; UDE, *Ist Maria die Vermittlerin aller Gnaden?* Bressanone, 1928 ; FRIETHOFF, *Maria, onze Middelares naast Jezus onze Middelaar*, Hilversum, 1934 ; *De alma socia Christi mediatoris*, Romae, 1936 ; BORZI, *Maria hominum Coredemptrix*, Brugis, 1931 ; A. VAN HOVE, *Maria's Verdienste*, in *Mariale Dagen*, Tongerloo, 1931 ; *De Notione mediationis B. M. V.*, in *Coll. Mechl.*, 1934 ; LELOIR, *La médiation mariale dans la théologie contemporaine*, Brugis, 1933 ; BERNARD, *Le mystère de Marie*, Paris, 1933 ; DILLENSCHNEIDER, *Le Problème du comérite rédempteur de la Vierge dans l'économie du salut*, in *Bull. Soc. Et. M.*, 1936 ; MERTENS, *Maria's Middelaarschap in de hedendaagsche theologie*, in *Ons Geloof*, 1936 ; W. GOOSSENS, *Estne Mater Redemptoris immediate cooperata ad redemptionem obiectivam seu ad acquisitionem gratiarum?* in *Coll. Gand.*, 1937-1938 ; M. CUERVO, *La gracia y el merito de Maria en su cooperación a la obra de nuestra salud*, in *C. Tom.*, 1938 ; AUBRON, *La médiation universelle de la Sainte Vierge*, in *N. R. Th.*, 1938 ; KEUPPENS, *Mariologiae compendium*, II, Mediatrix ; LENNERZ, *Consideratio de doctrina B. Virginis Mediatricis*, in *Greg.* 1938 ; PHILIPS, *De Maria Mediatrice gratiarum, cooperatione eius in redemptione*, etc. in *Rev. Eccl. de Liége*, 1938-39.

1. Ita inter alios BERNARDUS, *de 12 praer. B. M. V.*, n. 2 ; et LEO XIII,

5° *tamquam Nova Eva.* Id additur ad notandam subordinationem, et apponendam restrictionem in mediatione Mariae. Nam sicut Eva non est, ut Adam, causa principalis ruinae nostrae contrahendae et propagandae, sed solum causa secundaria ; ita Christus solus mediator et causa principalis est salutis nostrae, Maria, velut nova Eva, solum est mediatrix et causa secundaria.

6° *excellentissima,* quippe singulari modo id ipsi convenit. Inter mediatores prima venit post Christum, antecedens alios sanctos et ministros, tamquam Mater Dei, ipsi redemptioni cooperata, et ideo in mediatione primum locum et summum gradum obtinet, ita ut in mediatione Mariae aliorum mediatio fundetur eamque exerceant per Mariam.

7° *utilissima:* Efficaciter nempe valet nobis omnia procurare et obtinere a Christo.

8° *ita ut toti operi redemptorio sit cooperata et sine eius influxu nulla, post peccatum originale, gratia nobis obveniat.* Quare mediatio eius est vere universalis respectu ad alios homines.

In praesenti, nolumus magis determinare B. Virginis influxum: an sit actualis specialis, an solum generalis et virtualis, an semel cooperata sit ipsi toti operi redemptorio et acquisitioni omnium mediorum salutis, et qua ratione, vel etiam cooperetur applicationi omnium singulorum in particulari. Dicitur tamen mediatrix, non solum durante vita eius mortali, sed etiam pro vita gloriosa coelesti constituta *in perpetuum.*

167. Singularis mediatio B. Virginis probatur ex eius munere Novae Evae, coadiutricis redemptionis ac matris nostrae.

A. *Generatim.* Mediator est ille qui medium tenet inter duo extrema, ab utroque distans, ad illa coniungenda, invicem deferendo mutua eorum beneficia vel servitia.

Atqui B. Virgo, singulari ratione :

enc. *Fidentem,* 20 Sept. 1896. — Hoc tamen sine ullo praeiudicio, quod etiam dici merito possit ac revera dicatur esse per Christum, sub Christo et cum Christo, *mediatrix ad Deum:* ita BASILIUS SEL., *or.* 39, n. 5 ; ADAM PERS., *Mariale* (P. L. CCXI, 752) ; PETRUS BLES., *serm. de Nat. B. M.* ; RICHARDUS A S. LAUR., *De Laudibus B. V.*, l. II, c. I, n. 18 ; LAURENTIUS IUST., *serm. in Ann. M.*

1° medium tenet inter Deum et homines, nam Dei Mater facta, ad fines deitatis pertingit, at pro sua conditione creaturae a Deo manet infinite distans ; et dum humanam gerit naturam, supra homines tamen elevatur dignitate Matris Dei et plenitudine gratiae ;

2° praeterea sua cooperatione nos unit Deo : fuit enim ad Verbum cum humana natura uniendum media inter Deum et nos, et ita per Filium suum homines coniunxit Deoque reconciliavit ; imo et Deo defert satisfactiones pro hominibus, hominibus autem divina beneficia impetrat ac dispensat.

Ergo est singulari ratione nostra mediatrix ad Deum [1].

B. *Speciatim.* Ille est mediator secundarius, qui sub dependentia principalis mediatoris, ad nostram salutem realiter concurrit. Atqui B. Virgo, singulari ratione, concurrit ad nostram salutem, nec uno sed pluribus modis ; et quidem tripliciter. Ergo.

1° Singulari modo vere *cooperata est ipsi redemptioni,* non solum physice, sed etiam voluntarie et moraliter. — Mediator secundarius est ille qui voluntarie, speciali ratione vere cooperatus est redemptioni nostrae. Atqui B. Virgo ita speciali ratione est cooperata redemptioni :

a) se praeparando, ut fieret mater redemptoris, et merendo de congruo varias alias incarnationis circumstantias, ut dictum est ;

b) consensum praebendo incarnationis mysterio in finem redemptionis et salutis nostrae, iuxta verba angeli, Lc. I, 31 ;

c) Christo in cruce immolato compatiendo, illumque voluntatis affectu in sacrificium offerendo, quod ipse publice et solemniter complere pro nostra salute volebat.

2° Singulari ratione *meruit* salutem nostram. — Mediator secundarius est ille qui per Christum et sub Christo meruit nostram salutem et omnes gratias salutis. Atqui ex meritis

1. Ne dicatur ad mediationem requiri consensum utriusque partis extremae in mediatorem ; non autem constat humanum genus B. Virginem admisisse ut sui delegatam. Nam eo ipso quod Salvatorem quaerit et admittit, implicite acceptat eum ut a Deo volitum et missum, ac proinde etiam matrem mediatricem, qua ad nos venire ipse decrevit.

Christi, gratia et charitate plena, compassionem suam una et Filium suum obtulit in salutem nostram, conformiter ad voluntatem Dei. Ergo ita mereri quodammodo nobis potuit salutem et gratias salutis, quas Christus stricte merebat de condigno.

3° Singulari ratione *efficaciter interpellat* pro nobis. — Mediator secundarius speciali ratione est ille qui, praepotenti oratione sua, obtinere nobis potest omnia auxilia salutis. Atqui ita B. Virgo, quae ad hoc munus perpetuo exercendum est a Filio suo constituta in cruce (n. 162). Ergo.

Itaque *reparatrix*, concurrit aliquo modo ad satisfaciendum pro peccatis nostris, obstacula salutis ita quoque removendo. *Gratia plena*, nobis quodammodo meruit ipsa beneficia redemptionis : gratiam et gloriam. *Advocata*, ex officio intercedit pro nostra salute et nobis obtinet media salutis et gratias, easque dispensat. Quae tres functiones radicem habent in exercitio suae erga nos maternitatis spiritualis, quia destinata fuit et voluit esse nostri et omnium mater : quia mater, ideo cooperata est nostrae redemptioni, mereri potuit nostram salutem et gratias salutis, atque interpellare pro nobis non cessat.

168. Traditio Ecclesiae B. Virginem agnoscit mediatricem. — B. Virgo dicitur mediatrix[1] :

1. De mediatione B. Virginis apud auctores sacros conferri possunt :

A. *Quantum ad S. Irenaeum:* GALTIER, *La Vierge qui nous régénère*, in *Rech. Sc. rel.*, 1914 ; BOVER, *S. Irenaeus Lugdunensis, universalis mediationis B. M. V. egregius propugnator*, in *An. Tar.*, 1925 ; GARÇON, *La Mariologie de S. Irénée*, Lyon, 1932 ; GÉNEVOIS, *La Maternité spirituelle de Marie en S. Irénée*, in *R. Thom.*, 1935 ; PRZYBYLSKI, *De Mariologia S. Irenaei Lugdunensis*, Romae, 1937.

B. *Quantum ad S. Ephraem syr.* : LEBON, *La doctrine mariale de S. Ephrem*, in *Mém. du Congr. mar. de Bruxelles*, 1921 ; VAN LANTSCHOOT, *Ephrem en de H. Maagd*, in *Vl. Maria-Congres van Brussel*, 1921 ; BOVER, *S. Ephrem D. Syri testimonia de universali B. M. V. Mediatrice*, in *Eph. Th. Lov.*, 1927.

C. *Quantum ad S. Bernardum:* A. VAN DEN KERKHOVEN, *De Marialeer van den H. Bernardus*, in *Vl. Maria-Congres*, Brussel, 1921 ; RAUGEL, *La Doctrine Mariale de S. Bernard*, Paris, 1935 ; NOGUES, *Mariologie de S. Bernard*, Paris, 1935 ; AUBRON, *L'œuvre mariale de S. Bernard*, Juvisy, 1935.

D. *Quantum ad S. Albertum M.* : BOVER, *La Mediación universal de la S. Virgen en las obras del B. Alberto M.*, in *Gregorianum*, 1926 ;

A. Primis temporibus, *generali* modo et *implicite*, tamquam Nova Eva, sicut supra dictum est (n. 37), et quidem :

1° non solum *mere physica* generatione Christi, sed et *morali* cooperatione incarnationi salvificae ;

2° non solum *indirecte* per Christum, sed ut *directe* intendens et *influxu* salvatorio *attingens* ipsam reparationem, vitam, gratiam, salutem generis humani, quamvis per Christum ;

3° non solum tamquam *mater Christi*, sed tamquam *mater viventium*.

Unde, Maria exhibetur ut munus gerens erga homines, ut causa effective cooperans saluti et vitae nostrae, et quidem universaliter toti saluti sine restrictione, saltem mediante Christo ; licet immediatus aut specialis influxus, qui non explicite affirmatur, tamen non negetur.

B. A saec. V, etiam *distincte* et *speciatim*, dum omnia bona dicuntur nobis obvenire per Mariam, beneficia sigillatim nominando, praesentia quoque aut futura. Non solum igitur generali modo, aut cooperatione generali cum Christo, et mediante Christo ; sed immediato quoque interventu et actuali protectione, et quidem in aeternum

METZGEROTH, *Die Lehre des H. Albertus der Grossen über die Mittlerschaft Mariens*, in *Pastor Bonus*, 1932 ; DESMARAIS, *S. Albert le Grand, docteur de la médiation mariale*, Paris-Ottawa, 1933 ; GÉNEVOIS, *La Mariologie de S. Albert le Grand*, in *Bul. Soc. Et. Mar.*, 1935 ; BERGMANN, *Die Stellung der Sel. Jungfrau in Werke der Erlösung nach H. Albertus M.*, Freiburg, 1936.

E. *Quantum ad S. Thomam Aq.* : FRIETHOFF, *S. Thomas van Aquine en het middelaarschap van Maria*, in *N. K. St.*, 1923 ; HUGON, *S. Thomae doctrina de B. M. Virgine mediatrice omnium gratiarum*, in *Xen. Thom.*, 1924 ; MERKELBACH, *Quid senserit S. Thomas de Mediatione B. M. V.?* ib., 1924 ; *Het Middelaarschap van Maria in de leer van H. Thomas*, in *De Standaard van Maria*, 1927 ; BOVER, *La Mediación universal de la Virgen en S. Tomas de Aquino*, Bilbao, 1924 ; FERNANDEZ, *De Mediatione B. Virginis secundum doctrinam D. Thomae*, in *C. Tom.* 1928.

F. *Quantum ad S. Alphonsum:* CLÉMENT, *S. Alphonse de Liguori, son apologie pour la médiatrice de toutes les grâces*, in *Eph. Th. Lov.*, 1931 ; DILLENSCHNEIDER, *La Corédemptrice dans la Théologie mariale de S. Alphonse*, in *Eph. Th. Lov.*, 1933 ; *La Mariologie de S. Alphonse* : I. *Son influence sur le renouveau des études mariales ;* II. *Sources et synthèse doctrinale*, Fribourg, 1931 et 1934 ; VAN HAUTE, *Maria's Geestelijk Moederschap*, in *Ons Geloof*, 1937.

exercenda. Unde haec testimonia munus Mariae ordinarium et universale exhibent procurandi beneficia divina, orationes dirigendi ad Deum et largiendi gratias.

Ita v. gr. Cyrillus Al., hom. 4 et 11 ; Proclus, or. 6, n. 17 et or. 1, n. 1 ; Antipater Bostr., hom. in S. Ioan. B. ; Basilius Sel., or. 39 n. 5 et 6 ; Modestus, encom. in B. V., n. 6 et 10 ; Germanus Const., in S. M. Zonam ; Tarasius, in S. Deip. Praes. ; Euthymius, encom. in conc. S. Annae ; ps.-Athanasius, in Ann. S. D. N. Deip. ; Ephraemiana (III gr. lat., p. 525, 528-9 ; 531-2 ; 551 ; Lamy, II, p. 547) ; Ioannes Dam., hom. 2 in Dorm., n. 17 ; Leo V, or 14 in B. M. Ass. ; Ioannes Geom., in S. Deip. Ann. ; Ioannes Eub., in S. Deip. Dorm. ; Isidorus Thes., in Dorm. B. M. V. n. 18 ; Fulbertus Carn., serm. de Nat. M. V., 5-6 ; inter opera Petri Dam., serm. 40, 44, 45, 46 ; Anselmus, or. 51, 52, 54 ; Eadmerus, de Exc. Virg. 9 ; Bernardus, serm. in Dom. infra Oct. Ass., n. 1, 15 ; serm. in Nat. B. M. V. de Aquaed. ; ep. 174 ad can. Lugd. ; Richardus a S. Victore, in Cant., c. 23, 29 ; Gulielmus Alv., de rhet. div., c. 18; Petrus Bles., serm. 34 ; Richardus a S. Laur., de Laud. B. M. II, 3 ; Hugo a S. Charo, Postillae, in Lc. I ; in Eccli. XXIV ; Albertus M., Mariale, q. 29, § 2 et 3 ; 31 ; 77 ; 164 ; Bonaventura, serm. de B. M. V : de Ann. 5 ; de Nat. 1; in Epiph. 3 ; Thomas Aq., exp. in Sal. ang. ; serm. in Ann. B. V. 32 in ep. 1 ; 33 in ep. 2 ; in Nat. ; denique theologi et mystici generatim. Id quoque enuntiatur in multis precibus liturgiae insertis sive latinae sive graecae.

Cum autem in Ecclesia catholica sit evolutio organica, legitima et homogenea doctrinae, sub assistentia Spiritus Veritatis, eo ipso ostenditur iste immediatus, distinctus et specialis Mariae interventus iam implicite contineri in generalibus loquendi formulis aetatis anterioris.

C. Ab hoc fere tempore, etiam *explicite* fuit vocata *mediatrix ;* nam a Proclo dicitur « unicus Dei ad homines pons » (or. 1, n. 1) ; a Basilio Sel. « mediatrix inter Deum et homines » (or. 39, n. 5), « quae nullo alio mediatore ad Deum indiget », ut ait Germanus Const. (in S. M. Zonam), imo « omnium quae sub coelo sunt mediatrix ac totius orbis reparatrix », iuxta Tarasium (in S. Deip. Praes.).

Ita in operibus Ephraemianis saepius ; Antipater Bostr., hom. in S. Ioann. B. ; Ioannes Dam., hom. 1 in Dorm., n. 8 ; Theodorus Stud., hom. 2 in Ann. B. M. V. (inter opera Ioannis Dam.) ; Isidorus Thes., serm. in Dorm. B. M. V. ; Anselmus,

or. 51 et 54 ; Eadmerus, de Exc. Virg., 9 ; Bernardus, serm. in Dom. infra Oct. Ass. ; ep. 174 ; Richardus a S. Vict., in Cant. 39 ; Petrus Bles., serm. 34 ; Adam Pers., Mariale ; fragm. 3 et 4 ; Gulielmus Alv., de rhet. div., 18 ; Richardus a S. Laur., de Laud. B. M. V., II, c. 1, n. 17 ; Hugo a S. Charo, Postillae in I Tim. 5 ; in Eccli. XXIV, 6 et 17; Albertus M., Mariale, q. 29, § 3 ; 31 ; 77 ; Bonaventura, III Sent., d. 3, p. 1, a. 1, q. 2, et deinceps theologi et mystici generatim. Prae aliis citari merentur S. Laurentius Iust., Gerson, Rusbrochius, S. Bernardinus Sen., Dionysius Carth., S. Antoninus, S. Thomas de V. N. ,Driedo, Salmeron, Suarez, S. Bellarminus, S. Franciscus Sal., Contenson, Cornelius a Lapide, Bossuet, B. Ludovicus M. Grignion de Montfort, et S. Alphonsus de Ligorio, Li Glorie di Maria, II, disc. 2. Atque ultimis temporibus, ipsi Pontifices B. Virginem proclamare *mediatricem* non dubitarunt : Pius IX, enc. *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846, et bulla *Ineffabilis Deus*, 8 Dec. 1854 ; Leo XIII, enc. *Iucunda semper*, 8 Sept. 1894 ; *Adiutricem populi*, 5 Sept. 1895 ; *Fidentem*, 20 Sept. 1897 ; Pius X, enc. *Ad diem illum*, 2 Febr. 1904 ; Pius XI, enc. *Miserentissimus redemptor*, 8 Maii 1928 ; *Charitate Christi*, 3 Maii 1932 ; Benedictus vero XV Officium et Missam concessit die 31 Maii dicenda *B. V. Mediatricis omnium gratiarum*, 12 Ian. 1921.

Inter quos, iuvat notare cum cl. Bittremieux, De Mediatione universali B. M. Virginis, l. I, c. 5, a. 2, quidam Mariam vocant mediatricem sine addito, — alii eam dicunt mediatricem inter Deum et homines, — alii denique eam appellant mediatricem inter Christum et homines.

In priori forma titulus *mediatricis* apparet v. g. apud Contenson, Cornelium a Lapide, Salmeron, Eadmerum, Isidorum Thes., Tarasium ; *mediatrix nostra* apud Salmeron, Albertum M., Anselmum; *mediatrix hominum* apud S. Alphonsum, Gulielmum Alv., Adamum Pers. ; *mediatrix generis humani*, apud Suarez ; *mediatrix gratiae* apud S. Alphonsum ; *mediatrix salutis* v. g. apud Bernardum.

In altera forma : *mediatrix inter Deum et homines*, titulus occurrit v. g. apud S. Laurentium Iust., Adamum Pers., Basilium Sel.

In tertia forma legitur sic : *Mediatrix apud Mediatorem* v. g. apud Bernardum. Franciscus Sal., Petrus Bles., Albertus M., Rusbrochius eam dicunt : *mediatricem apud Filium, inter nos et Filium suum*. Apud Bonaventuram occurrit forma : *mediatrix inter homines et Christum*, sicut

Christus inter nos et Deum. Adam Pers. dicit : *mediatricem inter reum et iudicem ;* Bernardus, *mediatricem inter Christum et Ecclesiam*[1].

D. *Aequivalentibus terminis* idem rursus affirmatur : est enim, ut iam vidimus, B. Virgo *mater viventium* appellata ab Epiphanio et Petro Chrys. ; *salutis ianua* a Proclo ; *causa salutis* a Tarasio et Irenaeo ; *mater misericordiae* ab Alberto M., atque *consors passionis, adiutrix redemptionis, mater regenerationis ;* ac *advocata nostra* a Bernardo, Petro Bles., Adam Pers.

Ita tituli multiplicantur in honorem B. Virginis, quibus aequivalenter mediationis munus significant, ut ait Bittremieux, ibid., schol. 1 : vocatur v. g. *adiutrix redemptionis* (Augustinus, Albertus) ; *altrix reparationis* (Anselmus) ; *conciliatrix* (Arnoldus) ; *cooperatrix divinae dispensationis* (Balduinus) ; *illuminatio nostra* (Adam. Pers.) *vel mundi* (Paschasius Radbertus, Arnoldus, Petrus Dam (?) ; *innovatrix omnium* (Amedaeus Laus.) ; *instauratrix misericordiae* (Adam Pers.) ; *purgatrix criminum* (Rupertus) ; *reconciliatrix nostra, peccatorum* (Anselmus, Bernardus, Richardus Vict.) ; *recuperatrix gratiae* (Bernardus) ; *recuperatio orbis perditi* (Anselmus) ; *redemptio captivorum* (Adam Pers.) ; *regeneratio universorum* (Adam Pers.) ; *reparatio vitae omnium* (Ildephonsus, Bernardus) ; *reparatrix* (Anselmus, Bernardus, Richardus Vict., Petrus Bles.) ; *salvatrix* (Bernardus, Anselmus, Ildephonsus) ; *auxiliatrix* (Hieronymus, Petrus Chrysol., Anselmus) ; *sanctificatio nostra* et *sanctificatrix mundi* (Anselmus, Adam Pers.), etc.

Exinde apparet doctrinam de B. Virginis mediatione, esse omnino certam ex universali praedicatione et doctrina Ecclesiae, ac sensu fidelium ; explicite scil. iam a multis saeculis proponitur, sive generali quadam ratione, sive ratione consensus in maternitatem redemptoris et cooperationis suae ad opus redemptionis et salutis, sive ratione praepotentis suae intercessionis apud Deum.

169. Singularis mediatio B. Virginis non obstat uni supremae mediationi unius mediatoris et redemptoris Christi, quam Apostolus annuntiat et fides docet. — B. Maria siquidem non separatim et independenter a Filio, ad procurandam salutem intervenit, sed tantum coniunctim et dependenter, ita ut cum Christo, sub Christo et per Christum agat ; nec ullo modo intervenit necessario, sed solum ex voluntaria dispositione Providentiae unita concurrit, sic tamen ut eius actio tota in virtute et meritis Filii sui innitatur, qui solus est mediator principalis, necessarius, sufficiens et perfectus. Et sane :

1° Apostolus solum loquitur de mediatione perfectiva et de bonis propriis perfecte adimpleta, per hoc nempe quod Christus « *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*[1] » (I Tim. II, 6).

2° Id etiam ratio manifeste perspicit :

a) Argumento *negativo.* Non plus tribuitur novo Adam, Christo, uni redemptori, salus nostra, quam Adam tribuatur perditio (Rom. V, 12 sq.). Sed Adam, quamvis unica causa perditionis, habuit tamen veram cooperatricem in hoc opere, quae revera et effective concurrit. Ergo similiter Christus, unica causa salutis, potest habere cooperatricem quae vere et effective influit.

b) Imo ratio, argumento *positivo* statuit : non quidem sufficienter quod detur, sed quod possit dari cooperatio vera et effectiva, quae non impedit quin opus totum totaliter sit a principali agente. Atqui manifestum est talem cooperationem revera et effective dari, v. g. per mandatum, consilium aut consensum, aut per medii adhibitionem, quae non impedit quominus totum opus sit principalis agentis. Ergo talis cooperatio tribui potest B. Virgini, sicut Evae, quae tamen non impedit quominus totum opus totaliter, sicut Adamo, ita et Christo tribuatur.

170. Corollaria. — 1° Christus itaque solus in suo ordine est mediator *primarius* et *supremus ;* Maria, in

1. Ita et Leo XIII quandoque eam dicit mediatricem ad Christum, tamquam mater Redemptoris, ut in enc. *Fidentem,* 20 Sept. 1896 ; quandoque Mediatricem ad Deum, tamquam consors Redemptoris ut in enc. *Iucunda semper,* 8 Sept. 1894.

1. Hinc verba Apostoli non sunt nimis urgenda, uti fecerunt Protestantes. Quodsi eodem modo urgeretur textus Matthaei, XXIII, 9-10 : *Patrem nolite vocare vobis super terram, unus enim est Pater vester qui in coelis est. Nec vocemini magistri : quia magister vester unus est, Christus,* deberet concludi nullam paternitatem esse praeter Dei, nullum magisterium praeter Christi.

ordine inferiori, est mediatrix *secundaria* et *subordinata*.

Christus scilicet : a) est mediator *principalis* et *perfectus*, qui ipsum redemptionis pretium proprio sanguine solvere reconcilationemque nostri cum Deo perficere potuit. Maria huic operi cooperata est *dispositive* et *ministerialiter :* inducendo disposuit enim Salvatorem ad reconciliationem perficiendam, et ministra est constituta ad intercedendum pro nobis et ita nobis applicandum redemptionis fructus.

b) Christus est mediator de se *sufficiens*, qui nullius indiget auxilio et meritis propriis et condignis nos univit Deo ; Maria in mediatione est *dependens*, et totam vim haurit ex meritis Christi.

c) Christus est mediator *absolute necessarius* ut condigna satisfactio detur ; Maria est mediatrix necessaria *hypothetice*, quatenus Deus libera voluntate statuat.

d) Christus denique est mediator omnino *universalis*, etiam mediator ipsius B. Virginis. Haec vero mediationem exercet *erga alios*, cum sui ipsius mediatrix esse non possit, nec initialem sibi gratiae plenitudinem nec a labe originali immunitatem meruerit, quippe quae ipsa Filii redemptione egebat, *sublimiore modo redempta*.

2° Mediationem congrue exercere potuit Maria ex plenitudine gratiae ; qua a primo momento suae conceptionis fuit dotata, et qua tam plena fuit ut toti coelesti hierarchiae superior extiterit, sicut decebat matrem Dei quae tota creatione excellentior est et Deo gratior ; de quo certiores nos reddit bulla *Ineffabilis Deus*. Non enim posset, nec congruenter nec efficaciter, mediationem suam erga totam Ecclesiam omnesque homines exercere, nisi plenitudine gratiae esset superior omnibus aliis.

Igitur : a) Gratia plena, digna facta est Mater Dei. Verbum scil. ferventi oratione, omnimoda puritate, ardenti charitate attraxit, imo et mereri de congruo potuit quod ipsa, ut fieret Mater Dei, cunctis aliis praeferri valeret, quatenus decebat ut Mater Dei esset purissima Virgo [1].

b) Gratia plena et charitate erga Deum et homines, *etiam meritorie* potuit consentire in generationem Dei-hominis-salvatoris ac causare salutem nostram.

c) Gratia plena, potuit, compatiendo Christo, satisfactionis et meriti sui magnum sane sed finitum valorem coniungere, infiniti illius meriti thesauro numquam exhausto.

1. S. THOMAS, III *Sent.*, d. 4, q. 3, a. 1, ad 6 : S. ALBERTUS M., *Mariale*, q. 142.

d) Gratia omnibus plenior et vita divina, congruenter potest gratiam pro omnibus impetrare vel iis ministerialiter communicare.

Sicut itaque Christus est noster mediator, quia est Deus-homo qui ut talis redemptionem perficere solus potuit nosque Deo reconciliare, et quia est caput nostrum vitam divinam nobis influens ex tota plenitudine gratiae ac veritatis ; — ita Maria potest esse mediatrix nostra, quia est Mater Dei-hominis quae ut talis operi redemptorio cooperata est, et quia est mater nostra adoptiva, vitam gratiae nobis obtinens ex plenitudine gratiae suae et gloriae.

3° Singulari tamen ratione transcendit mediatio B. Virginis mediationem Sanctorum, tum

a) quia cooperata est non solum praeparationi Redemptionis, sicut patriarchae aut prophetae V. L., aut applicationi fructuum redemptionis, sicut beati in coelis, sed *ipsi redemptioni* iam a suo principio et usque suam completionem in cruce ;

b) quia cum Christo quodammodo meruit *omnibus* et *omnes* gratias quas Christus iis meruit de condigno ;

c) quia, ex eo quod est Mater Dei-Redemptoris, et nostra mater spiritualis, est intercessio eius *praepotens* et *universalis*, ita ut valeat nobis obtinere *cuncta* media salutis.

Ne tamen exinde inferatur mediationem ipsi competere excellentiorem quam mere dispositivam aut ministerialem, quae etiam competit sanctis ; sed potius trimembrem esse ponendam distinctionem, ita ut mediatio B. Mariae non possit in eadem poni specie, sive cum mediatione Christi, sive etiam cum mediatione sanctorum. Qui ita optant, non recte sentiunt. Si enim B. Virgo non sit mediatrix principaliter et perfective — quod nemo asserere auderet, cum ipsa redemptionem perficere non potuerit — restat ut sit solum dispositive et ministerialiter, ut ceteroquin loquitur Leo XIII, enc. *Fidentem*, 20 Sept. 1896. Distinctio illa fit per membra opposita, sese invicem excludentia, nec inveniri potest tertius terminus medius.

4° Sicut in Christo mediatio seu opus salvatorium duas complectitur partes : *primario* est oblatio satisfactionis qua facta offensa divinae maiestatis compensatur, et acquisitio meritorum quae sunt titulus ad auxilia salutis, atque destinatio generalis illorum ad omnium salutem ; *consequenter* est operis salvatorii applicatio seu efficax

destinatio bonorum salutis ad singulos homines et dispensatio actualis auxiliorum, omnipotenti Salvatoris intercessione. Ita in B. Virgine, mediatio specialis complectitur duas partes : cooperationem ad ipsum opus redemptorium, et cooperationem in applicatione fructuum redemptionis.

Unde in mediatione B. Virginis formaliter distinguuntur :

a) *Generali modo* ipsa functio formaliter *mediatricis*, quae unit eos inter quos est media : Deum et genus humanum, distans ab utroque, et ea quae sunt unius ad alterum defert. Est scil. ad uniendum Verbum cum natura humana media inter Deum et nos, et per Filium suum homines Deo reconciliavit et ita coniunxit, atque Deo satisfactiones pro hominibus defert et hominibus divina beneficia impetrat et dispensat.

Speciali modo autem mediationem exercet dupliciter, et ideo est in ea :

b) Functio *adiutricis redemptionis* et *cooperatio ad ipsam redemptionem :* inchoate et essentialiter, consentiendo maternitati Redemptoris, perfecte et complete, offerendo Filium et coniungendo voluntatem suam cum mandato Patris, et ita merendo salutem et generalem applicationem fructuum redemptionis.

c) Functio *intercedentis, oratricis* et *advocatae*, qua mediationem continuat, deprecando pro nobis applicationem fructuum redemptionis in particulari et singulis ; quod incepit facere in terris inde ab initio, nunc autem perfecte facit in coelis. Completis enim dignitatibus et meritis, intercessio quae iis innititur, ultimam suam perfectionem acquisivit.

Quorum omnium radix est spiritualis maternitas erga nos.

Alii malunt dicere : cooperationem *in acquisitione* auxiliorum et gratiarum salutis, et *in distributione* gratiarum. At, licet illa distinctio verum dicat, tamen non placet. Opus enim Christi non mere est in gratiis merendis et distribuendis, sed *essentialiter* est redemptorium ac proinde characterem satisfactorium habet. Unde, sicut Christus primario pro nobis satisfecit, ita B. Virgo huic satisfactioni cooperatur et unitur, et ideo praeferimus dicere : cooperationem adiutricis in ipso opere redemptorio, et advocatae in applicatione fructuum redemptionis. Ceterum distingui potest acquisitio gratiarum in generali pro toto genere lapsorum, et acquisitio in particulari, dum gratiae singulis destinantur applicandae.

Quidam praeferunt distinguere inter redemptionem *obiectivam* et *subiectivam*. Quae distinctio ansam praebet aequivocationi. Nam redemptio totius generis humani in universali est obiectiva ex parte Christi redemptoris, sed subiectiva ex parte redemptorum hominum ; pariter redemptio singulorum hominum in individuo, dici potest obiectiva quoque ex parte gratiae concessae, et subiectiva ex parte acceptationis huius gratiae concessae et ad eam correspondentiae. Melius itaque est distinguere redemptionem et acquisitionem gratiarum *in generali* atque generalis ordinatio et destinatio ad eas deputandas et applicandas *omnibus*, et applicationem ac acquisitionem *in particulari*, seu quasi appropriationem a *singulis*.

171. Animadversio. — Triplex B. Mariae munus : matris scil. Dei-Redemptoris et consortis, — matris nostrae spiritualis, — atque mediatricis, licet materialiter aliquatenus coincidant, formaliter tamen distinguuntur. Primum potissimum dicit respectum ad Deum et Christum, alterum ad genus humanum, tertium ad utrumque.

Materialiter coincidere possunt. Consensu suo in incarnationem Redemptoris, Maria est quodam vero sensu mediatrix, et quodammodo est mater hominum spiritualis, quatenus vitam divinam nobis tradit mediante Christo ; at plura alia pertinent ad munus matris hominum et mediatricis, quae sane latiora sunt. Pariter eodem consensu est consors constituta, et a momento conceptionis et incarnationis Christi iam *incepit* consortium stricte dictum, quia ipse Redemptor et adfuit et a primo momento omnia ordinavit in redemptionem, sicut B. Virgo ad eam subordinavit omnia, pronuntiando suum *Fiat* ad finem redemptionis a Deo intentum. At munus consortis dein exercere continuavit.

Articulus II.

DEI MATER MEDIATRIX EST PRIMARIO UT ADIUTRIX REDEMPTIONIS.

172. Status quaestionis. — Moderni plures restrictive loquuntur de mediatione B. Virginis, ac si omnino similis esset mediationi Sanctorum a qua solo gradu excellentiae differret, et limitaretur ad munus quod nunc in coelis exercet, scil. ad interventum positivum in applicatione redemptionis, et intercessionem qua deprecatur et obtinet

ac dispensat gratias salutis : falso existimantes, vel quod opus in terris exercitum, in cooperando ad ipsam redemptionem, sit extra ipsam eius mediationem et ab ea adaequate distinctum, vel etiam quod ad ipsam redemptionem non vere cooperata sit.

Non recte tamen. Mediatio enim B. Virginis, ex ipsa natura ipsius mediationis, non limitatur ad dispensationem bonorum, sed omne munus includit et comprehendit omnem operationem quae concurrit ad nos uniendum Deo, ac omnes alios modos quibus in terris ad hoc cooperata est. Imo, sicut mediatio Christi primario et principaliter in ipsa redemptione consistit qua nos reconciliavit, et consequenter in applicatione operis redemptorii, interpellatione eius in coelis, ubi semper est vivens ad interpellandum pro nobis : ita et mediatio B. Virginis primario et principaliter in illo est quo concurrit Christo ad opus praecipuum et fontale, et solum consequenter in eius cum Christo intercessione in coelis, ad fructus redemptionis in particulari nobis obtinendos et effundendos. Imo intercessio est exercitium specialis mediationis, quatenus fundamentum habet in cooperatione Mariae ad redemptionem, et ideo ipsa ius habet et officium fructus redemptionis applicandi[1].

173. B. Virgo recte dicitur et vere est nostra mediatrix singulari sua cooperatione ad redemptionem. — Quod triplici titulo B. Mariae convenire dicendum est :

a) *per liberum consensum* in Annuntiatione praestitum, *toti* operi salutis cooperata est, et non solum initio redemptionis, sed constanti animo, numquam revocata initiali voluntate, per totam vitam et usque ad Filii passionem et mortem concurrit ad opus salvatorium ;

b) *per meritum* in toto hoc opere acquisitum, speciali modo redemptioni concurrit, quatenus de congruo meruit salutem et gratias salutis, quas Christus nobis meruit de condigno ;

1. Ut optime ostendit Bittremieux in laudato opere.

c) denique *per compassionem expiatoriam* speciali modo concurrit, quatenus pro nostris peccatis de congruo et imperfecte satisfecit.

174. B. Virgo vere est mediatrix quia voluntarie cooperata est ipsi operi redemptorio. — Voluntarie siquidem genuit Redemptorem qua talem et ita fuit causa redemptionis nostrae, et totum opus salvatorium ab initiali eius *fiat*, ad redemptionem nostram libere pronuntiato, vere pendet. Nam consentiendo Redemptori, eo ipso implicite suo consensu iam acquievit et parata fuit stare omnibus quae ad redemptionem, iuxta Dei voluntatem et providentiam, requirerentur, seu in posterum fierent ad redemptionem nostram et salutem complendam. Et ideo, ab hoc momento, initiali voluntatis consensu numquam revocato sed irrevocabiliter permanente, totam vitam in Filium Redemptorem atque vitam Filii sui ac suam ordinavit ad salutem nostram.

Atqui Redemptor venit Christus ut satisfaceret pro peccatis nostris et nobis acquireret auxilia salutis.

Ergo B. Virgo, consensu suo, cooperata est Christo in satisfaciendo pro peccatis et nobis acquirendo auxilia salutis.

Speciatim concurrit tripliciter :

1° *Mere praeparatorie*, quatenus Verbum ferventi oratione, omnimoda puritate, ardente charitate, attraxit, imo et mereri de congruo potuit quod ipsa, ut fieret mater Dei-hominis-redemptoris cunctis aliis praeferri valeret : meruit scil. illum puritatis et sanctitatis gradum ut digna foret mater Dei, « in quantum decebat quod Mater Dei esset purissima virgo ».

Hoc tamen modo nondum specialem mediationem exercuit, sed potius fundamentum posuit quo Mater Christi et nostra specialis mediatrix fieret.

2° *Essentialiter sed inchoative*, quatenus consensum dedit ut fieret mater, non solum Dei, sed ipsius Salvatoris qua talis. Quod Angelo ad hoc invitante, ex amore nostri acceptavit pro nostra salute. Quocirca sortem nostram in eius manu fuisse declarant Patres, Redemptoris adventum

ipsius Virginis consensum necessariam habuisse conditionem persuasi. Nam, sicut ipsa perditio initium habuit a muliere, Eva, ita et opus salutis nostrae debebat incipere a muliere, Maria. Ita ipsum Redemptorem ac redemptionem et per hoc omnia auxilia salutis voluntarie nobis procuravit.

3° *Integraliter et completive*, dum obtulit Filium suum ad salutem nostram. Quod iam fecit :

a) in momento incarnationis, ad nostram salutem Redemptorem accipiens et generans ;

b) postea saepius renovavit : ita solemniter in templo obtulit Filium suum, ut secundum voluntatem Patris fieret in hostiam pro salute nostra (Lc. II, 22), et dolores libere acceptavit quibus compateretur Salvatori, Simeone vaticinante : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* (Lc. II, 35) ;

c) maxime, dum stetit iuxta crucem et oblationem consummavit, in eumdem finem ac Christus. Tunc voluntatem coniunxit voluntati Patris, et materna auctoritate fructum ventris sui, Filium suum qui est et Filius Dei, tradidit pro salute nostra, materna in eum iura libenter abdicans ; tormenta quoque quae in carne et spiritu Filius pertulit, in anima compati voluit, ut, si fieri posset, ipsa multo libentius sustineret ; Filio pro hominum salute magnos dolores patienti se univit, et ita materni cordis proprios dolores passioni Filii sui coniungere voluit, interno gladio doloris transfixa, atque voluntatem voluntati ipsius coniungens, quod ille externe in cruce consummavit, ipsa in corde obtulit, sacrificium.

Atqui Filius in mundum venit, et in passione et morte se obtulit, ut satisfaceret pro peccatis nostris et auxilia salutis nobis acquireret.

Ergo B. Virgo, iis consentiendo, cooperata est et concurrit Redemptori in satisfaciendo pro peccatis et acquirendo nobis auxilia salutis.

Compassionem Mariae celebrant doctores, v. g. S. Thomas : « *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Verba ista prophetica sunt de passione Christi et notantur tria in verbis istis : Primo, magna B. Virginis ad Christum compassio... Sciendum quod

quatuor maxima fecerunt amaram passionem Christi B. Virgini : 1m Filii bonitas..., 2m crucifigentium crudelitas, quod vel ex eo patet quod morienti saltem aquam dare noluerunt, neque a matre quae diligenter dedisset, dari permiserunt ; 3m poenae villitas ; 4m tormenti crudelitas [1] ». Unde B. Virgo « habuit meritum martyris, mortem crucis cum Filio patiendo : Et tuam ipsius animam pertransibit gladius [2] ». Item Albertus M. : « B. Virgo non est vicaria sed coadiutrix et socia, particeps in regno, quae fuit particeps passionum pro genere humano, quando... sola sub cruce perstitit et vulnera quae Christus corpore, ipsa corde suscepit ; unde et gladius tunc ipsius animam pertransivit... B. Virgo dedit pretiosissimam animam, quia ipsa plus dilexit animam i. e. vitam Filii sui quam B. Petrus vitam et animam sui ipsius ; item... quia datio huius animae pretium totius mundi et redimibilis naturae fuit. Et sic B. Virgo dedit in infinitum plus dilectam et pretiosam animam quam aliquis Sanctorum » Mariale, q. 42, 5°, et 78, n. 4. Similia iam audivimus a S. Bonaventura, supra n. 161, C, b.

175. B. Virgo vere est mediatrix, quia nobis de congruo meruit salutem et omnia auxilia salutis, quae Christus nobis meruit de condigno. — Cooperatio B. Virginis in toto opere redemptorio, a consensu dato in annuntiatione usque ad Christi mortem, omnes conditiones adimplet ad huiusmodi meritum necessarias : est ibi maxima sanctitas et ardentissima charitas, perfecta conformitas cum voluntate Dei eiusque impletio, praesertim in cooperatione ad redemptionem, maximum desiderium salutis nostrae et ordinatio operum ad hunc finem ex summo amore Dei et voluntatis eius praestita. Quocirca, spectata aequitate ac Dei amicitia et liberalitate, congruum erat ut Deus id acceptaret in salutem nostram et ita Mariae voluntatem impleret, secundum principium S. Thomae, I-II, q. 114, a. 6 : « Quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius [3] ». Unde omnes gratias salutis

1. *Sermo inter Dominicales* 15, pro dom. infra Oct. Nat. ex Evangelio.
2. *Sermo inter festivos* 58, in Assumptione B. M. V.
3. Item congruum ut « sicut homo in gratia constitutus secundum fragilitatem humanam implet voluntatem Dei, sui amici ; ita et Deus secundum omnipotentiam suam impleat voluntatem istius hominis sui amici » in II Sent., d. 27, a. 1, q. 3.

et pro omnibus ita mereri potuit, quia constituta erat omnium mater atque mediatrix et cooperatrix ad totum Redemptionis opus, praecise ut ad omnium salutem conferret.

Hinc Pius X, enc. *Ad diem illum*, 2 Feb. 1904, scribere non dubitavit : « Maria... quoniam universis sanctitate praestat coniunctioneque cum Christo, atque a Christo adscita in humanae salutis opus, *de congruo*, ut aiunt, *promeret nobis quae Christus de condigno promeruit*, estque princeps largiendarum gratiarum ministra [1] ».

---

1. Textus non est sine difficultate, quia alterum verbum est praeteriti temporis : Christus *promeruit* de condigno, alterum praesentis temporis : B. Virgo *promeret* nobis ; unde quidam intelligit, non de meritis B. Virginis in terris, sed de precibus eius in praesenti, quibus, interpellando apud Filium, nobis meretur gratias applicandas quas ipse promeruit.— At 1°, ut adnimadvertit cl. BITTREMIEUX, *Marialia*, VII, saepius ponitur tempus praesens ad designandam actionem praeteritam, unde ex mutatione temporis certum non adest indicium. — 2° In coelo non adest meritum, uti tenet communior et sanior sententia theologorum, nec videtur Pontifex locutus ad mentem sententiae oppositae obsoletae. — 3° In contextu, loquitur de compassione B. Virginis sub cruce, nam ait : « Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, *promeruit* illa a) ut *reparatrix* perditi orbis dignissime fieret, atque b) *ideo* (i. e. consequenter) universorum munerum *dispensatrix* quae nobis Iesus vere et sanguine comparavit », ubi sermo est de merito congruo ex compassione in terris, quo B. Virgo duo promeruit : esse reparatricem generis humani, et esse thesauri gratiarum, quas Christus promeruit, dispensatricem. Eodem modo, iam Leo XIII, enc. *Adiutricem*, 5 Sept. 1895 : inde ab Assumptione « sic illa cepit advigilare Ecclesiae, sic nobis adesse et favere mater, ut *quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat* (en 1^{m}), eadem *gratiae ex illo in omni tempus derivandae esset pariter administra* » (en 2^{m}) ; postea vero Pius XI, enc. *Miserentissimus*, 8 Mai 1928 : « Virgo Dei parens benignissima quae, cum Iesum nobis redemptorem ediderit, aluerit, apud crucem hostiam obtulerit, per arcanam cum Christo coniunctionem eiusque gratiam omnino singularem, *reparatrix* item exstitit pieque appellatur (en 1^{m}). Cuius nos confisi apud Christum *deprecatione*, qui unus cum sit mediator Dei et hominum, suam sibi matrem adsciscere voluit *advocatam gratiaeque ministram ac mediatricem* » (en 2^{m}). — 4° Videtur Pontifex confirmare sententiam quasi communem recentiorum theologorum, qui inde a saeculo XVI admittunt B. Virginem vero merito de congruo nobis promeruisse, et coaevi quasi unanimiter, ita ut Hugon scripserit anno 1904 : B. Virginem de congruo meruisse quod Christus de condigno, esse « axioma communiter receptum a theologis », *La Mère de Grâce*, p. 2, c. 2. Ad quod aliqui invocant verba Pontificis : *de congruo, ut aiunt ;* sed non videtur demonstrativum, nam verba *ut aiunt* non respiciunt totum effatum, sed tantummodo terminologiam de congruo, ita ut sensus sit : merito, prout solet dici, de congruo (mérite de congruo, comme on dit).

Ceterum doctrina non dependet a dictis Pontificis, sed etsi nihil dixerit ipse, fundamentum habet in rationibus theologicis et in auctoritate theologorum.

Est tamen duplex differentia inter hoc meritum B. Virginis et nostrum : 1° B. Virgo non solum quasdam gratias de congruo mereri aliis potuit, sed omnes et singulas ; 2° non solum ita meruit gratias in actu secundo singulis hominibus applicandas, sed etiam in actu primo omnes gratias generi humano redimendo acquirendas. Ratio vero differentiae est, tum in ipso universali B. V. Mariae munere Matris Dei, omnium Redemptoris, huius in redemptione consortis, atque omnium matris spiritualis, tum quia ipsa sola cooperata est ad ipsum opus redemptorium ; quare ex ipsa natura eius muneris et activitatis, haec naturaliter tendit in profectum omnium redemptionis.

Haec conlusio non videtur esse nisi applicatio doctrinae generalis de conditionibus ad verum meritum de congruo, fundato scil. in iure amicabili quo, dum unus explet voluntatem alterius, iste convenienter tenetur implere voluntatem seu desiderium prioris. Unde alii dicunt moraliter certam, alii etiam simpliciter certam, alii habent ut veram conclusionem theologicam, alii imo ut formaliter implicite revelatam. Quod ultimum non sufficienter constat, quia ad meritum infallibile requiritur promissio divina, promissio autem explicita deest.

176. B. Virgo vere est mediatrix, quia compassione sua pro nobis satisfecit, imperfecte quidem et de congruo, dum Christus satisfecit de condigno. — Meritum est fundamentum praerequisitum satisfactioni ; unde, cum in Maria sit meritum congruum nostrae salutis, nihil impedit quominus admittatur et satisfactio congrua, dummodo opus meritorium simul sit afflictivum, laboriosum et poenosum, ac intendatur in reparationem peccati.

Atqui illas conditiones verificari in Maria, non est dubium : ex eo quod facta est Mater Dei-hominis-redemptoris atque consocia, ipsi fuit coniuncta in humilitate, paupertate, laboribus, lacrymis, atque cum illo passa est et in cruce Filii quasi commortua ; quae omnia ordinavit, conformiter ad voluntatem Dei, in opus nostrae redemptionis et salutis.

Ergo nihil impedit quominus dicatur pro omnibus nostris peccatis de congruo satisfecisse.

Cuius satisfactionis computanda est magnitudo, tum ex magna B. Virginis charitate, tum ex alta dignitate Matris Dei, plenitudine gratiae eminentiore ac summa puritate, tum ex magnitudine dolorum.

Hinc Albertus M., Mariale, q. 43, § 2 : « Beatissima Virgo assumpta est in salutis auxilium, et in regni consortium : ipsa enim sola, ministris fugientibus, compassa fuit. Unde et sola regni consortium obtinet, quae *laboris adiutrix* fuit, iuxta illud : Faciamus ei adiutorium simile sibi » ; et q. 150 : « Et sic sola fuit, cui datum est hoc privilegium, scil. *communicationis passionis*, cui Filius ut dare posset praemium, voluit communicare passionis meritum, et ut ipsam participem faceret beneficii redemptionis, *participem esse voluit et poenae passionis ;* quatenus sicut *adiutrix redemptionis per compassionem*, ita mater fieret omnium per recreationem : et sicut totus mundus obligatur Deo per suam passionem, ita et *Dominae omnium per compassionem* ». Et Leo XIII, enc. *Iucunda semper*, 8 Sept. 1894 : « consors cum Christo existit *laboriosae* pro humano genere *expiationis* » ; Benedictus XV, litt. *Inter Sodalicia :* « ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua... placandaeque iustitiae, quantum ad se pertinebat Filium immolavit, ut dici merito queat ipsam cum Christo humanum genus redimisse » ; a Pio X, enc. *Ad diem illum*, 2 Feb. 1904, vocata fuit *reparatrix perditi orbis ;* et a Pio XI, enc. *Miserentissimus*. Ita et olim Patres et Scholastici dixerunt nomine reparatricis vel alius aequivalentis : adiutricis redemptionis, salvatricis, recuperatricis, propitiatorii, regeneratricis. Hisce omnibus et similibus terminis expresse aut aequivalenter, vel implicite aut virtualiter, significatur eius interventus satisfactorius in cooperatione ad redemptionem ; redemptio ceteroquin *essentialiter* est opus satisfactorium.

In B. Virgine satisfactio seu iniuriae illatae recompensatio, aeque ac meritum, non est, sicut est in Christo, condigna seu aequalis, et perfecte sufficiens, imo infinite superabundans, — nec absolute prima a qua omnis alia dependet, — nec omnino universalis in totam naturam ; sed solum congrua, utpote inaequalis et imperfecte sufficiens, ac secundum acceptationem ; — secunda, utpote subsequens Christi satisfactionem, — et particularis in determinatos homines, at nihilominus relative prima et universalis, quantum ad omnes homines lapsos existentes : praeteritos, praesentes et futuros. Hinc non est de se et absolute necessaria, nec ullum valorem satisfactioni Christi addere potest, sed solum de congruo, ut impleatur dispositio Dei, qui bene voluit ut coniunctim cum Christo mater eius aliqualem satisfactionem et pro suo genere praeberet.

177. Conclusio. — Christus igitur a suo in mundum ingressu, et summo erga Patrem amore, beneplacitum eius implere statuit, et hac sua voluntate semper continuata, totam vitam omnesque actus, non quidem separatim, sed ut in passione et morte connexos eaque complendos et consummandos, ad nostram salutem deputavit ; quo facto speciali ratione cruento crucis sacrificio redemptionem adscribere Scripturae solent[1]. Pariter B. Virgo, initiali sua consensione in Salvatoris adventum opusque redemptorium numquam revocata, omnes actus quibus Filio in vita et opere concursum praebuit ad nostram salutem deputavit, sed ut cruentae morti Eius connexos eaque complendos. Et ideo, sicut initiali consensu iam cepit esse mater nostra et adiutrix redemptionis, ita sub cruce cooperationem perfecit et consummavit, ut iam perfecta mater redemptorum ab ipso Christo designata, in perpetuum de salute nostra sit sollicita.

In cruce ergo Pontifex Novae Legis : 1° ut Deus-homo, sui oblatione pro peccatis condignam ac infinitam reparationem abundantissime obtulit ; 2° caput generis humani, ob gratiae plenitudinem, omnibus et mereri et diffundere gratias salutis potuit ; 3° sacerdos in aeternum, eas quas praestitit satisfactiones et ea quae acquisivit merita, ad omnium salutem destinavit et deputavit, ac meritorum applicationem a Patre impetravit. Ita B. Virgo, sacerdotio Christi quasi ministerialiter associata, 1° ut Mater Dei-hominis dolorosa Filii sui oblatione, si non stricte aequivalentem, tamen magnam valde et congruam praebuit satisfactionem ; 2° gratia et summa erga Deum et homines charitate plena, pro omnibus congrue meruisse dicenda est ; 3° iam Mater omnium redemptorum facta, suam ad sacrificium crucis cooperationem in humani generis salutem ordinavit et destinavit, eiusdemque sacrificii fructuum applicationem una cum Filio a Patre impetravit.

178. Animadversiones.

1° Meritum et satisfactio Mariae non nocent infinito

1. Mt. XX, 28 ; Rom. V, 10 ; Hebr. II, 11 ; I Petr. II, 18.

merito et satisfactioni superabundanti Christi. Sed e contra ostendunt huius meriti et satisfactionis magnitudinem ac virtutem, quae eo potior est quod non tantum potuerit mereri et satisfacere pro nobis, sed etiam valeat efficere ut et B. Virgo pro nobis meruerit et satisfecerit, ex virtute scil. meritorum Christi.

Omnis scil. mediatio Virginis essentialiter est subordinata uni mediationi Christi, cui innititur et a qua dependet et totum suum valorem ac virtutem habet; quapropter omnis mediatio Virginis affirmat et honorat unam mediationem Christi.

2° Etsi dubitari posset de B. Virginis satisfactione ac merito pro aliis, vel istud negaretur, aut haberetur ut explicatio solum probabilis, aut diceretur B. Maria, non quidem meruisse generalem acquisitionem gratiarum, sed tantum earum applicationem mereri singulis faciendam, certa tamen maneret mediatio illius in redemptione, quia constat huic operi vere esse cooperatam.

In hoc casu, cooperatio illa esset B. Virgini meritum proprium, non autem haberet pro nobis causalitatem meriti et satisfactionis; sed inde non amitteret omnem verum causalitatis influxum in opus redemptorium. Meritum ac satisfactio pro nobis possent ab aliquibus videri mera quaedam explicatio theologica influxus Mariae, dum vera cooperatio eius pertinet ad depositum fidei. Licet tamen etiam sustineri posset causalitatem meriti et satisfactionis in vera cooperatione implicite contineri; sed id non omnibus cum sufficienti certitudine constat.

Opera enim bona, dummodo meritum sit possibile et conditiones requisitae adsint, connaturaliter illud merentur ad quod ab agente destinantur, et ad quod ex natura aut ex voluntate Dei tendunt. Sed cooperatio B. Virginis ad redemptionem, ex voluntate eius destinatur, et ex natura rei et voluntate Dei tendit ad redemptionem et salutem hominum. Ergo cooperatio B. Virginis, datis conditionibus, id connaturaliter mereri dicenda est.

3° Totum opus redemptorium pendet ab initiali B. Virginis consensu, et hoc est solida basis eius ad totum illud opus cooperationis.

Quare non est fingendus novus Matris consensus a Filio ante passionem expostulatus et a Virgine formaliter in passionem praestitus, quia Filium id expostulasse demonstrari nequit;

et in hypothesi quod consensum non dedisset, Filius nihilominus redemptionem perfecisset. Sed ab initiali consensu in adventum Redemptoris et in totum opus redemptorium ab eo consummandum, ab initiali hoc Mariae et irrevocabili consensu nec umquam revocato, totum opus pendet; licet etiam admittendum B. Virginem in consensu firmiter perseverasse eumque saepius expresse confirmasse ac in virtute illius permanentis consensus ad crucem Filii adstitisse, eum offerens pro salute mundi.

4° Ob cooperationem B. Virginis ad opus redemptorium, vocari iam solet *Coredemptrix*. Terminum minus probandum dixerunt plures, quorum et nos fuimus [1], quia secundum etymologiam videtur aequivocus. At significatio terminorum maxime pendet ab usu. Nunc autem, iuxta usum iam receptum, terminus ille iam habet significationem omnino rectam merae ad opus redemptorium subordinatae cooperationis; saltem in pluribus linguis. Unde nihil amplius prohibet quominus in his linguis eo utamur; in aliis autem potest addi pro opportunitate declaratio veri sensus : nimirum quod B. Virgo secundario sit cooperata nostrae redemptioni, et quidem stricto et formali sensu, quatenus humanam vitam Christi et sanguinem dedit pretium redemptionis, et illud etiam cum Christo et per Christum obtulit in generis humani liberationem a diabolica servitute.

Terminus tamen coredemptrix non est valde antiquus, cum non videatur anterior saec. XVI; Maracci (a. 1694) nondum novit illum, licet tamen a Salmeron († 1585) adhibeatur. Sed antea habentur verba quasi aequivalentia, ut adiutrix redemptionis, aut importantia quamdam praedictae doctrinae allusionem, ut cum dicimur per Mariam redempti, aut Filius per eam redemisse mundum : ita locuti videntur Modestus Hier., enc. in B. V.; Ioannes Dam (?), hom. in Ann. B. V. M.; Petrus Dam., serm. 45; Anselmus, or. 54; Albertus M., Mariale,q. 29, § 3; 45, § 2; 78 et 150; Bonaventura, de donis Sp. S., coll. 6, n. 5, 14, 16, 17. Ultimis autem annis fuit vox adhibita a Romanis Congregationibus, v. g. S. Rit. C. 13 Maii 1908, et S. Off. 12 Aug. 1913; et ab ipsis Pontificibus. Proclamavit Leo XIII, litt. ap. *Parta humano generi*, 8 Sept. 1901, quod Maria *redemptionis humanae facta est particeps*; Benedictus XV, litt.

---

1. *Rev. Eccl. de Liège*, X, 1 : *Mater divinae gratiae; Quid senserit S. Thomas de mediatione B. Virginis*, in *Xenia Thom.*, 1924.

ap. *Inter Sodalicia*, 22 Mart. 1918 : « Ita cum Filio patiente et moriente passa est et pene commortua, sic *materna in Filium iura* pro hominum salute *abdicavit*, placandaeque iustitiae *quantum ad se pertinebat Filium immolavit*, ut dici merito queat *ipsam cum Christo humanum genus redemisse* » ; Pius dein XI, litt. ap. *Explorata res*, 2 Feb. 1923, asserit assistentiam B. Mariae Virginis in vitae discrimine prohibere mortem sempiternam ; idque esse sententiam Doctorum Ecclesiae, sensui populi christiani congruentem et perpetuo comprobatam experimento : idque autem « ea potissimum causa innititur quod *Virgo perdolens redemptionis opus cum Christo participavit* », ut ceteroquin Benedictus XV, l. c. *aptissimis verbis explanavit*. Nam, addit in ep. *Auspicatus*, 28 Ian. 1923 : « ideo Christi Mater delecta est, ut redimendi generis humani consors efficeretur ».

5° Recenter nonnulli ulterius progressi, insinuare vel et asserere non dubitarunt B. Virgini meritum de condigno esse adscribendum nostrae salutis, licet subordinate ad Christum et per gratiam ab eo acceptam[1]. Id tamen non videtur admittendum. Et sane :

a) Certissime Maria non potuit pro peccatis nostris satisfacere de condigno, cum sola persona divina possit adaequatam recompensationem praebere peccati, quod est infinitum sub ratione offensae, scil. « quia peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinae maiestatis : tanto enim offensa est gravior quanto maior est ille in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis habeat efficaciam infinitam, utpote Dei et hominis existens » III, q. 1, a. 2, ad 2.

b) Unde in ordine praesenti naturae lapsae, Maria nec potest nobis de condigno mereri gratias salutis, nisi prius aut simul pro peccatis satisfecerit quibus a salute homines excluduntur ; quod ipsi possibile non est.

c) At, etiam si fingatur remotio iam facta peccati ex redemptione satisfactoria Christi, nec potuit de condigno mereri nobis gratias salutis, quia ad hoc requireretur gratia capitis.

1. Ita cl. prof. Lovaniensis Lebon : *La B. Vierge Marie, médiatrice de toutes les grâces*, 2 opusc. excerpta ex eph. *La Vie dioc.*, Iul. et Dec. 1921; Fernandez, *De Mediatione B. Virginis secundum doctrinam S. Thomae*, in *Ciencia Tom.*, 1928 ; Cuervo, ib., 1938.

Qualis est in Christo, « cuius meritum se extendit ad alios, in quantum sunt membra eius... Alii de plenitudine Christi accipiunt non quidem fontem gratiae, sed quamdam particularem gratiam. Et ideo non oportet quod alii homines possunt aliis mereri, sicut Christus » III, q. 19, a. 1. « Et ideo *nullus* alius alteri ex condigno meretur, sed solum ex congruo » I-II, q. 114, a. 6. Ergo non potuit Maria nobis mereri de condigno ; ut iam diximus. Christus habuit gratiam universalem et capitalem, non ad sibi merendum vitam aeternam, qua nativo iure a primo instanti gaudebat, sed ad nobis merendam ; Maria recepit gratiam particularem et personalem, gratiam dignae Matris Dei, qua sibi meretur vitam aeternam. Nam in tota traditione, denominatio Capitis stricte reservatur Christo,novo Adam, nec ullus umquam ita vocatus fuit : vocatur quidem B. Maria, collum, cor, aquaeductus, canalis, fluvius, non caput.

Et licet, iuxta S. Thomam, Christus potuisset tantam gratiam ac suam potestatem excellentiae ministris v. g. sacramentorum communicare, de facto eam non communicavit, ne « divisio in Ecclesia oriretur... et multa capita in Ecclesia essent » III, q. 64, a. 4. Unde Deum talem potestatem nobis merendi de condigno fecisse B. Virgini, est in alio ordine providentiae stricte possibile ; at in ordine praesenti non est affirmandum, quia ad hoc deest omne solidum et probabile fundamentum. Illorum scil. qui affirmant, est assertionem suam bonis munire argumentis.

Mallent plures meritum de condigno, tum quia Christus et B. Virgo unum actum posuerunt et per modum unius, ad modum quo duo unum donum faciunt, unum et idem sacrificium obtulerunt, quatenus B. Virgo iura materna in corpus et vitam Filii, sicut ipse propria iura abdicavit propter salutem nostram, — tum quia Deus, ordinando B. Virginem redemptioni et ipsi crucis sacrificio esse cooperaturam, eo ipso hanc cooperationem acceptavit ita ut infallibiliter obtineret praemium nostram salutem.

Haec tamen rem non evincunt. Praetermisso quod ius maternum in corpus Filii non sit *strictum* et rigorosum *iustitiae*, sed aliquale ius, praesertim si filius sit sui iuris, maxime si sit persona divina ; — insuper notandum est ad meritum condigni, nisi placitis nominalium velimus adhaerere, non sufficere ordinationem et acceptationem Dei, sed et requiri *aequivalentiam operis seu intrinsecam proportionem ad praemium*, qua id *ex iustitia* debeatur[1]. Utrumque elementum scil. est necessarium :

1. Cfr. S. Thomas, I-II, q. 114, a. 1, a. 3 et ad 3 ; II Sent., d. 27, q. 1, a. 3 ; III Sent., d. 18, q. 1, a. 2. — Iuxta placita nominalium loquitur scotista C. Del Moral, qui iam adstruere conatur meritum condignum, in opere : *Fons Theologiae scoticae marianae e paradiso*

sicut aequivalentia operis non sufficit sine acceptatione divina, ita nec infallibilis promissio aut acceptatio divina extrinseca est sufficiens sine intrinseca aequivalentia operis, quia non potest efficere quod opus inaequale sit aequale. Iamvero intelligitur quod actio capitis aequivaleat aliquo modo gratiae omnium membrorum eius, sed nullo modo id concipi potest de actione alicuius membri quoad alia membra. — Praeterea, ad meritum non tam facit *effectus externus* quam *actus* quo producitur, et non tam actus *exterior* quam actus *interior* voluntatis [1]. Christus autem et B. Virgo ad eumdem effectum concurrerunt, sed diversimode: Christus, ut homo, perfective, dum externe ordinavit de propria vita, mortem, quam humano imperio ac potestate instrumentali impedire poterat, permittendo; Maria dispositive, dum Filii morti consensit et iura materna, quantum est de se, in eum abdicavit, quod poterat esse conditio vel et dispositio Filium inducens ad mortem subeundam. Unde solus Christus vere et proprie *actionem externam sacrificalem* crucis exercere et immediato influxu voluntatis perficere potuit, Pontifex Novae Legis; dum Maria sacrificio a Filio oblato consentiendo solum concurrit, et ita minus proprie illud obtulit *interna* voluntate, quam etiam sua assistentia manifestavit. A fortiori unum sane actum voluntatis non posuerunt, sed iste differt tum intrinseca dignitate personae offerentis, tum diversa plenitudine gratiae et charitatis sub cuius motione offertur, tum missione et destinatione agentis, cum solus Christus sit caput humanitatis regeneratae, atque solus sacerdos [2].

---

latices suos ubertim effundens, Madrid, 1730, de quo confr. K. BALIC, *Die sekundäre Mittlerschaft des Gottesmutter*, in *Wissenschaft und Weisheit*, 1937. Eadem placita non videntur extranea menti quorumdam modernorum. Sed, ut diximus, tunc meritum condignum vocatur at non est; est condignum nomine, non re. Vide n. 105.

1. S. THOMAS, I-II, q. 18, a. 6; q. 19, a. 1 et 2; q. 20, a. 3 et 4.

2. B. Virgo non est sacerdos quia, ut ait Albertus M., Mariale, q. 42: « non est assumpta in ministerium a Domino, sed in consortium et adiutorium » ut universalis causa salutis; unde si ab aliquibus id dictum fuerit, intelligendum est improprie. Hinc, die 15 Ian. 1913, S. Off. decrevit imaginem B. M. V. vestibus sacerdotibus indutae esse reprobandam; die 29 Martii-8 April. 1916, decrevit devotionem erga Virginem-Sacerdotem non esse propagandam; die 10 Mart. 1927, occasione cuiusdam articuli eph. *Palestra del Clero* scripsit ad episcopum Adriae, monendo articulum non esse conformem decreto supradicto. Et quamvis Maria crucis sacrificio adstitit et *quasi* ministra concurrit, non tamen proprie illud obtulit tamquam sacerdos. Sacrificium non tam est ipsa hostia, victima, donum oblatum, quam ipsa actio sacra offerendi et sacrificandi: sacrum facere. Huic consensit, in corde suo compatiendo obtulit, sua assistentia hanc intentionem manifestavit, at corpus et sanguinem ac vitam Filii non obtulit immediate sed nonnisi mediante Filio, ipso N. Legis Sacerdote.

179. Obiiciunt:

1° Solus Christus potuit nos redimere. Ergo Maria non potest redimere nec esse coredemptrix.

Resp.: Solus Christus, non vere Maria, potuit nos redimere, *dist.*: per se, de condigno et perfective, *conc.*; imperfecte, de congruo et per alium, *nego*.

Maria non potuit de condigno satisfacere pro peccatis, sufficienter, ac redemptionem perficiendo; sed id potuit insufficienter, de congruo, ac per Christum et vi meritorum Christi. Ergo non est redemptrix principaliter et perfective, sed quodam modo secundario et subordinato, atque dependenter a Christo.

2° Maria ipsa est redempta; ergo non potest esse mediatrix in redemptione nec coredemptrix.

Resp.: *Dist.*: non potest esse mediatrix in sui redemptione, nec coredemptrix sui, *conc.*; non poteat esse mediatrix nec coredemptrix aliorum, *nego*.

Maria non potest esse sui mediatrix, quia non est media in coniungendo se Deo sed una extremorum, nec redempta potest esse sui coredemptrix, quia tunc respectu sui redemptionis se haberet simul ut effectus et ut causa; sed nihil impedit quominus, a Christo redempta, sit simul mediatrix et coredemptrix aliorum. Sic etiam non potuit de congruo mereri quae Christus sibi meruit, ut exaltationem in coelis et sessionem ad dexteram Patris; nec quae Christus solus meruit Mariae, ut immaculatam conceptionem et gratiam initialem; sed de congruo promeruit *nobis* quae Christus nobis meruit de condigno.

Ceterum ipsa non est redempta eodem modo ac nos, sed modo eminentiore, utpote praeservata ab omni peccato; nos vero sensu strictiore, quia peccati maculati sed ab eo liberati. Ergo praeservata a peccato, potest partem habere in liberandis ac redimendis aliis a peccato [1].

---

1. Ne tamen immaculata conceptio et praeservatio a peccato existimetur omnino necessaria, ut B. Virgo possit esse mediatrix. Nam, ut habet Capreolus, III, *Defensiones theologicae S. Thomae*, d. 3, q. 1, a. 2: « Arguunt alii (apud Ioannem de Neapoli, Quodl. I, q. 11): « 3° Quia, sicut Christus fuit perfectissimus mediator, et B. Virgo fuit convenientissima mediatrix. Sed hoc non fuisset, si ipsa aliquam culpam incurrisset, quia convenientius potest aliquis placari per illum qui numquam offendit, quam per eum qui post offensam reconciliationem obtinuit. Ergo ». — Ad 3m respondet idem (Ioannes de Neapoli) quod «mater Dei fuit convenientissima mediatrix sub Christo et non de pari. Vel dicendum, quod conveniens mediator est ille qui est gratus offenso,

3° Redemptio est opus unum et indivisibile. Ergo si ipsa Maria est redempta, ac proin non sui coredemptrix, nec est coredemptrix aliorum.

Resp. : *Dist.:* Redemptio est opus unum et indivisibile secundum causam principalem et perfectivam, *conc.;* secundum causam secundariam et subordinatam ac secundum effectus, *nego.* Unum agens principale potest uti una vel pluribus causis ministrantibus, et sic opus in se unum esse divisibile secundum diversas actiones causarum subordinatarum et diversos effectos per eas diversimode derivatos.

Christus itaque singulari modo redemit B. Virginem, et simul, ipsa cooperante, alios homines omnes ; ita ut praeintelligatur redemptio praeservativa Virginis ad actionem eius mediativam et coredemptivam pro aliis : ratione prius et eminentius redempta, potest simul tempore adiuvare ad communem redemptionem omnium aliorum a peccato liberandorum. Simul ac satisfactio meritoria Christi redemptionem et salutem eius est operata, valore eiusdem satisfactionis satisfactionem propriam cum ipso pro aliis contulit.

4° Ubi duae causae subordinatae ad eundem effectum concurrunt, totum effectum necesse est utramque producere. Ergo B. Virginem cooperatam esse redemptioni aut meruisse cum Christo omnia bona salutis nullatenus est affirmandum, cum nec suam propriam gratiam, nec pro Christo gloriam et corporis exaltationem mereri potuit. Quodsi ad aliquos effectus eius influxus dicatur limitandus, arbitrarie ita fieret, ita ut ulterioribus limitibus posset subiici ; et sic iam nullum est fundamentum dicendi B. Virginem esse mediatricem in ipso opere redemptionis.

Resp. : a) *Nego suppositum,* scil. principium esse applicandum ; et b) etsi applicaretur, *nego consequentiam.*

a) Principium invocatum praecipue valet de causa efficiente principali et instrumentali, dum Maria, pluribus saltem actibus, solum praevie operetur ac dispositive ad actum Redemptoris ;

---

sive ipsum quandoque offendit, sive non. Unde B. Virgo, quia plus habuit de gratia quam aliqua alia fuerit creatura, fuit convenientissima mediatrix, dato quod quandoque fuerit filia irae, praecipue cum fuerit mediatrix pro hominibus ». Haec ille, et bene ».

unde responderi potest : B. Virgo ad omnes omnino fructus redemptionis acquirendos sine ulla exceptione esse cooperatam, cum eius consensus in adventum Redemptoris et sacrificium redemptorium Crucis conditio fuerit et causa operis redemptorii : si enim ipsa non consensisset, Christus non venisset nec salvasset. Id autem non est opinio quaedam theologica, sed revelata veritas de qua, propter apparentes quasdam difficultates, dubitare non est theologi, sed reverenter eam accipere, eique alias nostri cognitiones naturales conformare ac reformare. « Maria, ait Irenaeus, adv. haer. III, 22, obediendo et *sibi* et universo generi humano facta est *causa salutis* ».

b) Exinde tamen quod ipsa quodammodo fuerit totius operis causa *effectiva,* non legitime posset concludi quoad omnia quoque fuisse causam *meritoriam,* sed tantum illorum quae mereri non repugnat, quibusque merendis ipsa erat ordinata. Axioma solemne est in theologia : *Principium meriti non cadit sub merito*[1]. Et ideo mereri nequivit propriam redemptionem et gratiam, quam supponitur iam habere ad consensum meritorie praestandum, et quae consensum eius praecedit ; — et a fortiori mereri non potuit ipsum Redemptoris opus quod est principium totius meriti omnisque gratiae. Ipsam autem gloriosam resurrectionem et exaltationem Christi, B. Virgo mereri non potuit nec debuit, quia, adiutrix redemptionis, non fuit ad illas merendas ordinata, quippe quae non sunt effectus redemptionis *qua talis.*

In mediando itaque totaliter a mediatione Christi manet dependens, quia nonnisi ex virtute passionis et gratiae eius, cum ipso pro nobis quodammodo meruit et satisfecit, et quia Christus potuit mereri circumstantias incarnationis non necessarias, qualis est quod B. Virgo, non quidem mater Dei-hominis physice facta sit, sed quod libere et praesertim supernaturaliter ex charitate ad omnium salutem adventui Salvatoris et operi salutis consenserit.

5° Maria non est mediatrix, quia consensum dedit ut mediator adveniret et reconciliatio per illum fieret, sicut nec Deus est mediator, quia id voluit et volendo in hoc consensit.

Resp. : *Nego paritatem.*

Deus non est mediator, quia non medius inter ipsum et homines, sed unus extremorum ; nec potest satisfacere, nec mereri, nec acquirere gratias, nec intercedere, sed tantum condonare, absque mediatore aut per mediatorem, et gratias cau-

---

1. S. THOMAS, I-II, q. 114, a. 9 ; III, q. 2, a. 11.

sare et elargiri. Maria autem, a peccato liberata vel potius praeservata, electa Mater Dei ac plenitudine gratiae dotata, iam est media inter homines et Deum, et potuit consentire loco totius naturae humanae in adventum redemptoris et redemptionem, ac ita redemptorem ad eam dispositive movere, atque per ipsum et cum ipso quodammodo satisfacere et mereri, ac intercedere pro ceteris hominibus : sic deferendo satisfactiones generis humani, deprecationes et opera ad Deum, Deique dona, scil. condonationem et gratias ad nos.

6º B. Virgo non potuit immediate cooperari actui redemptorio, sed ad summum valde remote cooperata est, scil. physice ut ipsa incarnatio fieret. Ergo nullatenus est coredemptrix.

Hisce ultimis temporibus quidam multum loquuntur de cooperatione immediata, proxima et remota, sed non semper bene definiunt quid hisce terminis praecise intelligunt. In theologia morali solet de cooperatione sermo institui, praesertim occasione cooperationis ad peccatum ; at non omnes moralistae eadem utuntur terminologia. Iamvero, ut diximus[1], secundum rectum sensum verborum, cooperatio alia est *moralis* per influxum in voluntatem causae principalis ; alia *realis* et physica per realem influxum, partialiter causando cum principaliter agente actum vel effectum. Realis autem est *immediata*, qua cooperans cum principali agente exequitur actum, v. g. furti aut homicidii, ut si duo unam rem alienam portando auferunt, aut unum duo simul ex alto proiiciunt vel sub aqua tenent ; — vel *mediata*, qua cooperans aliquid subministrat quod alteri inservit ad opus aliquod agendum aut facilius agendum, v. g. scalam aut clavem tradendo furi, aut ipsi aperiendo fenestram : quae cooperatio potest esse plus minusve *proxima* vel *remota*, prout medium subministratum plus minusve influat et maiorem minoremve habeat cum opere principalis agentis connexionem. Praeterea, alia ratione distinguitur cooperatio *formalis*, qua cooperans ut finem intendit ipsum opus agentis, et mere *materialis*, qua id, licet praevideat, tamen non intendit sed aliud, v. g. lucrum obtinendum aut incommodum vitandum.

Hisce itaque distinctionibus in sensu praedicto positis, dicimus :

Resp. : a) Virgo non potuit *immediate* cooperari ipsi actui redemptorio, nam non potuit immediate disponere de carne, sanguine, vita Filii, quod est pretium redemptionis,

1. Cfr. nostra *Summa Theologia Moralis*, I. n. 488 ; II, n. 309 sq.

sed tantum mediante Filio qui ipse immediate de se disponebat ; nec potuit immediate offerre ipsum sacrificium, seu exercere actionem sacrificalem, quia non erat sacerdos, sed solum mediante ipso Pontifice N. L. ; nec potuit elicere in Filio ipsum actum voluntatis quo ipse poterat de condigno pro nobis satisfacere atque mereri, sed solum proprio actu, mediante merito Christi, quodammodo ad redemptionem concurrere.

Quare qui illud intendunt confutare, tempus perdunt, cum nullus, quantum sciamus, id umquam serio asseruerit[1].

b) Attamen, non tam dicenda est cooperata ut fieret *incarnatio*, sed ut fieret *redemptio*, nec mere *physice*, sed omnino *libere*, consentiendo Angelo per actus humanos fidei, obedientiae et charitatis in hominum salutem, ut ipsi formaliter proponebatur. Sic nobis dedit Redemptorem qua talem, et redemptionem ; contulit pretium redemptionis : carnem, sanguinem, vitam Christi ; dedit victimam pro nobis sacrificandam. Hoc initiali consensu facta est vere adiutrix redemptionis, nec ita *remote* cooperata, sed *potius proxime :* non secundum distantiam temporis remota vel proxima distinguitur cooperatio, sed pro quantitate influxus in opus et cum eo connexionis. Consensus autem Mariae fuit omnino necessarius redemptioni, quae ab ipso tota dependet, cum sine ipso non esset , et ipso dato, certissime impleretur.

c) Initiali suo consensu numquam revocato sed irrevocabiliter permanente, Maria in cooperando perseveravit omnibus saltem actibus ad Redemptorem ordinatis : illum non tantum mortali carne vestivit qua hominum compararetur hostia, sed et lacte aluit, in templo obtulit, multis curis enutrivit et custodivit, et, in vita et laborum consuetudine numquam dissociata, stato tempore stitit

1. Ab aliquibus dicitur immediata cooperatrix, et quidem dici potest quatenus ipsa non solum remote, sed valde proxime, nec mediante alia persona, concurrit ad opus Redemptoris ; non autem quatenus ipsum opus Redemptoris immediate cum ipso peregisset et in ipso partes activas habuisset, sed solum mediate, consensu, voluntate, ac mediis praestitis in ipsum influit.

2. Id intelligendum iuxta praesens decretum : non loquimur iuxta decretum mere hypotheticum de eo quod fieri potuisset.

ad aram, ut ait Pius X, enc. *Ad diem illum*, 2 Febr. 1904. Ita semper magis, et stans iuxta altare crucis, in doloribus compassionis scil. consentiens morti Filii sui nos redimentis, *omnino propinque* dici potest cooperata, sicut pretium tribuens qua alter est soluturus et redempturus, et victimam adducens et quantum est de se offerens quam sacerdos est in sacrificium oblaturus ; non tamen cooperata est immediate, sed mediante Filio, quia ipsum actum redemptorium ac sacrificatorium non potuit eumdem cum Filio peragere.

d) Omnibus his non mere *materialiter* cooperatam esse, sed *formaliter* intuitu nostrae salutis, nemo est qui dubitet.

e) Cooperatione *morali* quoque concurrit, nam sicut Filius movebatur praecepto Patris ad obediendum, ita non potuit non moveri consensu matris in plena conformitate ad voluntatem Dei. Maria vehementer desideravit nostram salutem et ita Christum in terram adduxit, ideo consensum in redemptionem dedit, atque cruci Filii adstitit. Quibus Christus non potuit non attendere, sed connaturaliter movebatur : Maria itaque, consensu, desiderio ac affectu moraliter movebat et dispositive inducebat Filium ad redemptionem generis humani perficiendam.

Itaque B. Virgo cooperata est ut consentiens in illud sine quo opus non fieret ; ut mandans[1] aut consulens, cui Christus non attendere non potuit ; et ut participans sed mediate, quatenus medium praebens.

Praedicta forsan non fuerunt omnia ab initio explicite praedicata, sed ex adaequata et perfectiore penetratione parallelismi Eva-Maria, et ex profundiore analysi tum ipsius assistentiae Mariae sub cruce Filii, tum ipsius intimi affectus tam Christi quam Mariae, decursu saeculorum, ita mysterium intellexerunt christiana pietas, speculatio theologica ac intuitiva contemplatio. Quare illa declaratio indicare videtur sensum fidelium atque Ecclesiae.

180. Corollarium. — *Sicut Christus multis diversis modis fuit causa nostrae salutis, ita et B. Virgo hisce modis quodammodo participavit.*

1. Mandans non tantum est iubens, sed omnis qui mandato suo expresso vel tacito alterum movet ad opus suo nomine faciendum, scil. in sui i. e. mandantis gratiam, sive iubeat, sive solum roget.

Reparatio Christi secundum se, secundum diversos effectus et secundum diversum modum quo in eos influit, varios habet aspectus et multiplicem efficaciam seu causalitatem. Spectari potest :

a) *absolute in se* et secundum effectus immediatos :

1° *essentialiter*, primo et principaliter, et sic est *satisfactio* i. e. compensatio (secundum aequalitatem) pro offensa, cuius effectus directus est *negativus* scil. remotio offensae et ablatio reitatis quam homo peccando incurrit, indirectus est dispositio ad restitutionem gratiae, quae reatu offensae impediebatur ;

2° *radicaliter* in suo fundamento necessario, et sic est *meritum :* omnis enim satisfactio supponit valorem intrinsecum operis ad praemium obtinendum, quo valore dignum est retributione ab illo cui offertur ; imo satisfactio non removeret offensam nisi mereretur aliquid quod offensam directe expelleret : huius effectus directus est *positivus*, scil. recompensatio boni, in casu gratia et dona supernaturalia quae amisimus ;

b) *relative* secundum effectus consequentes, scilicet :

3° *quantum ad Deum* iratum et placandum, et sic est *sacrificium* cuius effectus est *positivus*, reconciliatio cum Deo ;

4° *quantum ad diabolum* in cuius servitutem incidimus, et sic est *redemptio* stricte dicta, cuius effectus est *negativus*, liberatio a servitute et restitutio in pristinam libertatem ;

c) *in applicatione* effectuum, habet modum specialem causalitatis, nam

5° non tantum causalitate morali influit in effectus, — quatenus intuitu meritorum Christi Deus det gratiam, aut ad deprecationem Christi, qui semper est vivens ad interpellandum pro nobis (Hebr. VII, 25), — sed etiam producit eos et applicat nobis per ministros et ritus a Christo institutos, et sic est *efficientia*.

In quantum igitur opus salvatorium passionis : 1° consideratur praecipue *in ipsa carne Christi*, ut opus poenale quod compensat iniuriam et aufert reatum praesertim poenae, agit per modum *satisfactionis* ; — 2° in quantum

praecise comparatur *ad liberam voluntatem animae* Christi bonam, et praemium obtinet scil. efficacem destinationem nostri ad vitam aeternam et supernaturalia dona, agit per modum *meriti;* — 3° in quantum excellentissimus actus latriae honorat Deum iratum et Deo unit et reconciliat, agit per modum *sacrificii;* — 4° in quantum liberat a servitute et captivitate diaboli quoad culpam et poenam, a qua viribus propriis liberari non poteramus, agit per modum *liberationis* et *redemptionis;* — 5° in quantum comparatur ad divinitatem Christi, cuius est instrumentum, et est causa productiva beneficiorum, agit per modum *efficientae.* Ita S. Thomas in III^a parte, per totam quaestionem 48, sed compendiose proponit, a. 6, ad 3. Quae longius declarantur in tractatu de Deo Redemptore.

Iamvero hisce diversis modis B. Virgo dici potest participare[1] :

1° *Per* modum *satisfactionis*, quia cum Christo passionem eius et suos dolores sustinuit pro peccatis nostris, magnam pro posse reparationem afferendo, non tamen plenam.

2° Per modum *meriti*, operibus pro nostra salute allatis, de congruo merendo quod Christus nobis meruit de condigno.

3° Per modum *sacrificii*, assistendo ipsi sacrificio Filii, interne in corde illud dolorose offerendo Patri quod Filius externe in cruce consummabat ad salutem nostram.

4° Per modum *redemptionis* stricte dictae, quia pretium nostrae salutis, scil. carnem et sanguinem et vitam Filii, nobis voluntarie genuit, et offerri consensit, Filioque mediante, Patri obtulit.

5° Per modum cuiusdam *efficientiae*, quia cum Christo interpellat pro nobis et deprecatione sua nobis gratias obtinet salutis, ac potestatem habet nomine Christi gratias dispensandi, quibus mediantibus nos sanctificat.

Quod et quomodo hoc fiet, in sequentibus dicemus.

1. Vide LÉPICIER, o. c., p. 3, c. 1, a. 3; MERKELBACH, *De invloed der nieuwe Eva op ons goddelijk leven*, in de *Standaard van Maria*, 1922; BITTREMIEUX, *De Mediatione universali B. Virginis*, 1926, p. 1, c. 4, a. 2 et 3; FRIETHOFF, *De Alma Christi mediatoris socia*, Romae, 1936, per totum.

Articulus III.

DEI MATER QUOQUE EST MEDIATRIX UT PERPETUA PRO NOBIS APUD DEUM ADVOCATA.

181. Status quaestionis. — B. Virgo vere est mediatrix, non solum peculiari sua ad opus redemptorium cooperatione, sed etiam potenti sua intercessione, quia ex hoc ipso quod Mater Dei-Redemptoris et nostri, una cum Christo, mediationem vero quodam modo exercuit in genere humano redimendo et in acquirendo generatim omnibus auxilia salutis, eo ipso titulum et munus habet, continua sua cum Christo intercessione, cooperandi quoque applicationi fructuum redemptionis ac dispensationi, singulis faciendae, omnium auxiliorum salutis.

Quod negant Protestantes; — aliqui quoque catholici non recte intelligunt, mediationem Mariae quasi adaequantes intercessioni sanctorum, qui non ex munere sunt deputati ad gratias salutis omnes et omnibus obtinendas, et quorum interventus non requiritur ad salutem, ita ut Mariae mediatio non sit singularis rationis sed solo gradu excellentior, dum tamen in toto opere salvatorio mediatrix constituta sit, officio et iure pro nobis legatione fungens apud Deum; — alii denique de universalitate huius mediationis dubitantes, eam incertam habent, vel ad summum admitti posse ut piam sententiam.

182. B. Virgo recte dicitur et est in coelis mediatrix intercedens inter Deum et homines, excellentissima quidem nobisque utilissima, et quidem ita ut omnium saluti provideat et omnes salutis gratias valeat obtinere, imo ut sine respectu ad eius intercessionem aut meritum nulla nobis post peccatum originale gratia dispensetur.

Declaratur: Duplex est Mariae interventus: remotus et habitualis, quo satisfaciendo meruit omnibus applicationem fructuum redemptionis; proximus et actualis, quo pro singulis intercedit et gratias iis obtinet. Differentia

enim est : satisfecit et meruit pro iis qui in V. T. praecesserunt, etiam intercedit pro iis qui in N. T. vivunt, partem habens in actuali gratiarum distributione, sed huius influxus usum completum, erga omnes scilicet et pro omnibus et singulis gratiis, non videtur habuisse nisi post suam in coelum gloriosam translationem.

A. *Prima pars* est *de fide*, scil. B. Virginem pro nobis, etiam singulis, intercedere eiusque suffragia nobis esse utilissima, ex dogmate generalis intercessionis sanctorum definito in Conc. Oecum. VII, act. 6 ; Const[I], sess. 8 ; et Trid., sess. 25 : contra Vigilantium qui tempore S. Hieronymi vivebat, et contra Lutherum et Calvinum ; unde Ecclesia cantat : *S. Maria, ora pro nobis.*

In picturis primaevis repraesentatur Maria sub figura orantis. Patres quoque aiunt eam intercedere :

1° *Implicite,* eo quod ipsa praedicetur *nova Eva* atque *mediatrix ;* non tamen nimis insistendum est in eo quod ab Irenaeo vocetur : *advocata Evae,* nam vox graeca quae huic correspondet, probabiliter est παράκλητα, i. e. consolatrix, protectrix, auxiliatrix.

2° *Explicite,* iam a fine saec. III : in Orat. sibyll. II, 331-339, et 305-312 ; et in l. IV Esdrae VII, 101 ; — saec. IV : ex Gregorio Nyss., in vita S. Gregorii Thaum. apparet fideles credidisse intercedere Virginem, et ex Gregorio Naz., or. 24 hom. in S. Cypr. ; — saec. V item ex op. Ephraemianis (t. III, gr. lat., p. 525-532) ; ex Proclo, or. 6, n. 17 ; ex hom. 6 Theodoti Ancyr (?), B. Virgo bonorum dispensatrix apparet actuali quoque tempore ; in Basilio Sel., or. 39, fiducia exprimitur in B. Virginis intercessione ; in vita Mariae Aeg., 23, 25, incerti auctoris, ipsa orat ut B. Virgo intercedat ; — saec. VI vel VII : Ioannes Moschus, Prat. spirituale, 75, 180, 45-48, et Sophronius Hier., in S. Deip. Ann. 48, narrationes habent potentis interventûs Mariae, atque idem habent Modestus Hier., Enc. in B. Virg., n. 6 et Romanus Mel. in hymnis ; Ioannes Thes., hom. de Dorm. B. M. V., 5, 8 ; — saec. VIII : Ioannes Dam., hom. 1 in Dorm. ; Germanus Const., hom. in Praes. S. Deip. ; hom. 2 in Dorm. B. M. V. ; in S. M. Zonam. ; Andreas Cret., in Nat. B. M. V. hom. 4 ; in Ann. B. M. V. ; in Dorm. B. M. V. ; item in Triod. mai. hebd., et can. in Med. Pent. od. 1 ; — saec. IX : Theodorus Studita, or. 5 ; — saec. X : Euthymius, Enc. in Conc. S. Annae.

Eodem modo in Occidente, Petrus Chrys., serm. 140 ; Fulbertus Carn., serm. 5 et 6 in Nat. M. V. ; Anselmus, or. 46 et 51 ;

Eadmerus, de Exc. Virg. c. 12 ; Bernardus, serm. in Nat. B. M. V. ; Albertus M., Mariale, q. 29, § 2 ; Bonaventura, serm. 4 et 5 in Ann. B. M. V. ; Thomas Aquinas, comm. in Ioan. II, lect. 1, n. 2.

B. *Secunda pars* est *certa,* ex perpetua Traditione, scil. praepotentem Mariae intercessionem nullatenus coarctari ad quoddam genus, sed nobis posse obtinere cunctas gratias salutis, nullumque absque ea salvari. Unde Ecclesia orat : *Sentiant omnes tuum iuvamen !*

Iraenaeus, adv. haer. III, 22, eam vocat *causam universalem salutis.* Alii explicite enumerant omnis generis gratias easque adscribunt Mariae, aut agnoscunt praepotentem suam intercessionem : Cyrillus Al., Enc. in S. Mar. Deip. ; hom. 4 in Nest. ; in Ioan. l. 2 ; opera Ephraemiana, Praec. 2 et 4 ad Deip. (t. III, gr. lat., 511, 537, 540), Sophronius, Triod. ; serm. de Ann. Deip. ; Ioannes Dam. (?), hom. in Ann. ; Andreas Cret., serm. 3 in Dorm. ; Triod. mai. hebd. ; Germanus Const., hom. in S. Deip. praes. ; in S. Zonam ; 2 in Dorm. ; Tarasius, in S. Deip. praes., 15 ; Theodorus Stud., or. 3 in Dorm. ; Euthymius, Enc. in Conc. S. Annae ; Enc. in ven. Zonam Deip. ; Georgius Nic., or. 6 in S. Deip. ingr. ; Ioannes Euch., serm. in S. Deip. Dorm., 31-33 ; item menae graecae. — In Occidente, Petrus Chrys., serm. 140 et 142 ; Ildephonsus, de Perp. Virg. c. 12 ; Petrus Dam., (inter opera eius) serm. 45 et serm. 44, de Nat. 1 ; Fulbertus Carn., serm. 5 de Nat. M. V. ; Anselmus, or. 46 et 52 ; Eadmerus, de Exc. Virg., c. 12 ; Bernardus, serm. in Nat. B. M. V. ; hom. 2 in Missus est ; Richardus, a S. Victore, in Cant. ; Bonaventura, serm. 4 de Ann. ; Thomas Aquinas, serm. 23 de Purif. ex epistola.

Explicite ait Cyrillus Al. matre Dei *omnem spiritum fidelem salvari,* enc. in S. Mar. Deip. hom. 11 ; et Germanus Const., hom. 2 in Dorm. et in Zonam : *nullum obtinere gratiam aut salutem consequi nisi per eam.* Pariter Sophronius, Triod. ; Ioannes Dam. (?), hom. 2 in Ann. ; Andreas Cret., serm. 3 in Dorm. ; Tarasius, in S. M. Deip. praes. 15 ; ac inter opera Methodii, sermo de Simeone et Anna. In Occidente, Petrus Chrys., serm. 140 : *semper mater humanae praevia est salutis ;* Bernardus, serm. in Dom. infra Oct. Ass., n. 2 ; de 12 Praer. ; Anselmus, or. 52 ; Bonaventura, serm. 5 de Ann. ; Conradus a Saxonia, Speculum B. V. 8 ; Richardus a S. Laur., de Laud. B. V., l. XII, c. 2, n. 12 ; etc. Unde vocatur *mater viventium, causa omnium gratiarum.*

C. *Tertia pars* est sententia *communis et tuta,* conformis quoque praedicationi universali et ordinariae, quae in-

culcatur quoque a recentissimis Pontificibus[1] Leone XIII, Pio X, Benedicto XV et Pio XI. Item in sacra Liturgia innuitur, dum B. Virgo *mater divinae gratiae* nuncupatur et *ianua coeli*, vel ipsi verba applicantur Eccli. XXIV, 25: *In me omnis gratia viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis;* atque explicite affirmatur in postcommunione missae festi *manifestationis B. M. a sancto numismate* (27 Nov.) novoque officio et missa *B. M. V. omnium gratiarum mediatricis* (31 Maii) recenter concesso[2]. Unde ab hac sententia recedere esset ad minus *temerarium*. Ceterum in traditione Ecclesiae fundamentum habet, et communiter est recepta tamquam conformis theologiae principiis.

Ita saec. V : opera Ephraemiana, l. c. ; et Cyrillus Al. hom. 4 et 11, *omnia* Mariae interventui tribuuntur, etiam beneficia praesentia, ac salus a fidelibus nunc obtinenda ; — saec. VI : Modestus, Enc. in B. V., n. 6 et 10 ; — saec. VII : ps.-Epiphanius, serm. de Laud. S. M. Deip. ; Sophronius, Triod. ; — saec. VIII : Ioannes Dam., hom. 1 et 2 in Dorm. ; idem (?), hom. in Ann. et Nat. ; Germanus Const. ait : *Nemo per misericordiam donum consequitur nisi per te ;* unde eam dicit *Bonorum omnium conciliatricem*, hom. 1 et 2 in Dorm. ; cfr. in S. M. Zonam ; — saec. IX : Theodorus Stud. or. 5 (implicite) ; Iosephus Hymn. (P. G., CV, 1187-90 ; 1287 ; 1343 ; 1358) ; Ioannes Geom., or. in Ass. ; Leo Sap., serm. de Deip. Ann. ; — saec. X : Euthymius, Enc. in Zonam.

1. Ita LEO XIII, in enc. *Octobri mense*, 22 Sept. 1891 : « Nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, nobis impertiri » ; — in enc. *Iucunda semper*, 8 Sept. 1894 : « Quod Mariae praesidium orando quaerimus, hoc sane, tamquam in fundamento, in munere nititur conciliandae nobis divinae gratiae, quo ipsa continenter fungitur apud Deum..., hac... conciliationis et deprecationis lege... : Omnis gratia quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum. Nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensatur ; ... Deus... totum nos habere voluit per Mariam » ; — in enc. *Adiutricem populi*, 5 Sept. 1895 : « Ut quae sacramenti redemptionis administra fuerat, eadem gratiae ex illo derivandae esset pariter administra, permissa ei pene immensa potestate » ; — PIUS X, enc. *Ad diem illum*, 2 Feb. 1904 : « Promeruit illa ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret, atque ideo universorum munerum dispensatrix... potentissima mediatrix et conciliatrix... : princeps largiendarum gratiarum ministra..., thesauros promeritorum Iesu materno veluti iure administrat » ; — BENEDICTUS XV, litt. ap. *Inter sodalicia :* « Hac plane de causa, quas e Redemptionis thesauro gratias omne genus percipimus, eae ipsius perdolentis Virginis veluti e manibus administrantur », « gratiarum apud Dominum sequestris », ut ait litt. ap. *Locarni ;* — PIUS XI, enc. *Miserentissimus Redemptor*, 8 Maii 1928 : « Confisi apud Christum deprecatione, qui unus cum sit mediator Dei et hominum, suam sibi Matrem adsciscere voluit peccatorum advocatam gratiaeque ministram ac mediatricem ». « Ipsa enim Dei Parens, coelestium gratiarum administra », ait litt. ap. *Solemne semper*.

2. Tam in cultu publico Ecclesiae, quam in cultu privato fidelium, solet quoque Maria quasi sine intermissione et in omnibus precibus invocari, ut v. g. fit in variis partibus sacrificii Missae, in omnibus horis officii divini, et excitata campana ter in die repetita ad recitandam orationem *Angelus Domini...* ; a qua etiam petimus *exaudiri, ut salvemur*, ut *nostras auferat iniquitates*, imo ut *nostri misereatur*.

In Occidente : Petrus Chrys., serm. 142 et 146 ; Fulb. Carn., serm. 5 ; Anselmus, or. 47 ; Eadmerus, de Exc. Virg., c. 12 ; Petrus Dam. (inter opera), serm. 44 in Nat. 1 ; Petrus Cel., serm. 73 et 74 ; Amedaeus Laus., de Laud. B. Virg. ; Petrus Bles., serm. 1 et 2 de Ass. ; Bernardus, hom. in Virg. D. ; in Nat. B. V. ; de Aquaductu ; Hugo a S. Charo, Postillae in Luc. I, 27-28 ; 41-42 ; 48 ; in Eccli. XXIV, 6-11 ; 14-17 ; 40 ; Gulielmus Alv., de Rhet. div., c. 18 ; Richardus a S. Laur., de Laud. B. M. V., l. II, c. 1, n. 24 ; c. 3, n. 4 ; l. IV, c. 23 sq. ; l. IX, c. 15, n. 2 ; Albertus Magn., Mariale, q. 29, § 2 ; 33, § 2 ; 147 ; 164 ; Bonaventura, serm. 1 in Nat. D. ; Thomas Aq., serm. 32 de Ann. ex ep. ; serm. in Nativ. B. V. ; Iacobus a Vorag., serm. quadr. 2 de B. V. ; Peraldus, de Virtutibus et Vitiis, de spe, c. 3 ; Fr. de Rethsa, in Salve Regina, etc. Dein, omnibus notum est, ita asserunt Gerson, S. Bernardinus Senensis, S. Antoninus, Dionysius Carth., S. Thomas a Villanova, Salmeron, S. Bellarminus, Suarez, Contenson, Cornelius a Lapide, Ch. de Vega, Salazar, De Rhodes, Bossuet, Bourdaloue, Grignion de Montfort, Alphonsus a Ligorio, Plazza, Faber, Petitalot, Mgr Pie, Jeanjacquot, etc., etc.

Haec sententia quoque est theologice fundata, ut multiplici ratione ostenditur, sive 1° ex eo quod B. Virgo sit Mater Dei-hominis, sive 2° ex eo quod sit adiutrix redemptionis, sive denique 3° ex eo quod sit Mater nostra spiritualis.

183. Primum fundamentum et remotum est ex eo quod B. Virgo est Mater Dei-hominis. — Munus Matris Dei voluntarie acceptum certissime est fundamentum remotum, sicut omnium B. Virginis privilegiorum, ita et eius mediationis. Est enim fundamentalis ratio cur capax facta sit cooperandi Filio suo in opere redemptorio, et consequenter in applicatione meritorum et fructuum redemptionis. At etiam videtur esse titulus de se suf-

ficiens ad distribuenda cuncta bona et salutis auxilia. Ita apparet in christiana traditione :

a) Ut maxima dignitas quae purae competat creaturae et altioris sit ordinis omni dignitate creata, qua B. Virgo proxime accedit ad dignitatem Verbi incarnati, hancque aliquo modo participat, pertinens ad ipsum ordinem unionis hypostaticae : sicut enim Christus homo unitur ipsi esse divinae personae, ita et divina maternitas terminatur ad illud idem esse divinae personae, quae a matre tamquam filius possidetur ; nam « filiationis... relatio directe respicit personam[1] ».

b) Ut ratio cur B. Virgo universorum sit regina ac domina, participans regnum et universale dominium, quod incarnatum Verbum natum est exercere in totam creationem ut haeres universorum (Hebr. I, 2 ; II, 8).

c) Consequenter ut ratio quare materno iure B. Virgo disponere possit de omnibus bonis externis et donis Filii sui, ex hoc quod sit Dei parens omnipotentis.

Et sane : 1° Qui particeps est alicuius dignitatis, etiam connaturaliter participat huius privilegia. Ergo mater Dei quae propinquissime accedit ad Verbum Incarnatum et aliquo modo eius dignitatis est particeps, etiam connaturaliter participat potestatem eius regiam et universale dominium.

2° Nam Christus non solum ut Deus, sed etiam *ut hic homo* est Filius Dei naturalis[2]. Ergo *ut hic homo* habet ius ad dominium supremum in omnia creata, in cuncta bona et auxilia et dona aliquando saltem plene exercendum. Cuius ergo iurisdictionis et dominii *humana* Mater Dei connaturaliter est particeps.

3° Solet enim divina providentia, conformiter ad naturam rerum agens, inferiora subiicere entibus superioris ordinis ita ut ab his regantur, gubernentur et provideantur[3]. Ergo Mater Dei, in ordine gratiae cunctis superior, illos regit ut de eorum gratia provideat.

4° Id autem eo magis apparet, cum Filius Matri suae

1. S. THOMAS, III, q. 2, a. 7, ad 2.
2. S. THOMAS, III, q. 23, a. 4 ; q. 24, a. 2.
3. S. THOMAS, *C. Gent.*, II, 77-83 ; III *Sent.*, d. 3, q. 3, a. 2, qc. 1.

debeat se illud dominium tamquam hominem obtinuisse. A B. Virgine enim habuit Christus quod, *ut homo*, dominium supra omnes res et bona possideret, cum consensus Matris fuerit conditio et causa incarnationis. Ratione ergo gratitudinis filialis connaturale est matrem participare supremum dominium Filii, qui inde a conceptione et nativitate est omnium Dominus sicut ipsa vere est mater supremi Regis ac genitrix. Connaturale itaque ipsi est ius ad omnia Filii bona.

5° Sed nec satis. B. Virgo, ut esset digna mater Dei, facta est etiam *filia primogenita Patris* ac *finis totius creationis*, propter quem universa sunt condita. Si autem est finis universi, etiam destinata est regina et domina. Item, quia mater Filii, est *mater Salvatoris*, quem genuit ut esset redempturus mundum et dominaturus in universa ; unde ratione gratitudinis et filialis pietatis maternum ius in omnia sua bona et totam suam haereditatem Filius amantissime recognovit. Denique, quia mater Filii, demonstratur *sacrarium ac sponsa Spiritus Sancti* in ordine ad incarnationem redemptoris et redimendorum sanctificationem et salutem. Sed inter sponsum et sponsam plena datur communicatio bonorum. Ergo Spiritus sanctus communicavit etiam bona sua sanctificantia distribuenda[1].

Mariam, ratione divinae maternitatis, de iure esse universorum reginam ac dominam, illudque ius a Deo fuisse de facto

1. S. BERNARDINUS SENENSIS, *serm.* 5 *de Nat.*, c. 8 : « Cum tota natura divina, totum esse, posse, scire et velle divinum intra Virginis uterum extiterit clausum, non timeo dicere, quod in omnium gratiarum effluxus quamdam iurisdictionem habuerit haec Virgo, de cuius utero, quasi de quodam divinitatis oceano, rivi et flumina emanabant omnium gratiarum... Et quia talis est mater Filii Dei, qui producit Spiritum sanctum..., ideo omnia dona, virtutes et gratiae ipsius Spiritus sancti, quibus vult, quando vult, quomodo vult, et quantum vult, per manus ipsius administrantur ». Similiter, serm. 61, a. 1, c. 8 : « A tempore quo Virgo Mater concepit in utero Verbum Dei, quamdam, ut sic dicam, iurisdictionem obtinuit in omni Spiritus sancti processione temporali ; ita ut nulla creatura aliquam a Deo obtineret gratiam, nisi secundum ipsius piae Matris dispensationem ». Cui praeiverat CONRADUS A SAXONIA, *Speculum B. V. M.* c. 3 : « Cum tota natura divina intra Virginis uterum extiterit, non timeo dicere quod in omnes gratiarum effectus quamdam iurisdictionem habuerit haec Virgo, de cuius utero, quasi de quodam divinitatis oceano, flumina emanabant omnium gratiarum ». A quo S. Bernardinus hanc doctrinam mutuatus est.

recognitum, ipsa Pontificum agnovit doctrina[1] ex christiana traditione saeculorum. Quae iterum atque iterum eam conclamat in supplicando omnipotentem, ex hoc solum quod sit Dei parens omnipotentis ac ita dominium in bona Dei externa et dona possideat, etiam ubi nullo modo rememoretur aut innuatur eam habuisse partes in opere redemptorio et acquisitione gratiarum salutis. Imo explicita appellatio ad ius maternum multo frequentior et antiquior invenitur, prae iure dispensandi gratias Redemptori cooperando acquisitas.

Ita, inter alios, opera Ephraemiana (t. III, gr. lat., p. 528 sq. ; p. 531-537, 540; p. 575-576; ps.-Athanasius, serm. de Ann. Deip. n. 13-15 ; Sophronius, Triod. ; Ioannes Dam., de fide orth. IV, 14 ; hom. 1 et 2 in dorm. ; Andreas Cret., Triod. mai. hebd., od. 8 in 4 fer. ; Men. 7 apr. in Vesp. ; Germanus Const., in ingr. Deip. serm. 2 ; hom. 1 in Dorm. ; in Zonam ; — Theodorus Stud., Laud. in dorm. S. Deip. ; Georgius Nicom., or. 6 in S. Deip. ingr. ; Iosephus Hymnogr., (P. G., CV, 1187-90) ; Euthymius, (P. G., CXXXI, 1250) ; Men. 13 iul. od. 9 ad S. Aquil.

Petrus Chrys., serm. 142 ; Ildephonsus, de Perp. Deip. Virg., c. 12; inter opera Petri Dam., serm. 44; Anselmus, or. 46 et 52; Eadmerus, de Exc. Virg. c. 9 et 12 ; Rupertus, in Cant. l. 3, c. 4 ; Bernardus, serm. 1 de Ass. ; de 12 Praer. in Apoc. ; in Nat. de Aquaed. ; Petrus Bles., serm. 1 et 2 de Ass. ; Hugo a S. Charo, Postilla in Eccli. XXIV, 15 ; Albertus M., Mariale, q. 29, § 2 ; q. 165 et 166 ; Richardus a S. Laur., de Laud. B. V., III, 11 ; Bonaventura, in III Sent., d. 9, a. 1, q. 3 : « Ex hoc quod B. M. V. effecta est mater Dei, effecta est mater omnium creaturarum ; ergo Filius communicavit ipsi dominium maiestatis » ; Thomas Aq., exp. sal. ang. : « B. Virgo quia mater Domini, et ideo Domina est » ; Raymundus Iord., Cant. 18, p. 6 ; Gerson, serm. ad Ann. ; Dionysius Carth., de Laud. vit. sol. lib., n. 29; Thomas de Villan., conc. 1 de Ann. ; Bernardinus Sen., serm. 5 de Nat. B. V., c. 6 ; serm. 61, a. 1, c. 8.

Traditionis vocem fideliter reddit S. Alphonsus[2] : « Si Christus est rex universi, Maria etiam totius universi est regina... Cum praecelsa Virgo Maria ad dignitatem matris Regis regum fuit elevata : ideo, iusta de causa, Ecclesia ipsam titulo Reginae honorat, atque praecipit ut illa ab hominibus eo titulo salutetur. Unde et sequitur omnia quae sunt in coelo et in terra gloriosae Virgini esse subiecta, ac ipsam secure peragere in dispensando de Filii sui bonis ».

1. LEO XIII, enc. *Iucunda semper*, 8 Sept. 1894 : « Eam matrem Dei invocamus, ex qua dignitate excelsa quid non pro nobis petentibus certissime exposcat? » ; PIUS X, enc. *Ad diem illum*, 2 Feb. 1904 : « Thesaurum promeritorum eius (Filii) materno iure administrat ».
2. *Li Glorie di Maria*, I, c. 1, § 1.

184. **Alterum fundamentum, et omnino proximum, est quod B. Virgo fuerit adiutrix redemptionis.** — Mater Dei-hominis, quia Redemptori cooperata est ad ipsum opus redemptionis et ita partes habuit activas in ipsa acquisitione omnium auxiliorum salutis, connaturali iure debet etiam, sicut Filius, habere partes activas in omnium distributione. Nam :

1° Qui acquisivit et meruit bona, de ipsis, sicut de proprietate aut de praemio, connaturali iure disponere potest. Sed B. Virgo cooperata et consociata fuit Christo in acquirendo et merendo pro nobis omnia auxilia salutis. Ergo et de iis connaturali iure disponere potest.

2° Sicut Christo homini, quia omnes meruit, etiam competit omnes gratias dispensare omnibus, quo fit ut *de eius plenitudine nos omnes accepimus* (Io. I, 16) ; ita et Mariae, quae omnes gratias pro nobis cum Christo acquisivit et meruit, pariter competit cum Christo omnes nobis dispensare.

3° Imo Christus, sacrificio mortis suae, meruit sibi ut omnibus gratias dispensare posset ; ita ex numquam dissociata « Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis promeruit illa ut *reparatrix perditi orbis dignissime fieret*, atque ideo universorum munerum dispensatrix quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit[1] ». Nam, ut habet S. Thomas[2] : « Beati, quod impetrant modo nobis, contingit ex hoc quod prius dum viverent, meruerunt ut haec impetrarent ».

4° Quod eo magis patet, si consideremus in sacrificio crucis Mariam, quantum in se erat, obtulisse hostiam quae aliquo modo erat *sua*, nempe Filium *suum*. Unde et fructus illius hostiae immolationis in sacrificio, nempe gratiae promeritae, aliquo modo *suae* sunt.

5° Munus dispensandi praestat Christus, sedens ad dexteram Patris, stigmata passionis gerens (Io. XX, 27), dum, perseverantem et infinitum valorem sacrificii, offerre Patri non cessat, *semper vivens ad interpellandum pro*

1. PIUS X, enc. *Ad diem illum*, 2 Feb. 1904.
2. III Sent., d. 18, q. 1, a. 2, ad 2 ; cfr. II-II, q. 83, a. 11, ad 5.

nobis (Hebr. VII, 24-25). Unde et Ioannes : *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum ; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi* (I Io. II, 1-2). Mater autem Dei, sicut in terris per integram vitam, ita nunc in coelis Filio unita, ad dexteram eius est exaltata, ubi, docente fide, pro nobis intercedit. Merito igitur et Filii sui oblationem, et propriam sui, consensione ac compassione in eodem sacrificio redemptorio, cooperationem et ipsa pro nobis offerre, ac in perpetuum intercedere dicenda est, utens tota quam apud Deum possidet potestate.

Quapropter, sicut Christus, secundum Dei praeordinationem, ius ad universale dominium et regnum plene exercere non debuit, nisi postquam illud etiam sibi per passionem meruerit[1], ita mater Dei ius suum plene exercere non potuit, nisi postquam illud meruerit per suam ad totum opus redemptionis cooperationem. Et nihilominus, sicut Christo inest duplex titulus distinctus ad dominium universale, ita et in B. Virgine. Nam si Verbum incarnatum non fuisset passum nec gratias nobis meruisset, nihilominus ipsi ius esset ut constitueretur rex omnium et dominus ac caput nostrum ad elargiendas gratias ; pariter matri eius ad toti huic regali dominio ac operi cooperandum.

185. Tertium et simile fundamentum est missio Mariae ad nos, scil. quod facta sit mater adoptiva nostra spiritualis, ac ipso suo initiali consensu et continuata sua ad totam redemptionem cooperatione, totum genus conceperit redimendorum qui destinatione saltem sunt filii eius, ad vitam gratiae regenerati : cooperando enim incarnationi salvificae, non solum Redemptorem dedit nobis, sed et reparationem, vitam et salutem attigit redemptorum, non solum mater auctoris vitae, sed et mater viventium. Deus autem in suis operibus observat legem continuitatis, nam sine poenitentia sunt dona, et vocatio Dei (Rom. XI, 29) ; qua lege spectata, mater munus suum ac maternam erga nos sollicitudinem in perpetuum continuare dicenda est, mandante ipso eius Filio : *Ecce filius tuus... ecce mater tua* (Io. XIX, 26-27).

Ergo non solum concipere *genus* redemptorum, generare

1. S. Thomas, III, q. 59, a. 3.

ac parere ad vitam debet (maternitas in actu primo), sed et *singulos* ad perfectam nativitatem ducere eosque in divina vita enutrire, conservare, roborare, educare, efformare et ad statum perfectum adducere (maternitas in actu secundo), uno verbo praeesse toti spirituali crescentiae, et ita partes in gratiis elargiendis habet mediatricis. Simili modo, Eva non tantum cooperata est ipsi peccato, sed et eius interventus necessarius fuit ad peccati in filios transmissionem.

Id sane postulat :

a) Similitudo, unitas et *coordinatio* operum Dei. Deus, qui per Mariam nobis dedit Christum, gratiae fontem, et ita omnes gratias, oportebat quod per ipsam et *omnes* dispensaret, et qui voluit ut Christo sanctificanti consentiendo et compatiendo adstaret, et partem haberet in comparatione thesauri gratiae, etiam haberet in dispensatione ; secus non esset harmonia in operibus Dei, nec unitas, aut continuitas, quia finis dissimilis nullatenus corresponderet initio. Nam opera Dei ordinata sunt. Atqui secundum ordinem est ut qui incipit opus, illud et perficiat, et qui cooperatur constanter operi constituendo, non cesset cooperari usquedum totum sit impletum. Sed B. Virgo incepit opus Redemptionis et quidem cooperata est toti operi. Ergo et illud perficit, ac cooperari non cessat usquedum sit totum impletum, quod fit per omnium gratiarum distributionem. Quodsi in terris constanter uniatur Christo Redemptori, certissime missio adiutricis Christi in coelis cessare non potest.

b) A fortiori *subordinatio* operum. Esse principium gratiae plus est quam eam dispensare : hoc enim non est nisi consequentia et complementum prioris. Sed magis includit minus ; principium secum trahit omnes consequentias. Ergo Maria, quae cooperatur operi principali quo gratiae acquiruntur, cooperari debet omnibus effectibus eius et operi accessorio, distributionis scil. gratiarum, quod dependet a priori et illud complet.

Nisi itaque ordo, harmonia et unitas in ratione divinae Providentiae deesse dicenda sint, oportet ut illa quae nobis dederit Christum, totius gratiae fontem, in dies magis illum per gratiam in nobis efformet ; — et illa quae partes activas habuerit in acquirendis omnibus auxiliis, etiam partes habeat in omnibus distribuendis ; — et quae prima conceptione gratiam nobis omnibus promeruerit et destinaverit (in actu primo), ulterius nos generare singulos in vita divina pergat (in actu secundo) ac opus

suum perficere. Ubi apparet praestantia ordinis reparati. Adam enim et Eva, sicut iustitiam originalem, ita peccatum immediate transmittebant propriis filiis, his autem mediantibus etiam toti generi. Maria vero, sicut et Christus, immediate intervenire, illum adiuvando, debet ad causandam, enutriendam et iugiter conservandam vitam spiritualem in singulis redemptis.

Neque dicas totum hunc processum non esse nisi petitionem principii, cum esse matrem hominum nihil aliud sit quam procurare vitam divinam gratiae. — Responderi enim potest : 1° Ex Traditione et doctrina Ecclesiae novimus, Mariam esse matrem nostram spiritualem ; ex quo dein ratione concludi potest ad diversas functiones quas maternitas illa comportat. 2° Ex eo quod mater sit spiritualis in actu primo totius generis a peccato redemptorum, cum toti generi acquisiverit gratiam et salutem, concludi potest et esse *connaturaliter*, in actu secundo, matrem singulorum, seu habere munus singulis applicandi et dispensandi gratias salutis.

Quod munus adiutricis exercere iam in terris incepit : in salutiferam Salvatoris agnitionem accipiendo, sive Iudaeos in persona pastorum (Lc. II, 16), sive in magorum persona Gentiles (Mt. II, 11), obtinendo primam Ioannis sanctificationem (Lc. I, 41), primumque Salvatoris miraculum quo discipulorum firmaretur fides (Io. II, 11), ac deprecando Apostolis ipsum Spiritum Sanctum[1] ; nunc autem in coelis certissime cessare munus non debet, sed ad perfectionem assurgere dicendum est.

186. Conspectum generalem mediationis Matris Dei praebet Albertus M., in Mariali, iuxta traditionem sui temporis :

« Nomen Mariae... B^mae Virgini congruentissime adaptatur... et ad statum designandum *mediationis* Beatissimae Virginis, qua mediante genus humanum per mare huius saeculi ad portum coeli *exemplo, suffragio* et *merito* revocatur... Ipsa enim *omnium quorum Deus dominus est, domina est...* Ipsa enim est *divinarum illuminationum immediate susceptiva*, ipsa *omnium bonitatum universaliter distributiva*. Inde dicitur *stella maris :* quia omnibus praesentis vitae gratiis semper plenissima. Inde dicitur *Maria :* quia sicut in mari est congregatio omnium aquarum, ita in ipsa aggregatio omnium gratiarum. Nam Gen. I, 10 : *Congregationes*

1. Leo XIII, enc. *Iucunda semper*, 8 Sept. 1894.

aquarum vocavit maria. Locus autem gratiarum omnium vocatur Maria...

Non autem Eva debuit appellari, eo quod sit *mater omnium viventium per generationem spiritualem...* Tempore passionis ubi mater misericordiae, Patri misericordiarum in operatione summae misericordiae affuit, et dolorem passionis secum sustinuit, nam ipsius animam pertransivit gladius, et *consors passionis, adiutrix facta est redemptionis, et mater regenerationis ;* unde ibi propter fecunditatem spiritualem qua *totius generis humani mater spiritualis* effecta est, non sine parturitione doloris omnes nos in vitam aeternam in Filio et per Filium vocavit et regeneravit, *mulier* merito dicta fuit. Nomine autem Evae vocari non debuit, cum in re et effectu contraria ei fuit per omnia : ... illa enim damnavit, ista salvavit ; ... illa principium mortalitatis, ista principium regenerationis ; illa gratiam perdidit, ista gratiam invenit ; illa transivit et nos transire fecit de gratia in culpam, ista surrexit et nos surgere fecit de culpa in gratiam... ; illa viro suo occasio perditionis, haec viro suo adiutorium redemptionis... » (q. 29, § 2 et 3).

« Sola Beatissima Virgo tunc fidem habuit et compassionem crucifixi Dei et hominis, et per se passionem ex compassione patientis. Et sic sola fuit... cui Filius, ut dare posset praemium, voluit communicare passionis meritum, et ut ipsam *participem* faceret *beneficii redemptionis, participem* esse voluit et *poenae passionis ;* quatenus sicut *adiutrix redemptionis per compassionem*, ita *mater omnium fieret per recreationem ;* et sicut totus mundus obligatur Deo per suam passionem, ita et Dominae omnium per compassionem... » (q. 150).

« Annuntiatur B. Virgini plenitudo gratiae, quae est *origo et medium omnis gratiae*, et etiam *causa in humanum genus transferendae* et secundum statum viae et patriae. Unde Eccli. XXIV, 24 sq. : *Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis : in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me, omnes qui concupiscitis me...* Item quoniam omnium bonorum mater est », etc. (q. 33, § 2).

« B. Virgo proprie dicitur *porta coeli*, quia per ipsam exivit quidquid gratiae unquam creatum vel increatum in hunc mundum venit vel venturum fuit : *omnium enim bonorum mater est et mater gratiae*, et *mater misericordiae*, et etiam ipsa *gratia increata tamquam aquaeductus exivit ab ipsa* et venit in mundum. Item, per ipsam intravit quidquid umquam boni de coelis in terram descendit, et e converso ; unde dicit Filius eius, Sap. VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* » (q. 147).

« Iam ostensum est sufficienter qualiter B. Virgo gratia plena fuit... Fuit enim ista plenitudo secundum omnem plenitudinis rationem plenitudo perfectissima. Est enim plenitudo alia dativa

et non receptiva quae soli Deo convenit... Alia est receptiva, et haec est triplex :

Quaedam enim est receptiva, et dativa, et non retentiva, et haec est plenitudo *canalis*. Et sic Beatissima Virgo plena est gratia *omnium quantum ad numerum gratiarum*, quae *omnes ad numerum transeunt per ipsius manum*. Unde Eccli. XXIV, 41 : *Ego quasi aquaeductus exivi de paradiso Dei*, hoc est de deliciis misericordiarum Dei. Item Bernardus : *Diu fluenta gratiae defuerunt, quia nondum venerat aquaeductus*. Et ille aquaeductus est mirabilis, quia per ipsum defluunt omnes aquae gratiarum deorsum, et iterum per eumdem defluunt sursum ; unde Sap. VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius*. Et sic : *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur*.

Est autem secunda plenitudo receptiva, et retentiva, et non dativa, et haec est plenitudo *vasis*, et secundum hanc plenitudinem plena fuit omnibus gratiis creatis *secundum speciem*...

Et est plenitudo receptiva, dativa, et retentiva, et haec est plenitudo *fontis*, qui est plenus et tamen effluit. Hac plenitudine plena fuit etiam B. Virgo, a qua continue effluit gratia, et tamen ipsa semper plena est gratia ; unde ipsa est *parvus fons, qui crevit in fluvium maximum et in aquas plurimas redundavit* (Cant. IV, 12). Ex fonte enim huius plenae plenitudinis *profluit omnis plenitudo humani generis*. Ex hoc enim venit nobis pretium redemptionis, aqua ablutionis, panis refectionis, medicina curationis, arma expugnationis, praemium renumerationis » (q. 164).

Sic B. Albertus vere est doctor marianus et marianae mediationis [1].

187. Animadversiones. — 1° Certum est, in doctrina catholica, B. Virginem partem habere in applicatione fructuum redemptionis, eamque impetrare non tantum in confuso quamdam distributionem gratiae pro humano genere et omnibus hominibus collective sumptis, sed et speciatim in particulari pro hominibus individuis, casibus particularibus, et determinatis gratiis ; ut etiam de Sanctis tenet Ecclesia.

2° Quamvis ab initio pro hominibus intercesserit et, sicut omnes iusti, etiam oraverit pro salute totius humani generis et adventu Redemptoris, quem etiam in terram

1. Cfr. Desmarais, *S. Albert le Grand, docteur de la médiation mariale*.

adduxit, non tamen probatur ad hoc iam habuisse mandatum speciale; sed a momento quo pronuntiando : *Fiat mihi secundum verbum tuum*, loco totius humanitatis consenserit incarnationi salvificae Verbi divini, venientis ad uniendam sibi naturam humanam, et ita redemptioni cooperari ceperit. Ab hoc momento mediatrix a Deo constituta est ad cooperandum toti operi salutis et *ex officio* intercedendi ad salutem.

3° Hinc munus ipsi est officialis mediatricis et interpellantis potentissimae ac universalis :

a) *officialis :* non solum intercedit de facto, sed de iure, nec solum de iure sed ex officio, quia ad hoc missa et deputata est ;

b) *potentissimae :* quia ipsa Dei-hominis mater simul et hominum redimendorum intercedit ex munere curandi, una cum Christo, omnium saluti apud Deum ;

c) *universalis :* non solum pro quibusdam personis aut in aliquibus casibus et ad determinatas causas, sed ad omnes causas et pro singulis casibus ac personis est constituta mediatrix in perpetuum : ad differentiam aliorum Sanctorum.

4° Doctrina illa fundamentum habet in Scripturis, ibi tamen formaliter non affirmatur, quidquid aliqui putaverint : aliqua quidem cooperatio docetur cum redemptore, victoriam reportante in serpentem ; non autem quod cooperatio ultra se extendat ad fructus redemptionis distribuendos. Dum una cooperatio cum Salvatore affirmatur, ideo non alter aut omnis modus cooperandi formaliter indicatur. Et licet quidam putaret hoc logice sequi, id esset per modum conclusionis deductae solum virtualiter in principio contentae, nequaquam autem exinde esset ibi formaliter relata.

5° Mediatio B. Virginis, sicut et Sanctorum, non pugnat cum unitate et sufficientia mediationis Christi, quia omne meritum B. Virginis, sicut et Sanctorum, fundatur in merito Christi et ab eo totum pendet, et ideo quando petunt, per Christum petunt et per merita Christi. Insuper me-

diatio B. Virginis de se non requiritur, sed ex positiva voluntate Dei : potuisset Deus gratias elargiri absque interventu Virginis, sed eas de facto non dat nisi ipsa intercedente. Et tamen Deus, in distribuendis gratiis non dependet a Virgine, tum quia illum ordinem libere statuit, tum quia Virgini inspirare potest ut libere petat quodcumque ipse peti vult. Nec mediatio Virginis dicatur inutilis, quia per illam uberius manifestatur divina bonitas, quae causas secundas honorat in eo quod eas, et multas, ad opera sua multipliciter concurrere faciat.

6° Dum Christus dicitur Ecclesiae *caput*, Spiritus Sanctus *cor* eius vel *anima*, B. Virgo recte comparatur *collo* quo corpus unitur capiti, Christo, et per quod capitis influxus (motûs et vitae) transit ad membra. Cfr. Enc. Pii X, *ad diem illum*, 2 Febr. 1904. Pariter vocatur *canalis* omnium gratiarum atque *aquaeductus*.

7° Quaerenti quid sit prius, munus matris hominum, aut munus mediatricis, respondendum censemus : utrumque realiter coincidere et simul exerceri, ordine tamen rationis unum alterum praecedere sub diverso respectu. Et quidem, ordine generationis, qui transit de imperfecto ad perfectum, prius est esse matrem nostram spiritualem nobis vitam gratiae communicantem, qua coniungimur Deo ; ordine vero perfectionis et praedestinationis divinae prius est esse mediatricem, quia ad hoc ut mediatrix possit nos coniungere Deo, Maria facta est mater nostra.
Cooperando enim ad Redemptionem, et *intercedendo* apud Christum et Deum, *genuit* nos ad vitam divinam gratiae, ut *mater spiritualis*, et sic nos *unit Deo*, ut *mediatrix*. Quare eius mediatio est *ratio* ad quam ordinatur maternitas spiritualis, sed maternitas spiritualis est mediationis *fundamentum*.

188. Corollaria. — 1° *Argumenta ex documentis Ecclesiae* sunt valoris inaequalis. Quaedam solum indirecte alludunt ad mediationem Mariae universalem, occasionaliter prolata, v. g. orationem habendo in beatificatione aut canonisatione, concedendo indulgentiam, commendando precem aut devotionem ; alia etiam directe eam enuntiare intendunt, sed solum in ordine ad alias veritates, ut in Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus ;* alia eam asserunt propter seipsam, ut in nonnullis Encyclicis. Quae tamen omnia non sunt infallibilia. Unde magis insistendum in eo, quod a pluribus Pontificibus continue ac omnino assertive inculcetur, et quidem doctrina magni momenti, non mere in colloquis aut litteris privatis, sed in authenticis documentis publicis, nec solum ad pietatem aut devotionem promovendam, sed et provocando ad fundamenta doctrinalia et invocando principia Traditionis, etsi scirent a nonnullis de hoc dubitatum esse aut habitum tamquam piam sententiam mere permittendam. Cum tamen vox Pontificum in casu nondum sit infallibilis, notandum auctoritatem documentorum inde multum augeri quod accedat consensus episcoporum, maxime si esset moraliter unanimis, aut praedicatio universalis, aut consensus Ecclesiae credentis seu sensus fidelium, nam Ecclesia universa errare non potest.

2° Quantum ad *argumentum ex Patribus et Theologis* deductum, ut testibus communis doctrinae Ecclesiae, *atque ex Liturgiis ac sensu fidelium*, notandum universalem Mariae mediationem a) prius fuisse praedicatam *implicite:* initio quidem in hoc quod dicatur causa salutis ex eo quod consenserit redemptioni, vel et in eo quod consociata habeatur et cooperata ipsi operi redemptorio, dein vero in eo etiam quod cooperata dicatur toti operi redemptorio, etiam complendo in dispensatione gratiarum ; b) postea *explicite*, diuturno tempore durante, propositum fuit assertive et indubitate, atque nullo apparente dissensu, gratias de facto elargiri mediante Maria, nec solum ab ipsa *posse* obtineri, sed etiam *de facto omnes* nobis ita obvenire.

3° Doctrina praedicata cum omnimoda certitudine tantum cognosci potest divina traditione aut doctrina Ecclesiae. Ex *argumentis rationis* vero non solum probatur maxima convenientia, sed etiam quod *connaturali iure* sic fiat ; et quidem ita ut positive inconveniens videri posset si aliter fieret, saltem generatim. Non tamen exi-

stimandum aliter fieri non posse de potentia absoluta, nec etiam de potentia Dei ordinata : quia etiam contra naturam rerum et quasi miraculose valet Deus ordinate agere ob finem quemdam superiorem. Sed in praesenti ordine providentiae Deum contranaturaliter ita facere nullum adest indicium, unde non praesumendum. Quare iudicandum est omnes et singulas gratias generali lege nobis advenire dependenter a speciali intercessione B. Vir-Virginis, licet exceptionaliter Deum posse aliam viam eligere in casu particulari, forsan non demonstretur omnino impossibile.

Articulus IV.

DE EXERCITIO ET EFFICACIA MEDIATIONIS MATRIS DEI.

189. Status quaestionis. — Quaestio est de exercitio mediationis in applicatione et dispensatione fructuum redemptionis et auxiliorum salutis, omnibus et singulis facienda, seu de modo quo B. Virgo causalitatem in ea exercet. Et quidem quaeritur :

1° quo modo intercessionem exerceat, ut generatim asserunt, cum Sancti omnes pro nobis intercedant, tum et Christus ipse interpellet pro nobis ;

2° quo modo nobis dispensare possit gratias salutis et intelligendum sit omnes, uti dici solet, per manus eius transire ;

3° an causalitas moralis, meriti scil. aut intercessionis, sufficiens sit ad eius mediationem explicandam, vel et ipsi tribuenda sit causalitas quaedam efficiens, seu instrumentalis, sive physica, sive intentionalis aut dispositiva.

190. Mediationem in distribuendis et applicandis gratiis B. Virgo exercet intercessione seu interpellatione. — Id ex voce Liturgiae est manifestum, atque Traditionis praedicatione, quae eam vocat advocatam nos-

tram, advocatam potentissimam, atque precatricem pro mundi salute[1].

Duplex autem, iuxta S. Thomam[2], est intercessio mediatrix Sanctorum : alia fit oratione expressa et formali ; alia oratione implicita et interpretativa, aequivalenti scil. *aut*[3] virtuali, quae fit repraesentatione suae personae in quadam functione vel cum aliqua qualitate, aut suorum meritorum. Iamvero Christus, secundum Scripturas (Hebr. VII, 25 ; Rom. VIII, 34 ; 1 Io. II, 1-2), pro nobis orat in coelis, nec solum interpretative, ostendendo Patri naturam humanam assumptam, ac vulnera et merita sua, sed etiam expresse et formaliter, ut tenent longe plures theologi cum S. Thoma[4]. B. Virgo igitur et ita orare dicenda est ad modum Sanctorum, et ad modum Christi ; non solum interpretative ostendendo seipsam ut matrem et sociam Dei-Redemptoris, ac merita sua, secundum adagium : « Christus ostendit Patri corpus et vulnera, Maria vero pectus et ubera », sed etiam precibus formalibus et explicitis petitionibus.

Quibus praesuppositis, intelligitur, conformiter ad S. Thomae sententiam atque iuxta veram doctrinam :

a) Mariam in efficacia intercessionis omnes alios transcendere. Cum enim in intercessione Sancti maiori efficacia gaudeant secundum perfectionem gratiae et dignitatis, B. Virgo in dignitate et gratia omnes Angelos et Sanctos collective sumptos transcendat, sequitur eius preces plus habere efficaciae quam omnes reliquorum orationes simul sumptas atque tanto plus valere apud Deum. « Cum oratio pro aliis facta ex charitate proveniat,... quanto sancti qui sunt in patria sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus qui orationibus iuvari possunt ; et quanto Deo coniunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces : habet enim hoc divinus ordo ut ex superiorum excellentia in inferiora redundatur[5] ».

Sed B. Virgo est perfectissimae charitatis ; insuper eminentiore

1. Vide n. 182.
2. *Suppl.*, q. 72, a. 2 et 3.
3. Ita dicimus ne videamur excludere modum loquendi P. Friethoff, qui distinguit interpellationem implicitam, tacitam, aequivalentem inter et mere interpretativam seu virtualem.
4. III, q. 57, a. 6 ; q. 54, a. 4 ; II-II, q. 83, a. 11 ; IV *Sent.* d. 15, q. 4, a. 6, qc. 2, ad. 1 ; *comm. ad Rom.*, VIII, l. 7.
5. II-II, q. 83, a. 11 ; cfr. IV Sent., d. 15, q. 9, a. 6, qc. 2 ; et d. 45, q. 3, a. 3.

dignitate Matris Dei et plenitudine gratiae est Deo coniunctior, et omnes Angelos et Sanctos longe superat.

Ergo oratio B. Virginis efficacior est omnibus orationibus cunctorum Angelorum et Sanctorum.

b) In coelis Mariam posse intercedere pro nobis omnibus. Beati enim in Verbo divino vident non solum ipsam divinam essentiam, et eius attributa, ac personas divinas, sed etiam omnia quaecumque ad ipsos et ad ipsorum statum pertinent :

« Beatis in Verbo manifestatur illud quod decet eos cognoscere de iis quae circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis ; maxime autem excellentiae eorum decet ut cognoscant petitiones ad eos factas vel ore vel corde. Et ideo petitiones quas ad eos dirigimus a Deo manifestante cognoscunt[1] ». Nam « unusquisque beatus tantum de aliis rebus necessarium est ut in ipsa essentia divina videat, quantum perfectio beatitudinis requirit, ut homo habeat quidquid velit nec aliquid inordinate velit. Hoc autem recta voluntate quilibet vult ut ea quae ad ipsum petinent cognoscat. Unde cum nulla rectitudo sanctis desit, volunt cognoscere quae ad ipsos pertinent. Et ideo oportet quod illa in Verbo cognoscant[2] ».

Ergo B. Virgo in Verbo videt omnia quae ad Dei Matrem, universorum reginam, Salvatoris in toto opere redemptionis adiutricem, ac omnium matrem ac mediatricem spectant, et cuncta quae ad singulos homines redemptos (ad minus in futurum) pertinent in quibuscumque adiunctis, necessitatibus et indigentiis eorum existentiae ; saltem quantum necessarium est ad suum munus exercendum. Et ita pro omnibus indesinenter intercedere est ipsi possibile.

c) Mariam de facto omnibus, secundum diversas eorum necessitates, auxilia salutis deprecari, cum ex actuali cognitione quam de ipsis habet sponte nascatur actualis pro ipsis intercessio. Hinc *connaturaliter* sequitur *nullam* gratiam sine tali intercessione particulari concedi. Eadem scil. ratio valet pro omnibus, et nulla est ratio, nulla probabilitas, intercessionem suam limitari ad quosdam casus et quasdam gratias.

Ubi forsan applicari possunt verba S. Doctoris[3] :

« Causa orationis desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio ; quod quidem in nobis debet esse continuum vel actu vel virtute[4] ». Unde Sancti in patria eo magis pro viatoribus orant quanto sunt perfectioris charitatis[5].

---

1. II-II, q. 83, a. 4, ad 2.
2. IV Sent., d. 45, q. 3, a. 1 ; cfr. III, q. 10, a. 2.
3. Ita MC. NABB, in *Blacfriars*, 1923, *The Mediatorship of the Blessed Virgin*.
4. II-II, q. 83, a. 14.
5. II-II, q. 83, a. 11.

Sed B. Virgo perfectissimam habet charitatem ; insuper charitas patriae differt praecise a charitate viae quod semper sit in actu :

« Est perfectio quae attenditur secundum totalitatem absolutam ex parte diligentis, prout scil. affectus eius secundum totum posse semper tendit in Deum. Et talis perfectio non est possibilis in vita, sed erit in patria[1] ».

Ergo in coelis intercessio actu adest eo modo ac cognitio.

191. Corollarium. — Hinc B. Virgo vocata fuit *omnipotentia supplex*[2]. Non est quidem omnipotentia absoluta, divina et physica, quasi virtute propria omnia efficere posset, aut contra absolutam Dei voluntatem agere ; sed omnipotentia quaedam relativa, ministerialis et moralis in impetrando, quia in praesenti ordine Providentiae nihil est quod B. Virgo non valeat precibus obtinere.

Hinc nequaquam dicendum est eam vere imperare Deo, vel et nunc exercere veram auctoritatem in Christum ; sed locutiones Patrum qui id quandoque videantur asserere, de iure materno intelligendae sunt, quia Dei matri est ius ac potestas apud Deum omnia obtinendi, non tamen contra, sed secundum ordinem divinae providentiae, quasi auctoritatem seu iurisdictionem imperandi obtinuisset. Oratio certo efficax scil. aequivalet iurisdictioni ac potestati disponendi.

192. B. Virgo distribuere ac dispensare omnes gratias salutis recte dicitur, sicut et eas per manus

---

1. II-II, q. 184, a. 2 et ad 3.
2. Aequivalentibus id affirmant terminis : *Opera Ephraemiana, praec. ad Dei Gen.* (t. III, gr. lat., p. 511, 537, 540) ; IOANNES DAM. (?), *hom. 1 in Ann.* ; ANDREAS CRET., *Triod.* ; GERMANUS CONST., *hom. in Dorm.* 2 ; THEODORUS STUD. (P. G., CXXIX, 1779) ; GEORGIUS NIC. (P. G., C, 1438) ; IOSEPHUS HYMN. (P. G., CV, 1187-1190, 1094) ; EUTHYMIUS (P. G., CXXXI, 1250) ; — *serm. de Nativ.* (44 inter serm. PETRI DAM.) ; ANSELMUS, *or.* 52 et 47 ; EADMERUS, *de Excel. B. Virg.*, c. 12 ; BERNARDUS (P. L., CLXXXIII, 415, 432, 436, 441) ; ADAM, abb. Pers., *Mariale* ; HUGO A S. CHARO, *Postilla in Eccli.* XXIV, 15 ; RICHARDUS A S. LAURENTIO, *de Laud. B. V.*, l. IV, c. 30, n. 1 ; — *Speculum B. V.*, c. 8 (inter opera S. BONAVENTURAE) ; RAYMUNDUS IORD., *Cant.* 18, p. 6.

Notissima verba sunt serm. de Nativ., qui nonnumquam adscribitur Petro Damiano, sub n. 44 : « Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potestas in coelo et in terra... Quomodo enim illa potestas tuae potentiae poterit obviare, quae de carne tua suscepit originem ? Accedit enim ante illud aureum humanae reconciliationis altare, non solum rogans sed *imperans, domina, non ancilla* ».

eius transire, quia merito et intercessione est vere causa quod nobis a Deo obveniant. — Nequit tamen ad litteram intelligi et quasi materialiter, quod iam legimus apud Albertum M., Mariale, q. 164 : « Beatissima Virgo plena est omnium, quantum ad numerum, gratiarum, quia *omnes ad numerum transeunt per ipsius manum* » ; vel etiam, quod sit *canalis* gratiarum aut *aquaeductus*[1] ; aut gratiam a fonte Christo effluere per Mariam in nos ; sed est impropria et metaphorica locutio. Gratia enim, cum sit accidens in anima receptum, secundum sanam philosophiam nequit eadem numero transire de subiecto in subiectum, de Christo in Mariam, de Christo et Maria in nos : gratia enim est haec individua et ab omni alia numerice distincta, eo quod sit illius subiecti in quo residet ; ergo nequit numero eadem alteri subiecto competere. At modus loquendi ita intelligendus est, quod Christus et Maria, propter suam gratiae eminentioris plenitudinem, virtutem quamdam habent causandi in nobis gratiam in specie similem, licet gradu inaequalem.

193. B. Virgo recte vocatur thesauraria divinarum gratiarum, depositaria totius fructus redemptionis, gratiarum apud Deum sequester, gratiae ex redemptione in omne tempus derivandae administra et princeps largiendarum gratiarum ministra.

Quod ita declarari potest[2]. Cooperando scil. sacrificio crucis, velut ministra seu diaconissa, virtutem passionis Christi et fructum redemptionis totum ac meritum sacrificii, et in ipso omnes gratias salutis pro tota humanitate recipit et in possessionem sumit. Nam si ex ordinatione divina, sacrificium Christi ex concursu Mariae etiam fuit sacrificium totius humanae naturae, humanitas solum per Mariam et in Maria meritum et fructum Christi in possessionem sumit. Sicut enim Deus non concessit Salvatorem nisi per Mariam et in Maria, ita nec opus salvatorium humanitati dedit nisi per Mariam et in Maria ; cuius anima, sicut tulit sacrificium, ita et fructus sacrificii pro toto mundo.

1. Ita iam laudatus ALBERTUS M., ac BERNARDUS. Etiam in encyclicis Pontificum illa leguntur.
2. Iuxta SCHEEBEN quadantenus modificatum, o. c., n. 1810 sq.

Ad utrumque concursus Mariae necessarius fuit : ad incarnationem Christi et ad sacrificium eius, ut humanitati adveniret, et ipsa spiritualiter regeneraretur, a Christo scil. principio vitae et a matre cunctorum viventium. Consentiendo Maria concepit Christum Salvatorem, et per huius oblationem a primo momento factam humanitatis, concepit spiritualiter humanitatem regeneratam ; quam dein in sacrificio crucis spiritualiter parturire in doloribus valuit. Hinc totum sanguinem Christus infudit in Mariam ut in aquaeductum, quo derivaretur in alios, quasi semen novae humanitatis. Anima Mariae totam virtutem eius accepit ad pariendum ex ea humanitatem, in novam vitam.

Itaque Maria, concipiendo et offerendo Christum, concepit et dedit non solum redemptorem qua talem, sed in ipso concepit et peperit redemptos, quia cooperando intendit ut Christus per passionem, tamquam principium salutis, donaretur hominibus.

194. Ad dictam mediationem B. Virginis videtur stricte sufficere causalitas moralis, nec probatur requiri causalitas quaedam efficientiae proprie dictae. — Causalitatem moralem suffragii, scil. meriti et intercessionis, mediationi Mariae agnoscunt quasi communiter[1] ; quidam tamen ulterius progressi sunt, tribuentes ei causalitatem efficientiae, sive physicam, sive intentionalem, aut dispositivam.

Iamvero in B. Virgine non videtur admittenda :

1° *Causalitas physica :* a) non principalis, quia solus Deus potest ita tribuere gratiam, quae est participatio suae naturae, et elevare aliquid ad esse supernaturale, ultra statum naturae[2] ; — b) nec instrumentalis, qualem Christo-homini, sacramentis ac ministris Ecclesiae concedere solent thomistae inde a Caietano, quia in theologia est inauditum B. Virginem ipsam gratiam habitualem immediate producere, quia ad hoc sicut ad sacramenta ministranda non est instrumentum deputatum ; quantum vero ad gratias actuales, gratis omnino assereretur[3]. Unde communiter fuit negatum.

1. Solam intercessionem propugnant Scheeben, Terrien, Godts, Bainvel, Campana, Clobus, de la Taille, Bittremieux, Friethoff, Grabmann, Mc. Nabb., Sales, Van der Meersch, etc.
2. S. THOMAS, Q. D. de Veritate, 27, a. 9, ad 19 ; III, q. 62, a. 1.
3. Notissima sunt verba Suarez, qui de tali sententia, in III, disp. 23, sect. 1, n. 2, hoc grave profert iudicium : « Dicendum est B. Virginem

Recentissime tamen Hugon in B. Virgine adstruebat causalitatem physicam instrumentalem Christo subordinatam, sed, si bene intellexerimus, pro solis gratiis actualibus[1]. Dein plures alii talem causalitatem innuunt, etiam generalius : Commer, Lépicier, Girerd, Clemens, Fernandez, Lavaud, Bernard, quibus saec. XVII praeivit Poiré[2]. Tanta scil. in Maria, secundum quosdam, est gratiae plenitudo, ut per Christum, cum Christo, et sub Christo, causa sit nobis productiva etiam gratiae habitualis, quasi concaput seu caput secundarium generis humani, non tamen caput principaliter et simpliciter[3].

Dato S. Thomam adstruere causalitatem physicam in Christo, et in sacramentis horumque ministris, hanc tamen certo abnegat B. Virgini[4] nec verum est dicere eam necessario postulari a S. Thomae principiis, aut implicite in iis contineri[5]. Ceterum vidimus B. Virgini competere gratiae plenitudinem, quae dicitur redundantiae aut praeeminentiae, nullatenus plenitudinem efficientiae, aut et effluentiae, quae reservata est Christo ; quod si in op. VI *Exp. Sal. Angelicae*, S. Thomas Mariae etiam tribuat

---

non fuisse per modum causae efficientis, propriae aut principalis, causam nostrae salutis. Haec conclusio est certissima ; et imprimis si intelligatur de causa prima, vel etiam de causa principali ac per se nostrae salutis, est certa de fide... Quod si haec conclusio intelligatur de causa efficiente quacumque ratione, vel principali, vel instrumentali, non aut expresse de fide, quia neque est expressa in Scriptura, neque tradita aut definita ab Ecclesia, neque ex principiis fidei evidenter colligitur ; tamen est certa, ita ut oppositum asserere plus sit quam temerarium. Quia est praeter omnium theologorum doctrinam et sine fundamento... Quod B. Virgo sit instrumentum Christi (i. e. in efficiendo ipsam gratiam), inauditum est ; alias etiam posset dici instrumentum ad consecrandum, quod est haereticum. Nullo igitur modo est causa efficiens gratiae, praesertim si ex lege ordinaria ac regulariter loquamur. Nam si quis dicat per modum miraculi interdum assumptam fuisse ut instrumentum ad alicuius sanctificationem, v. g. Ioannis Baptistae, vel alterius, id esset quidem incertum, non tamen aliqua censura dignum ». Item Terrien, Bainvel, Blondiau, in Coll. Nam., 1925, Van der Meersch, Bittremieux, de la Taille.

1. Ita in opere : *La causalité instrumentale en théologie.*
2. *La triple couronne de la B. Vierge Marie.*
3. Ad modum loquendi S. Thomae, III q. 64, a. 4, ad 3 ; et IV sent. d. 5, q. 1, a. 3, gr. 2, ad 2 et 3.
4. Vide v. g., III, q. 60, a. 8. De hoc late disputavimus in per. *De Standaard van Maria*, 1922-1923 : *Is Maria in de leer van den H. Thomas Gods werktuig in het voortbrengen der genade?* et *Nog iets over den invloed van Maria op ons genadeleven ;* ac in op°. *Quid senserit S. Thomas de Mediatione B. Mariae Virginis*, ex opere *Xenia Thomistica*, 1924.
5. De qua opinione P. Chenu, in *Bulletin Thomiste*, IV, 1929, occasione articuli P. Fernandez : « Elle est construite hors de tout souci d'une exégèse un peu précise des textes de S. Thomas. De plus, en un domaine où les faits de l'économie révélée commandent, et où le maniement de l'analogie exige une infinie délicatesse et un sens avisé du relatif, elle se développe à la manière d'une thèse absolue de métaphysique : c'est faire mauvaise théologie ».

cum Christo plenitudinem quantum ad refusionem in omnes homines, id ibi explicari videtur causalitate suffragii, qua potest omnia obtinere. Quod si vocetur collum, canalis, aquaeductus, etc., evidenter est metaphorica locutio, quae non est urgenda, sed implicat quemdam generalem causalitatis modum, sicut et propositio *per* eam indicare solet[1]. Unde causalitas physica instrumentalis in Maria est forsan non impossibilis, nullatenus vero est vere probabilis, utpote quae nulla solida ratione fulcitur.

2° Nec *causalitas sic dicta ordinis intentionalis*, qua mediantibus signis, speculativis et practicis, aliis manifestamus et ad eos deferimus intentiones nostri intellectus, ac in eis efficimus quae ab his intentionibus dependent, uti ordinationes, et dispositiones, ius aut potestatem legalem, etc. ; quam causalitatem nonnulli adstruunt in signis sacramentalibus.

Talem potestatem B. Virgini a Christo in Cruce concessam, ex ordinatione divina designandi illos quibus gratiae obventurae sunt, ac ita in iis ius quoddam causandi, aut titulum, seu quamdam necessitatem quae exigeret a Deo gratiam, olim suggessimus[2], quasi plenius quam intercessio declararet modum causalitatis quem asserunt, dicendo gratiam per Mariam fluere aut impertiri, Mariam esse matrem fecundantem quae generat et protegit, esse collum corporis mystici, vel Spiritui sancto consociatam in sanctificandis hominibus. De facto tamen est pura hypothesis, mera possibilitas, non sufficienter fundata.

3° Nec *causalitas dispositiva*, qua B. Virgo nos disponeret, seu dispositionem in nobis efficeret, quae gratiam postularet aut exigeret.

Dispositionem, sive ordinis physici, sicut antiquitus multi Scholastici adstruebant causalitatem sacramentorum dispositivam, quatenus haec producerent physicum characterem vel quemdam ornatum, qui ad gratiam ordinaret eamque exigeret, quod novissime quibusdam recentibus etiam placuit ; — sive ordinis moralis et iuridici, ut titulum, ius aut exigentiam qua ex ordina-

---

1. Apposite S. Thomas, III, q. 84, a. 3, ad 4, quantum ad id quod per manus apostolorum fiebant signa : « Apostolis non est data potestas, ut ipsi sanarent aegrotos, sed ut ad eorum orationem aegroti sanarentur ». Similiter « angeli aliqui dicuntur miracula facere, vel quia ad eorum desiderium Deus miracula facit... » I, q. 110, a. 4, ad 1.
2. In per. *Revue Eccl. de Liége*, X, juillet 1914.

tione divina debitum sit ut gratia concedatur, sicut dictum est de causalitate ordinis intentionalis. Sed id quoque gratis omnino asseritur ; imo nec apparet quaenam esset dispositio vel entitas physica quae gratias exigere posset.

Nihilominus B. Virgo vere et proprie dicitur de gratiis divinis disponere et sic eas dispensare, sed vi suae intercessionis. Non enim intercedit, sicut Sancti, per modum mere supplicantis ut Deus velit gratiam concedere quam aeque de se recusare posset ; sed interpellat potius ad modum Christi, qui constitutus est mediator et salvator et cuius intercessio semper exauditur, non tantum de facto, sed et de iure. Cuius interpellatio, iuxta S. Thomam, comm. in Heb. VII, lect. 4, et ad Rom. VIII, lect. 7, est desiderium de nostra salute quod exprimit, seu expressio voluntatis ipsius Salvatoris, cui ius est disponendi de omnibus fructibus salutis, ita quod, voluntatem suam exprimendo, eo ipso de gratiis salutis disponat et ita eas dispenset ac nobis faciat obvenire. Pari modo B. Maria, Christo in opere mediatorio et salvatorio consociata ac cum ipso domina universorum bonorum, intercedit supplicando apud Christum et cum Christo apud Patrem, sed simul voluntatem suam exprimendo, quam Deus statuit considerare ut voluntatem Christi, et quam, stante hac ordinatione, non potest non audire, imo quam non exaudiri esset positive inconveniens. Unde B. Virgo, postulando has vel illas gratias hisce vel illis elargiendas, vere designat gratias certo concedendas, ac ita de iis disponit easque dispensat, quatenus efficax est causa quod nobis obveniant[1].

Hac ratione Ecclesia canit in hymn. ad Mat. recentis Officii B. M. V. mediatricis :

Hos tamen sacros latices redemptis
Quis ministrabit? Datur hoc Mariae
Munus, ut divae moderetur undae,
Arbitra cursum.
Cuncta, quae nobis meruit Redemptor,
Dona partitur genitrix Maria,
Cuius ad votum sua fundit ultro
Munere Natus.

1. Cfr Bittremieux, *De Mediatione universali B. Mariae Virginis quoad gratias*, l. 2, c. 7, a. 3.

Itaque intercessio exprimens Dei Matris voluntatem est motivum seu ratio, cur Deus gratias in nobis causet seu cuius intuitu eas largiatur. Non tamen ipsa probatur in nobis producere designationem aut titulum appellantem gratiam. Sed ipsa expressio eius voluntatis potest dici designatio ac titulus coram Deo, quatenus huic est ratio cur gratiam infundat.

195. **Corollarium.** — Licet disputari possit ac disputetur de *modo* causalitatis Mariae mediatricis, aut etiam a quibusdam solutio haberi velit omnino incerta, — quod tamen non dicimus, — non ideo minus certum est *factum*, scil. Mariam esse universalem Mediatricem, sive quoad opus salvatorium ipsius redemptionis generis humani, sive etiam quoad applicationem et dispensationem omnium auxiliorum salutis, singulis hominibus per saecula faciendam. De modo causalitatis quo Christus mediationem exercet et gratias nobis largitur, a Scholasticis quoque disputatum fuit, ac disputatur, quin tamen exinde eius in distribuendis gratiis universalis influxus revocari in dubium possit.

Articulus V.

DE UNIVERSALI EXTENSIONE MEDIATIONIS MATRIS DEI.

196. **B. Virginis mediatio vere est universalis.** — Haec non solum est formalis et explicita doctrina Traditionis, etiam encyclicis R. Pontificum confirmata atque praedicatione universali[1], verum etiam est rigorosa consequentia connaturaliter fluens ex iis quae de Christo eisque matre Ecclesia docet, vel et ipsum in B. Virgine *formale* exercitium, tum maternitatis divinae in plenitudine suorum privilegiorum ac universalis regni et dominii, tum cooperationis ad totum salvatorium opus, tum spiritualis erga omnes homines maternitatis ; imo est conclusio totius doctrinae marianae. Et ideo potius videretur ab adversariis demonstrandum, influxum Mariae in

1. A Patribus clare et categorice ponuntur principia quibus universalis mediatio statuitur, dein etiam explicite ita affirmatur universalis mediatio tamquam certa et indubia atque absque controversia. Tempore Protestantismi dubitatio quaedam exorta est, et saec. XVIII quaestio fuit explicite proposita ; dum diuturno tempore antiquo erat in possessione tranquilla. Post controversiam, iam ab ipsis Pontificibus formaliter proponitur in documentis Ecclesiae, atque praedicatione universali affirmatur.

mediando non esse universalem, quam specialis ab asserentibus esset expostulanda huius universalitatis positiva probatio. Quod si quis eam negaret, esset scandalum in populo christiano.

Itaque B. Virgo, sua potenti intercessione, non solum potest nobis obtinere quaecumque auxilia salutis, sed etiam ea de facto obtinet : non solum generali quodam et habituali interventu olim habito et non retractato, quia cooperata est ipsi operi salvatorio et acquisitioni omnium gratiarum salutis, quod omnino extra omne dubium versatur, sed etiam speciali quadam actione et actuali influxu, ac pro singulis gratiis et singulis hominibus. Et id non est mera hypothesis, vel commentum cuiusdam mysticismi seu pietatis, aut pia sententia probabilis, sed probata veritas. Imo haberi *potest* ut revelata ; nam :

1° Cooperatio Mariae in traditione asseritur indivisim ad totum opus salvatorium, nulla distinctione facta inter redemptionem et fructuum applicationem, inter acquisitionem bonorum et distributionem, nec eam limitando ad certum gratiae genus aut modum, sed sine restrictione ulla universaliter affirmatur.

2° Dein explicite et formaliter decursu saeculorum, omnis generis gratiae inveniuntur enumeratae, quae a Virgine gloriose in coelos assumpta dicuntur de facto nobis advenire, ubicumque et quibuscumque elargiantur. Unanimi scilicet Patrum et Doctorum ore ac Liturgiarum voce solent Ecclesia et fideles ita se cuncta a Maria recipisse asserere, ut qui ad quamlibet speciem gratiarum limitare vellet, errasse, qui vero de singulis donis in individuo concessis et de auxiliis numerice spectatis adstruat, solus recte intelligere sit affirmandus.

3° Initio praesertim idem implicite affirmatur formulis generalibus Matris Dei apud Deum potentissimae, Novae Evae Salvatori consociatae, atque Matris hominum, in quibus id aequivalenter continetur.

107. Universalis mediatio B. Virginis tamen intelligenda est intra iustos limites et a tempore gloriosae eius assumptionis. — Etenim :

1° Sicut de ipso Christo, ita de B. Virgine, essentialis quaedam adstruenda est differentia activitatis mediatricis, ita ut alius sit influxus quem in Veteri, alius quem in Novo Testamento exercere dicendi sunt. Erga lapsos homines omnes, etiam illos qui longo saeculorum decursu in Veteri Testamento praecesserunt, una cum Christo, Maria exercet causalitatem quamdam generalem cuiusdam satisfactionis et meriti, qua peccata reparare cooperata est et auxilia salutis acquirere, eaque pro genere humano lapso obtulit ac deprecando ad hoc deputavit ; quantum ad homines autem qui in Novo Testamento vivunt, insuper pro singulis specialiter intercedit, ac de omnibus auxiliis salutis disponit, partem habens in actuali eorum distributione. Quem influxum, uti diximus, iam incepit inde a completo incarnationis mysterio, perfecte autem exercuisse non videtur nisi post suam in coelum translationem.

2° In coelo nempe dignitate Matris Dei ab omnibus agnita, gratiis ac meritis cumulata, gloria sicut gratia plena, divinam ipsa alte et profunde intuetur essentiam, sicut nulli post Filium datum est. Ita in lumine divini Verbi et Filii sui, indesinenter videt quaecumque ad Dei matrem ac universorum reginam et dominam spectant, quaecumque universali mediatrici totius generis humani reparati, in redemptione adiutrici, et matri spirituali congruunt, cunctaque ad singulos homines pertinentia in quibuscumque adiunctis ipsorum existentiae, ut supra notavimus. Connaturaliter ergo et in omnibus circumstantiis, continuo pro nobis deprecatur singula salutis auxilia, quae Deus filiis eius concedere praeordinavit ; nec ullo modo intelligi valeret, quare interventus eius ad aliquos tantum, aut ad particularia adiuncta, aut ad speciales gratias limitari posset. « Astat ergo Beatissima, ait Amedaeus Lausanensis, singulari merito praecipua, vultui Conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis. Illo enim edocta Lumine, cui nuda et aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostrique clemens et dulcis Dominus materno affectu miseretur. Quo enim sublimius immensi Regis cor aspicit, eo profundius,

divinae gratiae pietatis afflictorum et misereri, et miseris succurrere novit[1] ».

3° Nec ab universali influxu B. Virginis, omnino excludendus videtur effectus sacramentorum Novi Legis, quae divina virtute gratiam ipsam, nulla alia causa mediante, causant ex opere operato ; — licet ipsa efficacia sacramentorum ab interventu Virginis non dependeat directe, nec gratiae sacramentales immediate ab ipsa causentur. Influxus scil., si non immediatus et directus in gratiam habitualem et effectus sacramentales, adest mediatus et indirectus, aeque tamen realis et verus, quatenus suae deprecationis suffragio nobis obtinet validam sacramentorum per sacerdotes ministrationem, nobisque elargitur gratias actuales, quibus recte disponamur ut ritus sacros fructuose recipiamus[2].

Non tamen intelligendum est :

1° Ac si nulla gratia daretur, nisi suffragium B. Virginis a nobis expresse postularetur. Id enim esset confundere nostri apud B. Virginem intercessionem cum intercessione B. Virginis apud Deum. Maria, sicut Christus, pro nobis orare potest, quin id ab ea petamus, sicut Deus etiam gratias nobis elargitur, quin eum invocemus, uti dat infantibus qui invocare nondum possunt. Ceteroquin ad deprecandum B. Virginem iam indigemus gratia ; prima igitur gratia saltem nobis advenit, quin eam postularemus.

2° Nec ac si Mariam expresse et formaliter invocare esset necessarium. Necessarium quidem videri potest quandoque ad universalem mediatricem recurrere, non tamen necesse est expresse facere in singulis casibus ; sicut nec ipsum Christum expresse invocamus, imo in multis orationibus nec eum no-

1. *Homilia* 7 (P. L., CLXXXVIII, 1341-1346). Cfr. SEVERIANUS, *De mundo opificio*, or. 6 (P. G., LVI, 498) ; GERMANUS CONST. (P. G., XCVIII, 346) ; RICHARDUS A S. VICTORE, *In Cant.* 23 (P. L., CXCVI, 475). Item LEO XIII, enc. *Magnae Matris Dei*, 8 Sept. 1892 : « Multo magis nostra omnia habet cognita et perspecta, quibus ad vitam indigemus praesidiis, quae impendeant publice, privatim pericula, quibus in angustiis, in malis versamur, quam in primis sit acris cum acerrimis hostibus de salute animae dimicatio : in his autem aliisve asperitatibus vitae, multo ipsa potest largius, et vehementius exoptat, solatium, robur, auxilia omne genus carissimis filiis afferre ».

2. Apposite S. Thomas docet nomen Virginis non *operari* aliquid in Baptismo, sed eius *intercessionem* prodesse baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, III, q. 60, a. 8, vel, — ut etiam dici posset, ad eam obtinendam.

minamus, ut in oratione dominica vel in pluribus ab ipsa Ecclesia probatis. Ceterum censeri potest ipsa semper implicite invocari, cum fideles orare intendant conformiter ad voluntatem divinam et iuxta ordinem ab ea statutum ; divina autem voluntas est omnes gratias, sicut a Christo, ita per intercessionem et dispensationem Mariae, in nos derivari, etiamsi explicita non adsit invocatio.

3° Nec ac si, merendo aut interpellando, suam propriam redemptionem meruerit aut eius fructus sibi applicuerit, et sic mediatrix fuerit sui ipsius, nam quamvis cooperando sit aliqualiter causa propriae salutis, nemo tamen pro seipso mediator esse potest. Et a fortiori non potest esse mediatrix Christi, ac si aliquid ipsi meruerit aut applicuerit, seu tribuerit in ordine gratiae et salutis, cum gratia et mediatio Christi omni alia mediatione praesupponatur[1], aut etiam ac si intercessio sua necessaria esset ad determinandum Christum ut pro nobis interpellaret, quasi Christus ex sese paratus non esset ad interpellandum pro nobis[2].

198. Animadversio. — Quibusdam placet dicere certum, quod gratiae *moraliter* omnes, mediante B. Virginis speciali interventu, nobis obveniant ; quod autem interveniret pro singulis gratiis, et in singulis casibus, tantum esse piam sententiam, non stricte demonstrabilem. Sed ita de mediatione Virginis affirmare non sufficit : moralis enim universalitas est terminus nimis laxus, nimiam habens latitudinem, ita ut si gratiarum $^{9}/_{10}$, vel $^{85}/_{100}$ aut forsan $^{8000}/_{10000}$, mediante Maria, nobis obvenirent, adhuc dici posset moraliter omnes elargiri. Talis modus loquendi cum parcitate in nullo habet fundamentum. Unde aliter dicendum, scil. *connaturaliter* et *generali lege* omnes et singulas gratias, mediante Maria, nobis obvenire ; quia secundum ordinem divinae providentiae generali lege statutum est ut connaturaliter ita fiat ; quin tamen affirmare auderemus : omnino exceptionaliter aut rarissime aliter fieri non posse.

Sicut Deus generali lege statuit habitualem gratiam gratum facientem infundere mediantibus sacramentis et eorum ministris, tamen ea lege ipse non ligatur, sed exceptionaliter posset gratiam

1. Vide supra, p. 337.
2. BITTREMIEUX, o. c., II, c. 1, p. 147.

infundere absque sacramento, aut sacramentum conficere et ministrare mediante angelo, ita forsan impossibile non est illum, exceptionaliter omnino, gratiam elargiri sine praevio actu specialis intercessionis ac dispositionis B. Virginis, quantumvis generali lege aliter statuerit; at huiusmodi exceptionis nullum adest indicium. Connaturalitas autem generali lege Dei confirmata multo plus est quam universalitas late moralis.

199. Mediatio B. Virginis differt a mediatione Sanctorum, et quidem multipliciter : a) ipsa mediatricis officium habet cooperandi nostrae saluti ; b) estque supplicatione omnipotens ; quare c) de iure mediationem exercet et ex munere curandi de omnium salute ; unde d) est eius mediatio universalis, nam non solum facit sed et ius habet faciendi, nec solum ius habet faciendi sed et facit.

Dignitate scil. Matris Dei ac excellentia gratiae et meritorum, omnes Angelorum et Sanctorum ordines antecedit apud Deum acceptissima ; quapropter preces eius aliam et maiorem efficacitatem habere existimandae sunt quam omnes reliquorum orationes simul sumptae : « efficaciores, ait S. Thomas, sunt orationes Sanctorum quantum Deo coniunctiores » II-II, q. 83, a. 11. Quare de ea Anselmus, or. 46 : « Te tacente, nullus (sanctus) orabit, nullus invocabit. Te orante, omnes orabunt, omnes invocabunt ».

Illi, disponente Dei Providentia, invocandi sunt in aliquibus casibus et ad determinatas causas ; B. Virgo ad omnes causas et pro singulis casibus ac personis. Illi deputantur singulis vicibus et *de facto* a nobis constituuntur pro nobis intercessores[1] ; ipsa *de iure*[2] a Deo constituta est perpetua mediatrix et advocata nostra. Nec oramus Sanctos ut apud alios intercedant, quia sunt eiusdem ordinis ; at eos oramus ut intercedant apud B. Virginem, omnium reginam et dominam.

Quae multiplicatio intercessionis nostri ad Sanctos, Sanctorum ad B. Virginem et ad Christum, Christi et Virginis ad Patrem, ne existimetur in providentia divina superfluere inutiliter. Multiplicatis scil. intercessoribus, orationes nostrae fiunt Deo

1. S. THOMAS, *In IV Sent.*, d. 45, q. 3, a. 2.
2. S. ANTONINUS, *Summa Theol.*, IV, tit. 15, c. 17, § 4.

gratiores et efficaciores. Multiplicatis quoque causis secundis, potior elucet divina bonitas, eo quod operibus suis magis concurrere faciat illas omnes, ad invicem eas coordinando et subordinando, ut unitas, ordo ac pulchritudo, per totam rerum universitatem diffundantur.

200. Obiiciunt. — 1° Mater non habet verum ius dominii in bona quae filiis aliunde obveniunt ; nec mater regis habet ius disponendi de bonis ipsius regis.

Resp. : *non adesse omnimodam paritatem.*

Nullus enim est rex ex ipsa sua personali constitutione ac nativitate ; unde nulla datur mater regis in sensu stricto, sed mater alicuius qui postea instituitur rex. Maria autem est mater Dei-Salvatoris, Regis et Domini supremi, quia Filius eius ab initio suae conceptionis est Deus in salutem nostram incarnatus : homo scil. Iesus numquam fuit nisi Filius Dei. Ergo a matre, etiam voluntarie consentiente, habet quod ille homo sit Filius Dei, Salvator, haeres et rex universi ; a matre habet humanam carnem qua omnia salutis auxilia nobis potuit meritorie acquirere. Unde mater summae et regiae eius dignitatis est particeps eiusque operi salvatorio est cooperata, utpote quae vere genuit regem et salvatorem, aliqualiter causa totius eius dominii ; et ideo matri connaturale est ius ad participandum totum hoc Filii et Salvatoris dominium.

A parentibus humani regis igitur Maria tripliciter differt : 1° quia Dei supremi regis et domini totius universi est mater, ipsa conceptione et generatione Filii sui, et ita intrinseco ordine, particeps fit eius dignitatis et ideo regii eius universalis dominii ; 2° quia causa fuit cur hominibus salvandis bona salutis provenirent a Filio et ipse omnium salutem mereretur ; 3° quia in acquisitione illorum bonorum partes activas habuit et ipsa.

Ex quibus connaturaliter sequitur ius maternum disponendi de omnibus Filii sui bonis, maxime de illis in quibus acquirendis habuit partem.

2° Aliud est ius, aliud factum. Etsi B. Virgini sit aliquale ius disponendi de bonis et gratiis Filii sui, ad universale factum inde concludi nequit, tum quia Deus supremus iurium dominus tale ius posset negligere, tum quia ipsa B. Virgo non necessario nec in omnibus suo debet iure uti.

Resp. : *Nego consequentiam.*

a) Quaestio sane esse nequit de absoluto et impraescribili iure, quod nulli creaturae nec ipsi Christo homini respectu Dei

competere potest. Sola enim Deitas habet dominium supremum, perfectum et absolutum in omnes res creatas et omnia commutabilia bona. Et nihilominus sub Deo existunt iura particularia quae originem ducunt ex factis humanis, inter quae rectus censetur titulus quod causae insit ius in proprii effectus dominium, et agenti in connaturales fructus aut sequelas suae actionis. Haec iura Deus, etsi posset non attendere, sicut et miraculose agere potest contra ipsum ordinem rerum, suavi tamen providentia quae se adaptat rerum naturis illa omnia servare generali lege omnino solet. Et ideo iura Mariae sicut Christi sancivit; et ita B. Virgini facultas competit ad gratias infallibiliter obtinendas et generali lege elargiendas. Cuius rei, iura scil. Mariae a Deo agnita fuisse, testis est nobis christiana traditio : quodsi Deus talia generatim negligeret iura, id merito aestimari posset etiam *positive* inconveniens.

b) Ipsa autem B. Virgo, nova Eva, non solum potestatem et dominium, sed et destinationem ac officium cum Christo habet nos redimendi, salvandi, imo vivificandi, cui eam umquam deesse nefas esset asserere.

3° Universalis mediatio non est nisi mera convenientia. Convenientia autem nequit esse fundamentum solidum doctrinae tenendae, certae, aut a fortiori dogmaticae.

Resp. : *Nego assertum*, spectatis argumentis allatis.

a) Alia est mera convenientia, ita ut oppositum etiam sit conveniens; alia est tanta convenientia, ut oppositum sit minus conveniens vel et inconveniens, ut si, ait Melchior Canus, homo Christus non gauderet semper visione beatifica. Ita omnes haberent inconveniens, quod Christus non omnibus et singulis distribueret et applicaret fructus redemptionis, quos iis meruit, et salutis; quantumvis tamen Deus potuisset stricte aliter statuere. Similiter, si Maria in redemptione coadiutrix, non posset generaliter disponere ac applicare omnibus et singulis fructus et auxilia salutis, quos ipsis cum Christo acquisivit et quodammodo meruit, id de se merito diceretur positive inconveniens, licet Deus aliter statuere potuisset.

b) Imo plus est quam convenientia, nimirum *connaturalitas*. Connaturale est id quod a natura cuiusdam naturaliter postulatur, vel cum ipsa connectitur. Connaturale est matri Dei, reginae et dominae universi, coadiutrici Redemptoris ac matri spirituali hominum a Deo constituae, ut dominium exerceret in cuncta Filii bona, maxime in illa quae acquisivit redemptione, et quae destinantur hominum regenerationi et vitae spirituali : connaturale ut, generali lege, de iis, una cum Filio, disponeret ac omnibus et singulis dispensaret. Deus qui providentiam rerum naturis conformari solet, ita generali lege agere debet, si leges

providentiae ordinarias velit servare, nec praeter aut contra eas quasi miraculose agere; licet id stricte facere potuisset. Huius tamen innaturalis et miraculosae providentiae nullum adest indicium; sed omnia quae ab Ecclesiae traditione aut a ratione theologica didicimus, concorditer suadent universalem Mariae mediationem, in sensu supra explicato.

4° Magnis Scholasticis mediatio B. Virginis est ignota; unde in theologia non videtur serio fundata, nec proinde adstruenda et inculcanda.

Resp. : *Silentium in casu non aequivalet negationi*. Tacere non est negare aut excludere. Scholastici nihil asserunt quod mediationem B. Virginis excludat; et si in commentariis theologicis medii aevi de ea taceant, alibi eam docent aut innuunt, aut principia eius ponunt.

a) Quodsi usque ad ultima tempora, in multis manualibus theologicis de ea sileant auctores, qui tamen eam agnoscunt aut profitentur, non tam mirum videri debet, si ita fuerit in medio aevo. Mansit extra theologiam, ut ita dicam, « officalem », tum quia non inveniebatur in Libro Sententiarum, qui per plura saecula erat in scholis liber textûs commentariis subiiciendus; — nec connexa erat cum systema philosophico aristotelico-thomistico[1], ex quo declarationes aut obiectiones solebant proponi; — nec *specialem* afferebat difficultatem aut connexionem cum quaestione in operibus theologicis tractata. Occasionem non praebuit quaestio de plenitudine gratiae Christi, quia comparatio cum gratia B. Virginis instituebatur sub ratione quantitatis et mensurae, non sub ratione influxûs, quia gratia capitis est solius Christi; nec occasionem praebuit quaestio de mediatione Christi, cui non specialem difficultatem afferebat mediatio Mariae, sed solum difficultatem communem omni mediationi subordinatae Sanctorum componendae cum una mediatione Christi.

b) Alibi tamen explicite eam mediationem Mariae commemorant aut etiam docent; praesertim in operibus exegeticis aut asceticis, ut in sermonibus, imo quandoque in operibus theologicis, ut Albertus M., in Mariale, et Peraldus, in opere de Virtutibus et Vitiis. Ceterum permagnus in theologos fuit

1. Hoc dictum quidam mirati sunt, clamantes nec incarnationem Christi connecti cum systemate philosophico. At theologica declaratio incarnationis supponit notionem metaphysicam personae humanae, et ea ratione necessario tangit philosophiam. Nihil tale requiritur pro mediatione B. Virginis.

influxus S. Bernardi, qui eam ex professo docet. Post ipsum Hugo a S. Charo, in Eccl. XXIV, 11-17; in Lc. I, 28 et 42; S. Bonaventura, serm. 1 in Nat. D.; etiam ipse S. Thomas, Exp. sal. ang.; serm. in Nat. B. V., et 32 de Ann. ex ep., eam agnoscunt et docent; atque alii plures.

c) Etsi magni theologi eam negarent aut ignorarent, non ideo neganda est.

Etiam immaculatam conceptionem plerumque non admiserunt; quae tamen posteriori tempore clare fuit manifestata. Sic et mediatio Virginis, rationibus melius inspectis, progrediente theologia, posset fieri decursu temporis manifestior atque certior.

201. Definibilitas universalis mediationis Matris Dei. — Omnibus supra dictis sedulo perpensis, dicendum mediationem B. Virginis universalem posse ab Ecclesia definiri, non tantum ut certam, quia antiqua traditione, legitime et organice evoluta, et praedicatione universali mens Ecclesiae sufficienter est manifesta, sed etiam tamquam veritatem dogmaticam et dogma fidei.

Dici enim *potest* aequivalenter revelata in Novae Evae dogmate, quo mulier protoparentibus praenuntiata dicenda est cum Semine causa tum redemptionis ac salutis, tum vitae spiritualis ad singulos transmissionis, vera mater viventium facta, sicut prima Eva fuit causa et primae transgressionis et etiam transmissionis peccati ac mortis. Quod Virginis munus, iuxta Scripturas, quoad substantiam protoparentibus promissum et a prophetis rursus annuntiatum, in Evangelio historicis factis describitur, ac Traditione usque ad perfectum conceptum plenius evolvitur et declaratur.

Insuper in eodem Novae Evae dogmate revelata, universalis eiusmodi mediatio dici *debet*, quia omnia, quotquot sunt, indicia concurrunt ad id stabiliendum, videlicet : nexus huius doctrinae cum aliis veritatibus, scil. dignissimae matris Dei, eius participationis in opere salvatorio, eius quoque missionis maternae ad alios homines, ad quarum veritatum pertinet integrationem; — perpetua in Traditione consociatio, qua inseparabiles prorsus in toto negotio salutis appareant Christus et eius mater; — opus cui cooperata est B. Virgo salvatorium in Traditione

intellectum de toto sine distinctione negotio sanctificationis et salutis usque ad ultimum perducto terminum; — progressus doctrinae traditionalis in formales et explicitiores, iam per longa tempora moraliter unanimes, declarationes, quo progressu sub Spiritu veritatis habito patet illum esse sensum legitimum veritatis primitus revelatae; — vox tandem Liturgiae obvie intellecta; — et universalis fidelium sensus.

Quibus perspectis, dicendum videtur iam sufficienter constare, non solum Mariam cooperatam esse ipsi redemptioni in reparando peccato et acquirendis auxiliis salutis, ac reapse pro omnibus intercedere, et in distribuendis gratiis esse potentissimam mediatricem, — quae extra dubium ad fidem pertinent, — sed hoc modo mediatricem agere etiam in omnibus dispensandis auxiliis : generali scil. lege, iuxta divinam ordinationem.

Nequaquam id definiendum reputetur impossibile.

Magis impugnata fuit immaculata conceptio, a theologis scil. maximi nominis et argumentis apparenter validioribus, et nihilominus in veritatibus revelatis ab initio affirmatis erat implicite contenta tamquam formalis pars aut elementum integrale; sed id nondum perspiciebant sufficienter. Et tamen postea fuit unanimiter agnita, iam ante solemnem definitionem.

Minus certa videri potest, utpote in antiqua traditione minus fundata atque argumentis munita minus fundamentalibus, corporalis assumptio B. Virginis, et tamen omnes fere, quotquot sunt, hodie tenent esse definibilem, ac proxime definiendam sperant.

Ad differentiam immaculatae conceptionis matris Dei, aut eius assumptionis, universalis mediatio B. Virginis longe minus fuit impugnata, et, orta dubii haesitatione, semper mansit certius in traditione ac universalius affirmata, atque conscientia fidelium magis perspecta. Unde eius definitio merito exoptari potest; atque eam exoptamus, quia nata erit praestantiam ac providentiam Matris Dei in toto ordine salutis quammaxime in lucem ponere et manifestare, atque devotionem promovere fidelium omniumque hominum salutem.

QUAESTIO TERTIA.

MATER DEI EST REGINA CUNCTORUM ANGELORUM ET SANCTORUM, COELI ET TERRAE, ATQUE TOTIUS UNIVERSI.

202. Status quaestionis. — B. Virgo Maria non solum est mater et mediatrix, sed et regina nostra, nec hominum solum, sed et angelorum, imo omnium creaturarum, coeli et terrae, ac totius universi.

Quod posset male intelligi, si sumeretur sensu absoluto ac si B. Virgo esset dea : est enim attributum divinum regere, et dominari toti universo, quod soli Deo ratione naturae convenit. Unde B. Virgini non potest competere dominium supremum et per essentiam, sed solum subordinatum et participatum. Christus enim, non solum ut Deus, sed etiam ut homo, ratione personae et ratione operis, est rex omnium Angelorum et Sanctorum, tum ob unionem suam hypostaticam, tum ob victoriam in redemptione reportatam, ac meritum inde acquisitum, tum etiam ob consecrationem et investituram a Patre, qui illum regem constituit super universa. Quibus titulis non repugnat humanam Dei matrem participare.

Hinc quaeritur an B. Virgo regina merito vocari possit, et quidem a) quali vel et proprio sensu ; b) propter quasnam rationes, et c) cum quanam certitudine id teneatur aut asseri possit.

203. Mater Dei-hominis, in coelis assumpta, merito coronata fuit vera et proprie dicta regina cunctorum Angelorum et Sanctorum, omnium creaturarum et totius universi, non quidem essentialiter, sed participative, nec principaliter, sed subordinate ad Christum. — Dicitur :

1° *Vera et proprie dicta regina.* Non solum sensu improprio, ratione dignitatis et eminentiae, quatenus omnibus creaturis superior existit qualitatibus suis et excellentia, et omnium est prima et suprema quasi princeps seu rex ; — aut sensu latiore, quo mater regis vel uxor vocetur regina ; — sed sensu proprio et stricto, quatenus dotata est auctoritate et potestate regia, nec mero primatu honoris, sed vera potestate iurisdictionis aut dominii, cui omnes oportet servire et subordinari, quia dominationem suam aliis imponere potest ac eos iure regere et gubernare subiectos.

2° *Non essentialiter sed participative.* Solus Deus est rex absolute, et dominus omnium creaturarum, et per essentiam. Omnis creatura nequit esse rex aliorum et dominus, aut universi, nisi per participationem perfectionis divinae.

3° *Non principaliter sed subordinate.* Christus enim, Deus-homo, constitutus est a Deo rex universi, cui omnes creatae potestates omnium saeculorum subduntur, et a quo omnes participant. Cui proin et B. Maria perfecte subditur ; unde nequit dici regina, eo sensu quo in temporalibus fuit Victoria in Anglia, et est Gulielmina in Neerlandia, quia semper supra se habet regem : non solum Deum aeternum, sed et temporalem, hominem Christum, qui primas partes habet in regno totius universi, et cuius potestatis et regiminis tantum est particeps.

Dignitas et potestas regia B. Virginis non solum ex solidis considerationibus theologicis constat, sed etiam a Traditione et ab Ecclesiae praedicatione ac Liturgia fuit agnita [1].

1° *Patres* id tradunt, prius implicite, agnoscentes Matrem Dei super omnia elevatam ; dein ab iis explicite Maria vocatur :

Domina : ita Ephraem (III gr., p. 534, 536, 545, 548 ; syr. p. 415) ; Sophronius, or. de Angel. excel., 3 ; Ioannes Dam., de F. orth. IV, c. 14 : *eo ipso domina omnium rerum creatarum, cum Creatoris mater existit ;* hom. 2 in Dorm. : *quae omnibus conditis rebus dominatur... : res quippe omnes conditas Filius matri mancipavit ;* Germanus Const., hom. 2 in Praes. ; 1ª et 3ª in Dorm. ; in S. Zonam.

Regina : ita ps.-Methodius, serm. de Sim. et Anna ; *regina universorum :* Germanus Const., hom. 1 in Praes. ; *aperte regnatura :*

1. Vide DECKERS, *Het feit van Maria's Koningschap*, in *De Standaard van Maria*, 1926-1927 ; KOENDERS, *Maria in den Eeredienst der Katholieke Kerk*, Amsterdam ; DE GRUYTER, *De B. Maria Regina*, Buscoduci, 1934 ; *Maria Koningin*, in *Mariale Dagen*, Tongerloo, 1935 ; GARÉNAUX, *La Royauté de Marie*, Paris, 1935 ; NICOLAS, *La Vierge reine*, in *Rev. Thom.*, 1939.

Ioannes Dam., hom. 3 in Dorm.; *regina generis humani, regina universorum hominum:* Andreas Cret., hom. 2 et 3 in Dorm.; *regina universitatis, regina pacis conciliatrix:* Tarasius, or. in Deip. Praes.; *regnatrix:* Ioannes Geom., hym. 4 in Deip.

Regina et domina: ita ps.-Athanasius, serm. in Ann. Deip.; Ioannes Dam., hom. 1 in Dorm.; *regina ac domina universi:* Theodorus Stud., hom. in Dorm. Deip.

Pariter in Occidente vocatur :

Domina: ita Petrus Chrys., serm. 142; Ildephonsus, de Perp. Virg., c. 12; Beda Ven., in Lc. I; Anselmus, or. 52; *domina rerum, singula congenitae dignitati per illam quam meruit gratiam restituendo* : ita Eadmerus, de Excel. Virg. c. 11; *domina coelestium, terrestrium et infernorum... eia! domina Maria, adiuva nos, ut tua gubernatione et dominatione filialiter gubernemur:* ita Conradus, Speculum B. M., V. l. 3.

Regina, regina polorum, regina nostrae salutis: ita Alcuinus, carm. 86, 121, 134, 173, 203; *regina mundi:* ita Petrus Dam., hymn. in Ann. B. M. V.; *in coelis regina Sanctorum..., et in terris regina regnorum... regina coelorum totum iure possidens filii regnum:* ita Rupertus, in Cant. l. 3, c. 4; *regina nostra, regina coelorum:* ita Bernardus, serm. in Ass.; *coelorum imperatrix, dominatrix Angelorum:* ita Petrus Ven.

Regina et domina: ita serm. 44 inter opera Petri Dam.; Bernardus, serm. in Ass. et in Dom. infra Oct. Ass.; *regina angelorum et domina, regina coelestium potestatum, coeli et terrae possidens principatum:* ita Petrus Bles., serm. 33 et 34; *domina angelorum, regina eorum qui exultant in coelis, domina omnium creaturarum:* ita Bonaventura, serm. 4 de Ass.; *mater Domini et ideo domina:* ita Thomas Aq. exp. Sal. Ang; *B. Virgo assumpta est in salutis auxilium et in regni consortium:... habet coronam regni triumphantis et militantis Ecclesiae, unde... est regina et domina angelorum..., imperatrix totius mundi...; in ipsa est plenitudo potestatis coelestis perpetuo ex auctoritate ordinaria..; legitima dominandi potestas ad ligandum et solvendum per imperium... totam habet B. Virgo potestatem in coelo, in purgatorio et in inferno... Ab eodem dominio et regno a quo Filius nomen accepit regis, et ipsa regina... Illa proprie diceretur regina Franciae, quae domina vere et iure esset omnium quae sunt in Francia; sed B. Virgo vere et iure et proprie est domina omnium quae sunt in misericordia Dei, ergo proprie est regina misericordiae... ipsa enim eiusdem regni regina est cuius ipse est rex:* ita Albertus M., Mariale, q. 43, § 2; 158, 162, 165. Similia habent Gerson, Ruusbroeck, Bernardinus Sen., Dionysius Carth., Petrus Canisius, Suarez, Lud. Grignion de Monfort, S. Alphonsus.

2° *Pontifices* ita docent : Gregorius II, in ep. ad Germ. Const. lecta in Conc. oec. VII (Nic. II, a. 787) ait : *omnium domina,*

quem modum loquendi admittit Concilium atque vindicat imagines *dominae nostrae.* Sixtus IV, Const. *Cum praeexcelsa,* ait : *regina coelorum.* Leo XIII : *regina et domina universorum* (enc. *Iucunda semper*), *regina universorum* (enc. *Fidentem*), *quae tenetur in regendis hominibus iuvandisque ad aeterna... et dum eam superi et mundani regni manet corona quod invicta futura sit regina martyrum, sic in coelesti Dei civitate per aeternitatem omnem coronata assidebit ad Filium* (enc. *Magnae Dei Matris*), *regina apostolorum... cuius est advigilare Ecclesiae... et gratiae ex redemptione derivandae esse administra cum pene immensa potestate* (enc. *Adiutricem populi*). Quare Pius X : *Maria adstat regina a dextris eius* (enc. *Ad diem illum*).

3° *Liturgia* romana proclamat Mariam reginam et dominam : *Salve Regina; Ave regina coelorum, domina Angelorum; Regina coeli; Domina nostra; Gloriosa regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum; Coeli regina et mundi domina; regina nostra; regina mundi; regina omnium Sanctorum; assumpta ad regna coelestia, throno propinqua Filii, cunctis creatis imperat,* etc.

Ceterum etiam Liturgiae orientales idem profitentur : Maria est *regina vera, vere regina* (liturg. copt. et aethiop.), *regina nostra* (lit. S. Chrys. et S. Iac.), *domina nostra* (lit. S. Iac., S. Bas., S. Chrys., et Maronit.), *domina totius creationis* (lit. S. Chrys.).

Quod si quis eam veram reginam esse negaret, id haberetur tamquam scandalosum.

4° Considerationes theologicae sunt ex triplici titulo, scil. ex eo quod Maria est a) mater Dei-hominis, b) mater et adiutrix Redemptoris, c) affinis tribus personis SS. Trinitatis, ad quas speciales habet relationes.

204. Primus titulus est ex eo quod Maria est Mater Dei-hominis. — Christus ut hic homo, ratione unionis hypostaticae, vere est rex et dominus universi, quia, etiam ut hic homo, Filius est Dei naturalis, et ideo haeres universi, utpote per quem omnia facta sunt et Deus fecit et saecula. Sed Mater Dei-hominis pertinet ad ordinem unionis hypostaticae, et participat de dignitate Filii Dei : divina maternitas enim, sicut unio hypostatica, terminatur ad idem esse eiusdem personae divinae. Ergo, sicut hic homo Christus, ita debet mater eius *connaturaliter* participare de regno et dominio eius in universum, et ideo vere est regina universi : per participationem tamen a Christo et subordinationem ad Christum.

Hinc : 1° Iure materno in Filium disponit de omnibus quae ex nativitate inseparabiliter et essentialiter obveniunt Filio et ipse possidet.

2° Gratitudine filiali enim Christus movetur ut matrem reddat participem regni et dominii, quod tantum dependenter a matris consensu, potuit etiam ut homo possidere et exercere.

3° Sicut mater vel uxor regis quandoque aliquam in regno exercet iurisdictionem benevolentiae et charitatis (III Reg. II, 9 ; Esth. II, 17 ; V, 3), ita B. Virgo, Mater Verbi incarnati et sponsa, potestatem quamdam et iurisdictionem exercet benevolentiae et misericordiae in regno Christi, quasi ad regni dimidium vocata, scil. misericordiae, dum Christus dicitur alterum dimidium sibi reservare, iustitiae.

205. Alter titulus est ex eo quod Maria est sponsa Verbi incarnati, mater et adiutrix Dei-Redemptoris. — Christus non solum est rex universorum, ut Filius Dei naturalis, ratione unionis hypostaticae, sed etiam specialiter est rex hominum, quia victoria sua eripuit eos e potestate et regno diaboli, et transtulit in suam potestatem et regnum ; imo et rex angelorum, qui omnibus superior existens, formam servi accipiens et humilians se in passione et morte, obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis, meruit super omnes exaltari et glorificari ut rex totius universi (Phil. II, 8, 9).

Sed B. Virgo Maria partem habuit in redemptione et victoria Christi ; imo humiliationibus, laboribus et passioni Filii sui sese coniunxit.

Ergo et *connaturaliter* participare debet de potestate et regno Christi, et sic vere est regina hominum et angelorum.

Sicut totum universum est subordinandum, nec solum angelos et homines, ideo consequuntur Christus et B. Virgo regnum universi.

206. Tertius titulus est ex eo quod Maria affinitatem habet et relationes ad tres personas divinas SSae Trinitatis. — Est enim Filia praedilecta et primogenita Patris, omnibus gratiis ac privilegiis dotata, Mater dilectissima Filii, Sponsa praeelecta Spiritus Sancti.

a) Pater est rex universi ; cuius B. Virgo est filia praedilecta et primogenita. Ergo sicut Christus est rex et gubernator universi, et ius habet ad haereditatem Patris quia Filius Dei unigenitus ; ita *convenit* quod B. Virgo sit regina participans regnum et prae aliis titulum habeat participandi haereditatem Patris, eo quod singulari titulo sit prima inter filias eius adoptivas.

b) Filius est rex. B. Virgo Maria est mater Filii, quae in omnibus ipsi unita, ac per totam vitam, passionem et mortem intime coniuncta, omnibus illius est particeps. Ergo et *convenit* quod ipsi sit coniuncta in glorificatione et potestate regendi ac universali dominio.

c) B. Virgo Spiritus sancti sponsa proclamatur. Sed inter sponsum et sponsam omnia sunt communia. Ergo et Spiritus sanctus *convenienter* communicat Mariae suam potestatem, regimen, et dominium in universum, praesertim in bona supernaturalia, gratias et dona sanctificantia.

Ceterum Maria, iuxta ordinationem divinae praedestinationis, una cum Christo est finis totius universi ; ergo convenit quod una cum Christo exerceat regnum, potestatem et dominium in totum universum, in cunctos homines et angelos ac omnes creaturas, in coelum et in terram.

207. Reginam Virginem multis diversis appellationibus Ecclesia designat, ob speciales quoque titulos superioritatis quos ipsi competere est asserendum. — In specie vocatur :

Regina Angelorum, quia ipsis Angelis est purior, missio eius ad homines, utpote Matris Dei et Redemptoris, est excellentior, atque in obediendo divinis mandatis est promptior et perfectior.

Regina Patriarcharum : isti fide in Christum venturum iustificati, adventum eius fervidis orationibus desiderabant et petebant ; Maria summa puritate et charitate ac ferventioribus desideriis Christum in terras attraxit, atque fide maiori et perfectiori credidit, angelo dicenti se in sinu gestare ipsum Deum Salvatorem.

Regina Prophetarum : ipsi annuntiarunt Christum venturum, Maria excellentius prophetavit : *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est.*

Regina Apostolorum et Evangelistarum : ipsi a Deo electi fuere ad nos docendum veritates fidei, Maria de mysteriis Christi instruere ipsos apostolos potuit, et suis precibus obtinuit descensum in ipsos Spiritus sancti.

Regina Martyrum, cui eminentius competunt martyris qualitates, cum ingentioribus animi affecta fuerit doloribus, quibus nullae, passione Salvatoris excepta, fuerunt aequales :

a) *ratione causae*, quae fuit ipsa passio Filii dilectissimi, accumulatio criminum totius humanitatis, atque hominum ingens ingratitudo, qua multis passio Filii inutilis evaderet ;

b) *ratione subiecti*, propter perfectiorem complexionem corporis sui atque maiorem sensibilitatem animae ;

c) *ratione modi*, propter intensiorem amorem Dei, vehementiorem amorem maternum, puriorem absque consolatione dolorem, et maiorem finem : expiationem peccatorum totius humani generis et acquisitionem gratiarum pro omnibus ;

d) demum *ratione durationis*, quia inde a conceptione Salvatoris ac prophetia Simeonis, durante vita passa est et doloris culmen attigit in morte Filii.

Regina Confessorum et Doctorum, quia Verbum, in sinu suo incarnatum filium, devote confessa est, ac durante vita eius, imo et morte eius, confiteri non cessavit.

Regina Virginum, quia virginitatem omnimodam, in conceptu et partu a Deo conservatam, in perpetuum perfectissime servavit.

Regina Sanctorum omnium, quippe quae dignitate Matris Dei, perfectione gratiae et gloriae, maiori puritate et eminentiore virtute, ac altiore missione omnes praecellit.

Regina Ecclesiae, simul ac fidelium, quia ipsi advigilat eamque regere et gubernare, una cum Christo, est constituta.

Regina vitae ac mortis : mortis, quia cum Christo regnum mortis destruxit, atque ipsa, brevi post decessum, suscitata est immortalis ; vitae, quia cum Christo, regnum vitae stabilire valuit, ac veram divinae gratiae vitam nobis communicare atque aeternam.

208. Obiicitur : Mater regis non est connaturaliter regina ; ergo nec mater Dei regis.

Resp. : *Nego paritatem.* Uti iam diximus, nulla est *vere* mater regis in sensu stricto, quia nullus a nativitate habet quod sit rex, sed dein instituitur. Maria autem *vere* est Mater-Dei-Salvatoris et Regis, quia Filius eius ab initio suae conceptionis est Deus in salutem nostri incarnatus, homo Iesus qui numquam fuit nisi Filius Dei. Ergo a matre habet, et a consensu matris. quod ille homo sit Filius Dei, Salvator et Rex universi. Unde Maria vere genuit Regem et Salvatorem, et ita est aliqualiter causa totius eius dominii, prout illud est in humana Christi natura exercendum. Quare matri connaturale est ius ad participandum totum hoc Filii Salvatoris dominium.

209. Corollaria. — 1° Munus regium Mariae concipiendum est ad analogiam regiminis et gubernationis

Christi, cuius ipsa est particeps. Christus rex totam societatem perfectam Ecclesiae ac totius humanitatis regit atque ordinat ad finem communem, tum potestate legislativa, proponendo doctrinam revelatam, ostendendo viam salutis et perfectionis verbo et exemplo, promulgando legem Dei, tum potestate iudiciaria et executiva : id autem fecit non solum externe proponendo et promulgando legem novam ac doctrinam revelatam, sed et interne, infundendo lumen fidei, gratiam, charitatem, et virtutes. Et hoc eo magis verum est, quod lex nova principaliter est gratia, interna illuminatione indicans quid sit faciendum in ordine ad vitam aeternam, et ad hoc suaviter inclinans ; secundario in externa promulgatione[1]. B. Virgo est particeps regiminis et gubernationis Ecclesiae, et huius ordinationis ad finem communem ; et quidem principaliter interne, dum causa est quod omnes gratiae hominibus dispensentur ac obveniant et munus habet eos ordinandi per gratiam et charitatem ad finem communem ; secundario, etiam externe, verbis erudiendo ipsos apostolos quoad mysteria revelata, exemplo vero operis ostendendo omnibus viam salutis et perfectionis. Non tamen videtur *specialiter* participasse potentiae iudiciariae, aut executivae quae vocari solet coactiva quaeque est in inflictione poenarum : Maria, non est regina iustitiae, sed misericordiae.

2° A momento incarnationis et divinae maternitatis, Mater Dei habet ius radicale ad regnum. At, secundum dispositiones divinae providentiae, debuit illud etiam mereri sua coniunctione cum Christo et compassione. Quare exercere plene non debuit, nisi a momento quo in coelis Filio glorioso unita, tamquem regina universorum est constituta.

3° Exercitium tamen limitatum est, sicut in Christo. Regnum eius enim primario est potius spirituale quam temporale, supernaturale quam naturale. Hinc a) primario exercet dominium et potestatem in gratias et bona spiritualia, quae de se spectant ad salutem, secundario etiam

1. S. THOMAS, I-II, q. 106, a. 1.

in naturalia ut ad salutem ordinari possunt ; b) potestas directe est in spiritualia, indirecte in temporalia ; directum tamen dominium in temporalia de iure adest et in actu primo, non autem ordinario, quoad exercitium, nam, ut Christus ait, Io. XVIII, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Cfr. S. Thomas, III, q. 59, a. 4, ad 1.

4° Christus videtur sibi exclusive reservasse regnum iustitiae, secundum Io. V, 22, 27 et Act. X, 42 ; B. Virginem reddidit participem regni misericordiae, in quantum est mediatrix omnium gratiarum, unde dicitur a Christo obtinuisse dimidium regni in terris.

5° In purgatorio Maria quoque regnum exercet, non tamen cum eadem plenitudine potestatis : non enim valet directe animas liberare, aut eis subvenire ac minuere poenas ; sed tantum indirecte, fidelibus ope gratiae inspirando ac eos movendo ut suffragia offerrent pro animabus, deprecando Deum ut oblata suffragia velit iis applicare, aut nomine Dei ea dispositive applicando, vel et animas aliter consolando. In daemones quoque, qui agnoscentes potentiam eius, contremiscunt, nam impugnationes eorum frangere potest, tentationes debellare, ac de insidiis triumphare. In angelos, qui ipsi subserviunt, quibus manifestat Christi voluntatem et imperium, quique ipsi ministrare parati sunt.

Beatos regit, nam eorum gloria essentialis pendet a gratia quam iis procuravit Maria ; gloria autem accidentalis eorum, sicut et angelorum, crescit per Mariam : communicatione revelationum et scientiae, gaudio ex eius aspectu ac praesentia, et ex animis illius interventu salvatis aut triumphis Ecclesiae procuratis, dignitate, gloria et honore ex eius famulatu obtentis.

210. Animadversio. — Mariae in coelis est gloria accidentalis : ex assumptione corporis gloriosi, gloria relucentis et splendore reginae coelorum dignis, — ex alto dominio regali quod ipsi competit in omnes creaturas etiam irrationales, — ex regno universi et potestate iurisdictionis quam exercet in cunctos Angelos et Sanctos, qui omnes parati sunt ad serviendum altissimae reginae atque obediendum.

IV^a PARS.

DE NOSTRA AD B. VIRGINEM HABITUDINE seu de NOSTRIS ERGA MATREM DEI OFFICIIS.

211. Materia tractanda. — Ex omnibus supra dictis patet B. Virgini competere singularem excellentiam et superioritatem, tum ob dignitatem Matris Dei, tum ob propriam sanctitatem eximiam et perfectionem, tum ob praeclara munera erga nos suscepta ; unde ipsi quoque est ius ad nostra erga eam officia. Debemus scilicet ipsi :

a) *venerationem et reverentiam*, ob superioritatem et excellentiam, maxime ob dignitatem Matris Dei ;

b) *fiduciam et invocationem*, quia potentissima et misericordissima mediatrix ad Deum ;

c) quae duo supponunt *amorem*, erga Matrem Dei perfectissimam, et quidem *filialem*, quia Mater Dei est et mater nostra spiritualis ;

d) atque connaturaliter incitant ad *imitationem* eius virtutum et sanctitatis.

Quae omnia uno nomine veniunt *cultûs* nostri, qui ob singularem rationem qua ipsi debetur, vocari solet *hyperdulia*.

Hinc dicemus de ipso cultu hyperduliae ; — de praecipuis festis, de principalibus orationibus et de notioribus devotionibus dicendum relinquimus historicis et asceticis.

QUAESTIO UNICA.

DE IPSO CULTU HYPERDULIAE.

212. Quid cultus, et quotuplex eius divisio. — *Cultus* est honor cum submissione et agnitione dependentiae alicui exhibitus superiori et excellentiori : superior enim exhibet inferiori honorem, non cultum, v. g. Deus honorat sanctos, magister discipulos, non colit. Honor autem est testificatio seu protestatio de excellentia bonitatis alterius, signum aestimationis quod alteri ob eius excellentiam exhibemus. Ergo cultus est testificatio quaedam submissionis ad agnitionem excellentiae alterius, protestatio ipsius excellentiae et nostrae ad ipsum submissionis.

Cultus multiplex est et diversus : alius est latriae, alius duliae ; alius mere internus, alius etiam externus ; alius absolutus, alius relativus.

Ratione diversae excellentiae, quae est terminus formalis, distinguitur *cultus supremus* seu *latriae*, qui debetur Deo ob increatam suam excellentiam infinitam, et est testificatio ad agnitionem excellentiae primi principii, ac signum submissionis nostrae ad supremum dominum ; — et *cultus duliae*, qui exhibetur creaturis ob variam earum excellentiam finitam, quae invenitur in patre, rege, duce, magistro, sapienti, sancto, etc. ; unde distinguitur in varias species, v. g. dulia civilis, dulia sacra, dulia naturalis, dulia supernaturalis, etc.

Nomine *hyperduliae* (i. e. suprema dulia) quandoque venit omnis dulia supernaturalis, utpote aliis praestantior, at ordinario illud reservatur supremae duliae supernaturali quae singulari et eminenti ratione debetur B. Virgini.

Cultus duliae supernaturalis, ob excellentiam a Deo supernaturaliter participatam, est religiosus et divino cultui *subordinatus*, sive ex impulsu religionis fiat, ut si Deus in suis sanctis honoretur, sive fiat ob finem religionis, ut si sancti colantur in honorem Dei : ita cultus sanctorum in honorem Dei redundat.

Ratione diversi modi quo cultus terminatur ad obiectum,

distinguitur cultus *absolutus*, qui alicui exhibetur ob excellentiam ipsi propriam et intrinsecam, sive cum ipso identificetur, ut in Deo, sive ipsi inhaereat, ut gratia sanctis, sive ipsi substantialiter uniatur, ut manus homini : ita colimus Deum, Christum, Sanctos ad agnitionem excellentiae ipsis propriae, ita ut cultus de se ibi sistat et terminetur ; — et *relativus*, qui exhibetur alicui ob excellentiam extrinsecam quae ipsi non inest, sed inest alteri ad quem relationem habet repraesentationis aut connexionis : ita colimus nomen Dei, imagines sacras, crucem Christi, instrumenta passionis, reliquias, etc., ita ut cultus non ibi sistat sed ad eum quem repraesentant transeat.

Ratione modi quo exercetur aut manifestatur, cultus est mere *internus*, qui exhibetur actibus internis animae, mentis et cordis, intellectûs et voluntatis ; — et *externus*, qui exhibetur etiam actibus corporis externis, scil. oris aut operis, tamquam signum quo cultus internus manifestatur, medium quo excitatur et fovetur, effectus quo completur vel et collective aut socialiter Deus honoratur aut Sanctus ; unde est sensibilis expressio cultûs interioris.

Iamvero quaeritur an et quonam cultu B. Virgo sit colenda, et utrum cultus ipsi debitus sit ipsi proprius ac diversae speciei [1].

213. Errores. — Circa cultum B. Virginis erraverunt plures :

A. *Per excessum*, plus aequo eam extollentes et divinos honores ipsi tribuentes, scil. *Collyridiani* qui, teste Epiphanio, Haer. 78-79, eam ut altioris naturae ac deam colebant, eique collyridos in sacrificium offerebant.

---

1. Videri possunt HAINE, *De Hyperdulia*, Lovanii, 1864 ; LÉPICIER, o. c., p. 3, c. 2, a. 2 ; VAN CROMBRUGGHE, o. c., c. 6 ; COMBALOT, *Le culte de la bienheureuse Vierge Marie ;* DE ROSSI, *Imagini scelte della B. Maria Virgine dalle Catacombe Romana ; Roma soterranea cristiana ;* V. LEHNER, *Die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten ;* MARUCCI, *Éléments d'archéologie chrétienne ;* LIELL, *Die Darstellungen der allers. Jungfrau auf den Kunstdenkmäler der Katakomben ;* WILPERT, *Sulla imagini di Maria nelle Catacombe ; Roma soterranea, le pitture dalle Catacombe romane ;* BARTMANN, *Marienkultus ;* CAMPANA, *Maria nel Culto cattolico*, 1933.

B. *Per defectum*, illius cultui detrahentes, aut nimis dimisse de ea sentientes :

1° *Antidicomarianitae*, qui omnem B. Virginis cultum proscribendum existimabant, de quibus Epiphanius, Haer. 77-78.

2° *Protestantes* plerumque, dum cultum quem catholici B. Mariae reddunt, impugnant ut superstitiosum, illusorium vel et omnino idololatricum.

3° *Protestantes liberales* et *Rationalistae*, qui cultum B. Virginis in primitiva Ecclesia dicunt plane ignotum, ex cultu dearum paganarum ortum, atque ad marialatriam directe conducens.

214. Mater Dei nullatenus coli potest cultu latriae absoluto ; nec etiam relativo, saltem convenienter.

I^a pars est *certissima* et *de fide*, ex praedicatione universali et ordinario magisterio : B. Virginem non esse colendam cultu latriae absoluto. Etenim :

Cultus latriae absolutus exhibetur illi qui habet in se excellentiam entitative et simpliciter infinitam, et supremum atque plenarium et principale dominium respectu omnis et totius creaturae, quae totaliter subiacet eius potestati ; unde soli debetur primo principio, a quo totum submittitur quod est in homine, et homo dependet in quantum est ens [1].

Sed solus Deus est primum ens entitative infinitum, a quo, ut a primo principio et supremo domino, omne id quod in omni re invenitur, absolute dependet ; nequaquam autem B. Virgo, quae est ens simpliciter finitum, ac dominium non habet nisi a Deo participatum.

Ergo cultus latriae absolutus soli Deo debetur ; nec ulli creaturae, etiam nobilissimae qualis est B. Virgo, praestari potest.

Hinc Augustinus, c. Faustum, l. XX, c. 21 : « Illo cultu, quae graece latria dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec

1. S. Thomas, II-II, q. 103, a. 3.

colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent ; nullo modo tale aliquid offerimus aut offerendum praecipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctae animae vel cuiquam angelo ».

Et Epiphanius, Haer. 79 : « Quis prophetarum umquam, vel hominem adorari nedum mulierem permisit ? Quamvis enim selectum quoddam vas atque eximium sit, nihilominus mulier est, eiusdemque naturae, licet animo atque sensu amplissimis honoribus affecta sit... Sanctum erat Mariae corpus, fateor, non tamen Deus illa fuit ; eadem et Virgo extitit, minime tamen nobis ad adorandum proposita, sed eum adorans ipsum qui a sua carne genitus, e coelo de paterno sinu descenderat... Honoretur sane Maria, Pater vero, Filius et Spiritus Sanctus adorentur. Mariam adorare nemo velit. Non enim mulieri, ac ne viro quidem, sed uni Deo mysterium illud cultusque tribuitur, adeo ut nec angeli ipsi tanto honori pares esse videantur... Itaque quamvis optima fuerit ac sancta et honore dignissima, non idcirco tamen adoratione prosequenda ».

II^a Pars est sententia *communis :* B. Virginem nec convenienter esse colendam cultu latriae relativo, in quantum specialem habitudinem habet ad Deum ob specialem assimilationem, aut contactum physicum quem habet cum Verbo incarnato, quia est mater eius ; quatenus sicut adoratur crux Christi, aut vestes et instrumenta passionis qui illum tetigerunt, ita a fortiori adoranda esset mater qui eum in utero concepit, gestavit, peperit, lacte pavit, etc., vel sicut adoratur imago Christi, pariter adoranda B. Maria quae est imago perfectissima.

Nam, licet huiusmodi cultus in abstracto et speculative forsan possit videri possibilis, in concreto tamen et practice non est reddendus aut probandus, utpote praebens occasionem erroris, scandali ac peccati. Etenim :

1° Natura rationalis, cum propriam et intrinsecam habeat excellentiam, est in se subiectum iuris ad debitam reverentiam et ratione sui veneratione digna et cultu absoluto. Unde si B. Virgini exhiberetur cultus latriae relativus propter physicam cum Deo connexionem, aut propter imaginem quam refert Dei, ille cultus in aestimatione hominum facile haberetur ut absolute sistens ac se terminans in B. Virgine, et sic occasionem praeberet gravissimi erroris et idololatriae.

Ad rem S. Thomas, III, q. 25, a. 3 : « Duplex est motus animae in imaginem : unus quidem in ipsam imaginem, secundum quod res quaedam est ; alio modo in imaginem in quantum est imago alterius ; et inter hos duos motus est haec differentia, quia primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut est res quaedam, est alius a motu qui est in rem ; secundus autem motus, qui est in imaginem, in quantum est imago, est unus et idem cum illo qui est in rem. Sic ergo dicendum est quod imagini Christi, in quantum est res quaedam (puta lignum sculptum vel pictum), nulla reverentia exhibetur, quia reverentia nonnisi rationali naturae debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reverentia solum in quantum est imago ; et sic sequitur quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, et ipsi Christo. Cum ergo Christus adoretur adoratione latriae, consequens est quod eius imago sit adoratione latriae adoranda ».

Iamvero « creaturae rationali debetur reverentia propter seipsam ; et ideo si creaturae rationali, in qua est imago Dei, exhiberetur adoratio latriae (relativa), posset esse erroris occasio : ut scil. motus adorationis sisteret in homine, in quantum est res quaedam, et non referretur in Deum, cuius est imago ; quod non potest contingere de imagine sculpta vel picta in materia sensibili » (ad 3), quia nimirum nimis evidens est nobis, huiusmodi imagines materiales secundum se coli non posse.

2° Cultus latriae relativus non terminatur ad rem, sed transit ad illum quem repraesentat, et qui in se est cultu dignus. Unde si talis cultus relativus B. Virgini exhiberetur, de facili existimarent eam in se non esse intrinsece dignam cultu, sed ob relationem mere extrinsecam quam habet ad Deum ; et sic occasio praeberetur gravissime errandi, atque denegandi cultum absolutum ipsi debitum propter magnam eius excellentiam propriam. Magis enim honorabile et dignum est coli ob excellentiam propriam, quam ob meram relationem extrinsecam ad dignius se.

Unde S. Thomas, III, q. 25, a. 5 : « Quia latria soli Deo debetur, nulli creaturae debetur latria, prout creaturam secundum se veneramur. Licet autem creaturae insensibiles non sint capaces venerationis secundum seipsas, creatura tamen rationalis est capax venerationis secundum seipsam. Et ideo nulli creaturae rationali debetur cultus latriae. Cum igitur B. Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriae, sed solum veneratio duliae : eminentius tamen quam ceteris creaturis, in quantum ipsa est mater Dei ; et ideo dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia ».

215. Obiiciunt : 1° Coniunctior fuit Christo mater eius quam crux. Ergo si crux adoranda Christi, et eius mater.

Resp. : *Nego consequentiam.*

Crux, cum sit res insensibilis, incapax secundum se honoris, non ratione sui sed ratione alterius adorari debet. B. autem Virgo, cum sit secundum se honoris capax, honoranda est cultu qui ei debetur secundum se, propter rationes allatas.

2° Honor matris refertur ad filium. Atqui filius Mariae adoratur latria, quia est Deus. Ergo et Maria, utpote Mater Dei.

Resp. : *Dist.* : Honor matris refertur ad filium ut ad finem, *conc.* ; ut ad terminum, seu subiectum ad quod eadem adoratione simul adoratur, *nego.*

« Adoratio imaginis refertur ad exemplar, sicut ad subiectum seu terminum, qui eodem motu adoratur, ac proinde eodem cultu ; sed cultus personae terminatur ad personam et in ipsa sistit, nec refertur ad finem ulteriorem ,nisi motu diverso. Hinc S. Bonaventura, in III Sent. d. 9, a. 1, q. 3, ad 1 : « Dicendum quod referri honorem ad aliquem est dupliciter : aut ad subiectum, aut sicut ad finem. Honor autem qui exhibetur matri, refertur ad filium sicut ad finem ; honor autem quo adoramus imaginem Christi, refertur ad ipsum sicut ad subiectum. Unde qui adorat Christi imaginem, Christum adorat, non imaginem ; qui vero adoraret Christi matrem, adoraret Christum et matrem simul ». Pariter S. Thomas, in III Sent. d. 9, q. 1, a. 2, qc. 3, ad 1 : « Honor matris refertur ad filium non sicut ad subiectum, scil. ut sit unus motus in matrem et in filium, sicut est in imaginibus ; sed refertur in filium sicut in finem, quia propter filium mater honoratur ». Eodem sensu scribit in III, q. 25, a. 4, ad 2 : « Honor matris refertur ad filium, quia ipsa mater est propter filium honoranda ; non tamen eo modo quo honor imaginis refertur ad exemplar, quia ipsa imago, prout in se consideratur ut res quaedam, nullomodo est veneranda ».

216. Mater Dei colenda est cultu duliae supernaturalis, — et quidem eminentiore necnon ipsi proprio, — atque specifice diverso, quare speciali ratione merito hyperduliae nomine vocatur. — Assertum tribus constat partibus.

Prima pars est *certa et de fide*, ex universali Ecclesiae magisterio, ut etiam constat ex doctrina Ecclesiae de Sanctorum invocatione et de sacris imaginibus, ut ex definitione Conc. Nic. II (a. 787), act. 7 ; et ex definitione Conc. Const. IV (a. 869-870), act. 10, can. 3 ; ex Conc. Const[1]., c. Wicleffitas et Hussitas, art. 29 ; ex conc. Trid., sess. 25, et ex professione fidei Tridentina. Hinc ab Alexandro VIII damnata est prop. 26 : *Laus quae defertur Mariae ut Mariae, vana est.* Cfr. prop. 35-36 M. de Molinos damnatae ab Innocentio XI.

Secunda pars est doctrina *certa* et *communis*, immediate sequens ex elevatione B. Virginis super omnes angelos et sanctos, tum ob dignitatem matris Dei, tum ob eminentiorem plenitudinem gratiae et gloriae, tum ob dominium reginae totius universi.

Tertia pars est doctrina *probabilior* et *communior*. Fuerunt enim quidam autumantes cultum hyperduliae esse solo gradu superiorem cultui duliae sanctis debitae ; quidem alii dixerunt cultum hyperduliae, gradu vel etiam specie superiorem, B. Virgini convenire non ob dignitatem matris Dei, sed ob plenitudinem gratiae et gloriae ; imo aliquis existimaverit cultum matris Dei specifice quidem distinctum a cultu duliae sanctorum communis, at speciei inferioris (!), qui tamen asseruit esse colendam dulia gradus superioris ratione plenitudinis gratiae. Quae omnia sane sunt reiicienda, ut toti doctrinae mariologiae expositae nullatenus conformia. Nam B. Virgo, *formaliter* qua Mater Dei, est colenda cultu prae sanctis superiori, atque specie diverso, et ea ratione eius cultus merito vocatur hyperduliae, i. e. duliae tum gradu tum specie praestantioris.
Doctrina tradita separatim probanda est per partes.

217. Mater Dei cultu duliae supernaturalis est omnino digna. — *Probatur :*

A. *Ex Scripturis*, in quibus fundatur. Docent enim :

1° Mariam *veneratione* dignam propter maternitatem divinam et plenitudinem gratiae, dum Angelus nomine

Dei eam alloquitur, Lc. I, 28 : *Ave, gratia plena, Dominus tecum...*, et Elisabeth, repleta Spiritu sancto, exclamat, Lc. I, 41-42 : *Benedicta tu inter mulieres...*, atque ipsa Maria prophetice de se testatur, Lc. I, 48 : *Beatam me dicent omnes generationes.*

2° *Fiducia* quoque esse honorandam, cum Christi fuerit quasi ministra, dum primam operatus sit sanctificationem in Ioanne Baptista (Lc. I, 44), et ad intercessionem matris, Christus primum miraculum efficere dignatus sit, licet hora manifestandi potentiam nondum advenisset (Io. II, 3-10).

3° *Amore filiali* denique diligendam, cum Christus, in cruce moriens, eam matrem nostram publice et solemniter proclamaverit, dicens Ioanni discipulo et in ipso omnibus christianis, Io. XIX, 26-27 : *Ecce mater tua.*

Ceterum Christus Mariam venerata est, dum puer erat subditus illi (Lc. II, 51), et dum moriens eam discipulo commendavit (Io. XIX, 27) ; discipulus ille, eam accipiendo in sua (ib.), omnes dum erant perservantes in oratione cum matre Iesu (Act. I, 14) ; turbae quarum interpretem se fecit mulier exclamans naturali instinctu, Lc. XI, 27 : *Beatus venter quae te portavit et ubera quae suxisti!*

B. *Ex Traditione*, ex qua apparet a summa antiquitate, per varias Ecclesiae partes, honorem religiosum exhibitum fuisse Deiparae propter suam ad Christum unionem, illum dein successione temporum fuisse universaliter affirmatum et magis amplificatum, atque constanter et perpetuo retentum. Quocirca applicari valet regula a B. Augustino tradita : *Quod universa tenet Ecclesia nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum certissime creditur.* Non statim tamen cultus redditus aut non amplus, quia prius spargendus erat cultus Redemptoris, et periculum idololatriae erat vitandum, B. Virginem habendi ut deam. At mysteria christiana, in honorem Christi celebrata, simul quoque matri honorem deferre, plerumque sunt manifesta indicia.

Triplex, in cultu mariano, distingui potest periodus :

a) *Antinicaena*, in qua magis implicite et obiter celebratur mater Dei. Primitus extitit cultus martyrum, qui colebantur ob

virtutem heroicam magis quam ob unionem cum Christo; colebantur autem in ecclesiis quae custodiebant eorum sepulchra aut asservabant eorum reliquias; praeterea magna mysteria Salvatoris celebrabantur : resurrectionis, nativitatis, epiphaniae, etc., in quibus attendebant quoque ad Mariam. Cum autem plerumque nihil sciebatur de morte Mariae, de loco mortis et sepulchri eius, cumque deerant reliquiae eius corporales, mirum non est si cultum liturgicum specialem ab initio non acceperit, nisi in variis signis venerationis, et in nonnullis invocationibus.

b) Periodus *postnicaena et anteephesina*, in qua Ecclesia publicam libertatem nacta est; quare templa mox erecta fuerunt in honorem Deiparae, — festis Salvatoris multiplicatis, etiam specialia, ut matri dicata, fuerunt instituta, — atque in omnibus liturgiis intercessio eius implorata.

c) Periodus *postephesina*, in qua, solemniter proclamata Dei Genitrice, cultûs extitit plena evolutio in toto splendore liturgiae, templorum et festivitatum per saecula continuata.

Antiquitas cultus colligitur ex monumentis, Patribus et Liturgiis.

1° *Ex monumentis archaeologicis:* a) Iam in catacumbis, saec. II, III et IV inveniebantur *imagines*, sive pictae, sive sculptae, B. Virginis, quarum nonnullae eam repraesentabant, cum puero Iesu, nimbo coronatam, aut in throno sedentem, quo christianorum veneratio significabatur; aliae Virginem brachiis extensis pro christianis orantem, quo declarabatur ipsam mediatricem a primis christianis fuisse agnitam. Institutio quoque virginis exhibetur coram Maria facta in eius imitationem, ut in catacumba Priscillae, saec. III.

b) Insuper statim ac pax Ecclesiae reddita fuit, templa in honorem B. Mariae aedificata sunt, sive Ephesi, sive Romae scil. saec. IV, Basilica in foro romano, et Liberiana, sive Byzantii, sive in Iudaea, etc.

c) Literaria quoque sunt monumenta, nec solum opera apocrypha, ut *Protoevangelium Iacobi*, *Ascensio Isaiae*, etc. sed et homiliae in honorem Matris et Filii habitae, quales reliquerunt *Origenes*, *Pierios*, *Gregorius Thaumaturgus*, etc.

2° *Ex Patribus.* Ex fontibus fide dignis colligitur extitisse in Ecclesia invocationem Sanctorum saltem a medio saec. II; quare fideles maxime invocasse B. Virginem non est dubium. Huius tamen sunt et testimonia directa : a) apud *Irenaeum*, Maria non semel dicitur advocata nostra i. e. protectrix quae solatium et auxilium praestat; b) in *Vita S. Gregorii Thaumaturgi* exhibetur interveniens in favorem fidelium et mandans apostolo Ioanni ut verae fidei tesseram Thaumaturgo communicet; c) in *Oraculis Sibyllinis* saec. III asseritur : « Deum per manus virginis hominibus elargiri dies poenitentiae »; d) Unde

Collyridianis in cultu excedentibus ac Virgini sacrifia offerentibus, Epiphanius eos reprehendit et adorare prohibet, at nihilominus honore et veneratione colendam urget, eiusque cultum contra Antidicomarianitas defendit. Hunc cultum esse hyperduliae innuit *Germanus Const.*, ep. dogm. 2ª : « Nam et ipsam proprie vereque matrem Dei *colimus*, et magnificamus, et universa visibili creatura *superiorem* arbitramur ».

3° *Ex Liturgiis*, in quibus omnibus, etiam antiquissimis, invenire est intercessiones quibus Deiparae postulatur. Ita v. g. Liturgia S. Petri : *Libera nos, Domine, ab omni malo, intercessionibus Mariae Deiparae.* Liturgia S. Iacobi : *Commemorationem agamus sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae, benedictae Dominae nostrae Matris Dei et semper virginis Mariae, ac omnium sanctorum, ut precibus eorum misericordiam consequamur.* Item Liturgia Syriaca. Liturgia S. Cyrilli Al. : *Memento... praecipue... sanctae gloriosissimae Deiparae, semper virginis, purae et illibatae sanctae Mariae.* Liturgia S. Chrysostomi : *Tutos fac gressus nostros precibus et supplicationibus Deiparae et semper virginis Mariae.* Liturgia ambrosiana : *Communicantes et memoriam celebrantes imprimis gloriosissimae semper Virginis Mariae.* Liturgia mozarabica : *Per virtutem sanctae Crucis et per intercessionem B. Mariae Virginis.* Liturgia gallicana : *Meritis et intercessionibus sanctorum tuorum, Mariae Genitricis D. N. I. C...* Orat ceteroquin Ecclesia : *S. Maria, ora pro nobis, peccatoribus.*

Cultus igitur exstitit a primis temporibus tum in Ecclesia orientali, tum in Ecclesia latina, et per saecula sine interruptione continuatus; impossibile autem est universalem Ecclesiam ab initio vel deinceps, cultum superstitiosum fovisse aut illegitimum. Ergo cultus B. Virginis est omnino legitimus.

C. *Ex ratione theologica.* Cultus est testificatio honoris superioribus exhibita ac nostrae submissionis.

Atqui « honor exhibetur alicui propter aliquam eius excellentiam, et ita est signum et testimonium quoddam illius excellentiae quae est in honorato », ut habet S. Thomas, I-II, q. 2, a. 2.

Iamvero in B. Virgine est titulus excellentiae supernaturalis, et quidem maioris prae omnibus creaturis.

Ergo ipsi debetur cultus duliae supernaturalis, cuius est omnino digna. Nam :

1° In ipsa est dignitas divinae maternitatis, quo maior excellentia in pura creatura inveniri non potest, nec maior ad cultum titulus.

2° Constituta a Deo quoque fuit nostra mediatrix, ita ut sit coadiutrix redemptionis, potentissima apud Deum advocata pro nobis intercedens, ac mater nostra spiritualis ; ex quo dignitas ei accedit principii secundarii nostrae vitae spiritualis, cum auctoritate quadam analoga potestati parentum, ob quam est honoranda.

3° Ornata propterea fuit eminentiore plenitudine gratiae et gloriae, ob quam honore prosequenda qui debetur famulis, amicis et filiis Dei, et quidem eo magis quo gratior et sanctior existat illa, quae est filia primogenita Patris, socia Filio intime coniuncta, atque virgo integerrima sponsa Spiritus sancti.

Ob quae omnia competit ipsi dignitas reginae omnium creaturarum et totius universi, cui omnium reverentia debetur atque submissio.

Qui omnes tituli sunt ordinis supernaturalis.

Ceterum omnia sua munia perfectissime implevit, ita promovendo gloriam Dei et procurando hominum salutem ; non solum habuit omnes virtutes supernaturales, sed etiam ex omnibus perfecte operata est, magnum exinde acquirens meritum. Quapropter non solum honoranda venit ob egregias qualitates ac munia, sed etiam propter excellentiam supernaturalium operum et meritorum.

218. Mater Dei colenda est dulia quadam eminentiore ac ipsi propria, quae recte vocatur hyperdulia. — *Probatur :*

Dulia eminentior debetur illi qui habet excellentiam maiorem. Atqui B. Virgo habet excellentiam longe maiorem omnibus creaturis, angelis et sanctis. Ergo debetur ipsi, tamquam ipsi propria, dulia eminentior seu hyperdualia. Nam :

1° Ut mater Dei habet dignitatem et excellentiam super omnes creaturarum dignitates, quia quodammodo pertinet ad ordinem unionis hypostaticae, et hac ratione omnes creatos ordines transcendit.

2° Maria exercuit praestantissima munia coadiutricis redemptoris, mediatricis intercedentis omnium gratiarum, ac matris spiritualis totius generis humani, quae nulli competunt creaturae.

3° Plenitudine maioris gratiae fuit dotata et gloriae, prae omnibus angelis et sanctis ; qua fuit sanctissima et ab omni labe purissima, atque eminentioribus virtutibus ac meritis plena enituit prae tota hierarchia coelesti.

Quare regina totius universi, prae omnibus magis divinum dominium participans, constitui meruit ob omnia praedicta, quae tamen omnia in excellentia maternitatis divinae radicantur.

Ad rem S. Thomas, in Exp. Sal. Ang. :

« Considerandum, quod antiquitus erat valde magnum quod angeli apparerent hominibus, vel quod homines facerent eis reverentiam, habebant pro maxima laude. Unde ad laudem Abrahae scribitur, quod recepit angelos hospitio, et quod exhibuit eis reverentiam. Quod autem faceret homini reverentiam, numquam fuit auditum, nisi postquam salutavit B. Virginem reverenter dicens : *Ave.*

Quod autem antiquitus non reverebatur hominem angelus, sed homo angelum, ratio est quia angelus est maior homine, et hoc quantum ad tria : 1° *quantum ad dignitatem...* nam angelus est naturae spiritualis..., homo vero est naturae corruptibilis... 2° *quantum ad familiaritatem ad Deum.* Nam angelus est Deo familiaris, utpote assistens..., homo vero est quasi extraneus et elongatus a Deo propter peccatum... ; ideo conveniens est, ut homo revereatur angelum, utpote propinquum et familiarem Regis. 3° praeeminebat *propter plenitudinem splendoris gratiae divinae :* angeli enim participant ipsum lumen divinum in summa plenitudine. Sed homines, etsi aliquid participent de ipso lumine gratiae, parum tamen et in obscuritate quadam. Non ergo decens erat, ut homini reverentiam exhiberet, quousque aliquis inveniretur in natura humana, qui in his tribus excederet angelos, et haec fuit B. Virgo.

Et 1° *in plenitudine gratiae* quae magis est in B. Virgine quam in aliquo angelo... quantum ad tria :

a) *quantum ad animam...* nam ipsa omne peccatum vitavit..., ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit... in exemplum omnium virtutum...

b) *quantum ad redundantiam animae ad carnem vel corpus.* Nam magnum est in sanctis habere tantam gratiam quod sanctificat animam, sed anima B. Virginis ita fuit plena quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conciperet Filium Dei...

c) *quantum ad refusionem in omnes homines.* Magnum est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum ; sed quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc est maximum,

et hoc est in Christo et in B. Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa..., item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium. Et ideo dicit ipsa Eccli. XXIV, 25 : *In me omnis spes vitae et virtutis.*

Sic ergo plena est gratia et excedit angelos in plenitudine gratiae. Et propter hoc communiter vocatur Maria, quae interpretatur *illuminata in se*... et *illuminatrix in alios* quantum ad totum mundum...

2° Excedit angelos *in familiaritate divina.* Et ideo hoc designans angelus dixit : *Dominus tecum,* quasi dicat : Ideo exhibeo tibi reverentiam quia tu familiarior es Deo quam ego, nam Dominus tecum. Dominus, inquit, Pater cum eodem Filio... Dominus Filius in utero... : aliter est ergo Dominus cum B. Virgine quam cum angelo, quia cum ea ut Filius, cum angelo ut Dominus. Dominus Spiritus sanctus sicut in templo... quia concepit ex Spiritu sancto... Sic ergo familiarior cum Deo est B. Virgo..., quia cum ipsa tota Trinitas, et ideo cantatur de ea : totius Trinitatis triclinium. Hoc autem verbum : Dominus tecum, est nobilius verbum quod sibi dici possit. Merito ergo angelus reveretur B. Virginem quia Mater Domini, et ideo Domina est. Unde et convenit ei hoc nomen Maria, quod Syra lingua interpretatur *domina.*

3° Excedit angelos *quantum ad puritatem.* Quia B. Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis... Ideo benedicta in mulieribus, quia ipsa sola maledictionem sustulit et benedictionem portavit et ianuam paradisi aperuit. Et ideo convenit ei nomen Maria quae interpretatur *stella maris,* quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum; ita christiani diriguntur per Mariam ad gloriam ».

Praeeminentia cultus duliae praestantioris, B. Mariae exhibendi, innuitur tum in decretis Conciliorum, dum post imaginem Salvatoris, primo loco, ante angelos et sanctos, ponatur B. Virgo Dei Genitrix aut imago eius (Conc. Nic. II, act. 7 ; Const. IV, can. 3 ; Trid., sess. 25) ; tum festis in honorem B. Mariae prae aliis ab Ecclesia multiplicatis ; tum invocationibus in Ecclesia, aut precibus frequentioribus imo quotidianis habitis. Unde Ecclesia canit in off. B. V. : *Felix namque es, Sacra Virgo Maria, et omni laude* DIGNISSIMA *quia ex te ortus est sol Iustitiae, Christus Deus noster.* Hinc S. Rituum Congregatio declaravit in decr. 1 iun. 1884 : « *Eminentiori* veneratione, supra ceteros sanctos colit Ecclesia Reginam et Dominam

angelorum, cui *in quantum ipsa est mater Dei... debetur,* non qualiscumque dulia, sed *hyperdulia* ».

219. Mater Dei, formaliter qua mater Dei, colenda est cultu superiori hyperduliae, ab omni quidem alio specifice diverso. — *Probatur :*

Cultus proportionari debet propriae et personali excellentiae personae colendae ; unde excellentiae superiori specifice diversae debetur cultus superior specifice diversus.

Atqui B. Virgo habet excellentiam maiorem sibi propriam et specifice diversam, ob divinam maternitatem, et quidem exclusive ob hanc solam maternitatem.

Ergo B. Virgo, ob divinam maternitatem et ob eam solam, colenda est cultu superiori hyperduliae specifice diverso. Nam :

1° Maternitas divina est dignitas ordinis superioris specifice diversi, quia pertinet ad ordinem specifice superiorem unionis hypostaticae et ita omnem ordinem creatum specie transcendit : consistit autem excellentia Matris Dei in speciali quam ad Deum habet affinitate. Unde cultus superior specie diversus ipsi debetur.

2° Plenitudo eminentior gratiae et gloriae, virtutis et meriti, est B. Virgini excellentia gradus maioris, non autem speciei diversae, quia gratia eius et gloria sunt eiusdem speciei ac gratia et gloria angelorum et sanctorum. Ergo propter solam hanc plenitudinem non debetur cultus specie diversus, nisi simul spectetur divina maternitas ad cuius excellentiam dignificandam ordinata fuit.

3° Mediatio singularis ad omnes gratias salutis et maternitas spiritualis est B. Virgini excellentia quoque eminens et singularis, non tamen probatur esse diversae speciei, cum meritum et causalitas B. Virginis, eo quod gratias meruerit nobis aut dispensare potuerit omnes, non videntur diversae rationis a merito et intercessione et causalitate sanctorum. Ergo ea ratione nec debetur ipsi cultus speciei diversae, nisi simul spectetur maternitas eius divina, qua gratias nobis universaliter procurare capax facta sit.

Hinc solummodo ob divinam maternitatem debetur cultus specifice diversus, et quidem cultus speciei supe-

rioris ; quare ob hanc rationem merito vocatur hyperdulia ; nam, ut iam audivimus a S. Congr. Rituum, in quantum ipsa est Mater Dei, ipsi debetur hyperdualia.

Quod omnino conforme est doctrinae traditionali. Ait S. Thomas : « Hyperdulia... exhibetur... creaturis quae habent specialem affinitatem ad Deum, sicut B. Virgini in quantum est Mater Dei. Ergo... dicendum quod hyperdulia est potissima species duliae communiter sumptae : maxima enim reverentia debetur homini ex affinitate quam habet ad Deum » II-II, q. 103, a. 4, obi. 2 et ad 2. Ita « mater Dei... singularem habuit affinitatem ad Christum, qui ab ea carnem accepit » III, q. 27, a. 4 ; unde « debetur ei veneratio duliae, eminentius... quam ceteris creaturis, in quantum ipsi est mater Dei ; et ideo dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia ». Et S. Bonaventura, in III Sent. d. 9, a. 1, q. 3 : « B. Virgo Maria pura creatura est et ideo ad honorem et cultum latriae non ascendit. Sed quoniam excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ei honor duliae, sed hyperduliae. Hoc autem nomen est, quod, Virgo existens, Mater est, quod quidem tantae dignitatis est, quod non solum viatores, verum etiam comprehensores, non solum homines, verum etiam angeli illud revereantur quadam praerogativa speciali. Ex hoc enim quod Mater Dei est, praelata est ceteris creaturis, et eam prae ceteris decens est honorari et venerari. Hic autem honor consuevit a magistris hyperdulia vocari... ».

220. Corollaria. — Ex praedictis sequitur :

1° Cultum B. Virgini exhibendum esse *specialem et proprium*, ob solam rationem maternitatis divinae, scil. cultum speciei diversae ac superioris, seu superduliam a dulia communi sanctorum specie distinctam.

2° Cultum duliae nonnisi gradu superiorem ipsi deberi propter solam plenitudinem gratiae, vel quia est mediatrix et coadiutrix redemptionis, vel ex eo quod est mater nostra spiritualis aut regina universi ; non cultum specialem, sed quia est mater Dei.

3° Attamen varios titulos recensitos non esse in cultu separandos a divina maternitate ; sed esse rationes speciales colendi ipsam eminentiam matris Dei quam hoc vel illo modo illustrant et magis manifestant.

4° Nec cultum specie diversum, matri Dei exhibendum, esse inferioris ordinis cultui, qui sanctis, et ipsi Mariae ut maxime sanctae, debetur propter dotes gratiae et gloriae.

5° Sed cultum eminentioris ordinis deberi matri Dei qua tali, et maternitatem divinam solam fundare cultum superioris rationis, scil. non quidem solo gradu, sed specie diversum ac superiorem.

221. Animadversio. — Cultus B. Virginis est maxime utilis.

Directe ipsis colentibus, quia ob eorum venerationem, invocationem et amorem filialem, B. Virgo magis curam habet de eorum bono spirituali et de gratiis iis dispensandis ; ceterum ipse cultus incitat ad imitationem virtutum, praeterea gratiae sunt quae non solent concedi nisi orantibus, atque ipsa perseverantia finalis ita obtineri poterit. Unde cultus Mariae efficaciter ducit ad salutem, cum ipsa filiis suis, vere et fideliter eam colentibus, ipsum donum finalis perseverantiae obtinebit. Quare sincera erga Mariam devotio recensetur inter praecipua praedestinationis signa, iuxta dictum S. Bonaventurae : « Qui hunc habuerit characterem, adnotabitur in libro vitae ».

Indirecte cedit in bonum totius Ecclesiae sub respectu fidei et morum. Nam cultus Mariae :

1° *confirmat fundamenta fidei* et totius religionis christianae. Cum enim haec tota innitatur in mysterio incarnationis, quod in Virgine completum est, hinc ex eo quod Dei mater speciali honore celebratur, fides in Christum et veritas religionis ab eo fundatae confirmatur atque propagatur ;

2° *fidem tuetur atque adauget*, nam quae antiquum serpentem cum Filio devicit, semen serpentis, dum invocatur, virgineo pede conterere non cessat ; unde Ecclesia cantat : « cunctas haereses interemisti in universo mundo » ;

3° *bonos mores* quoque *atque sanctitatem promovet*, cum ad imitationem provocet illius, quae est omnium virtutum exemplar praestantissimum atque perfectae sanctitatis ; quare facilem reddit fidelibus et suavem sanctam vitam.

Hinc Lépicier ait[1] honorem gloriosissimae Deiparae collatum redundare :

1. *De B^{ma} Virgine Maria Matre Dei*, p. III, a. II, a. 2, n. 6.

a) in ipsius Christi honorem et gloriam, nam sicut iniuria matris afficit filios, ita quoque gloria matris in filium redundat ;

b) in fidei et Ecclesiae bonum, quod confirmat et promovet ;

c) in profectum moralem virtutum et ita in emolumentum totius societatis humanae.

222. **Cultus B. Virginis Dei Genitricis originem non habet in cultu paganorum,** sed fundatur in excellentia eius ad Christum et Deum unionis. — Rationalistae plures ac historiographi, rationalismo imbuti, aiunt cultum B. Mariae a cultu pagano esse derivatum, sive secundum quamdam analogiam formae exterioris ac psychologici indolis ; sive historice, quia pagani neo-conversi in Ecclesia suas ideas et praxes importarunt : ita cultus deae-matris, qualis erat Isis in Aegypto, Artemis in civitate Ephesina, Istar in Babylonia, transformatus est in cultum B. Virginis Matris Dei. Porro cultus deae-matris in duplici forma existit : prius sub forma naturalistica, quatenus repraesentat vitam et fecunditatem terrae ; altera, a priore derivata, est anthropomorphistica, ritus et praxes immorales importans.

Iamvero comparando cultum paganorum et cultum B. Mariae, constat hunc in substantia sua nullatenus ab illo derivari[1].

1° Comparando sub aspectu *phoenomenologiae*, et secundum formam mere externam, radicalis adest differentia :

a) Principaliter, quia pagani conceptum matris ipsi Deo seu divinitati applicant, dum Maria nullatenus ut dea haberi potest. Numquam Christiani ita eam colunt, sed id omnino excludunt, ut Epiphanius, contra Collyridianos, Haer. 79. Maria est mater *humanae naturae* a Deo assumptae ; mater quia Christus Deus realiter est *verus* homo.

b) Secundario, quia paganismus saepe admittebat

1. Cfr. W. Goossens, *De Moeder Gods Maria in het Christendom en de Moedergodinnen in het Heidendom*, in *Coll. Gand.*, 1937 ; K. Prümm, *Der christliche Glaube und die altheidnische Welt*, Leipzig, 1935 ; Noyon, *Mariolatrie*, in *Dict. Ap.* ; Dublanchy, *Marie*, in *Dict. Th. Cath.*

ritus et praxes immorales ; dum, e contra, Maria semper colitur tamquam virgo et exemplar castitatis et virginitatis.

2° Comparando sub aspectu *psychologiae religiosae*, concedi quandantenus potest paganos neo-conversos facilius honorem dedisse matri Dei, ex eo quod deas antea coluerunt. At exinde nullatenus dicendum est cultum matris Dei ex cultu dearum habuisse ortum. Id nempe falsum est.

3° Nam comparando sub aspectu *historici nexus et influxus causalis :*

a) Quantum ad essentialia cultus elementa, cultus Mariae nihil debet cultui pagano, nec derivatur a paganismo. Non enim colitur ut dea, nec secretis et immoralibus ritibus ; atque tempore ingentis conversionis paganorum, saec. III et IV, cultus marianus erat parum evolutus. Ceterum tota traditio Ecclesiae opposita erat religioni et cultui paganis : haec traditio, atque vigilantia Ecclesiae in fide et cultu, hypothesim adversariorum reddunt impossibilem.

Quod etiam patet ex eo quod fides in divinam Mariae maternitatem pertinet ad primaevam substantiam christianismi, uti constat ex Scripturis Novi Testamenti. Quare ipsi competit singularis dignitas ; atque cooperatrix habetur ad opus redemptionis, ut Nova Eva, apud Iustinum, Irenaeum, Tertullianum. Ex quo connaturaliter erat cultus oriundus. De quo constat historice, quin ullus in cultum Ecclesiae influxus paganus cuiusdam momenti percipiatur. Nam 1° ante Concilium Ephesinum cultus Mariae existebat ; 2° tempore Concilii Ephesini, templum deae Artemis in ista civitate a 2 saeculis erat destructum ; 3° iam ante Concilium, Maria θεοτόκος dicebatur, atque haeretica negatio unitatis Christi personae fuit occasio dogmaticae definitionis Deiparae.

b) Quantum vero ad elementa cultus secundaria, impossibile sane non est quamdam accidentalem caeremoniam, aliquam formam imaginis aut repraesentationem statuae, a cultu pagano esse derivatam. At in hoc non est incommodum, quia character specificus matris Dei, atque cultûs ipsi redditi, nullatenus exinde procedit.

223. Obiiciunt : 1° Cultus marianus detrimentum affert cultui divino. Ergo non est fovendus.

Resp. : *Nego assertum.*

Cultus B. Mariae nullatenus nocet cultui divino, a) quia non est cultus supremus latriae, qui soli Deo convenit, sed cultus inferior duliae qui convenit creaturis excellentibus, in casu matri Dei ob eius dignitatem, sanctitatem et apud Deum potestatem. Hinc b) cultus ille potius Dei cultui favet, cum ad Deum refertur, dum auctorem omnium donorum agnoscimus quae in Maria veneramur, et honor matris in Filium redundat, atque gratiam melius colendi Deum nobis procuramus invocando gratiarum mediatricem. c) Quod experientia confirmatur, nam magis colitur Christus et agnoscitur eius divinitas, apud Catholicos Mariam colentes quam apud Protestantes cultum ipsi denegantes ; atque videmus magnos Sanctos esse praeclaros Mariae veneratores.

2° Catholici plus colunt Mariam quam Christum.

Resp. : Quidam minus bene ita agunt, non autem generatim omnes, nec ita secundum rectum iudicium rationis et instinctum gratiae divinae.

Virtus moralis est in medio, vitans excessum et defectum in propria materia ; cuique autem virtuti est debitum tempus tribuendum. Quare cultus hyperduliae ita exercendus est, — ordinario saltem et generatim, et non spectatis specialibus adiunctis, — ut plus temporis tribuatur Deo et cultui latriae ; semper autem ita quod cultui divino perfecte subordinetur. Sicut autem non ordinate ageret, qui per totum diem Mariam invocaret, vix Domino attenderet ; ita quoque qui semper Christum coleret, Mariam non invocaret, nam voluntas Christi est ut etiam colamus Mariam. At cultus Mariae de se ad Christum eiusque cultum ducit.

3° Cultus marianus magis sensibilis est quam cultus Dei. Ergo colentes Mariam videntur eam Deo magis aestimare.

Resp. : *Nego consequentiam.*

Cultus marianus potest esse magis sensibilis ; sed id non est inconveniens. Nam excellentia cultûs non pendet a sensibilitate, sed a voluntate et charitate. Deus autem colitur ut supra omnia amandus et venerandus. Licet cultus possit esse magis sensibilis

aut intensive maior, Deus tamen colitur maiori aestimatione voluntatis, et cultus divinus semper est obiective et appretiative maior. Maior teneritudo non est necessario maior veneratio.

4° Fiducia in Mariam minuere fiduciam in Deum nata est. Ergo Deus est exclusive colendus et fiducia honorandus.

Resp. : *Nego assertum ;* nam e contra fiducia in Mariam nata est excitare fiduciam nostram in Deum eamque augere.

Nam, peccatores cum omnes simus, in Deum saepius nullam, aut vix ullam, auderemus fiduciam habere aut non tantam, ac si B. Mariae innixi, quae mater misericordiae ac omnipotentia supplex merito vocatur, una cum ipsa, ad Deum accedere non dubitamus : fiducia quasi duplicata vel in immensum aucta.

5° B. Maria saltem non est colenda ut Mater Dei. Nam maternitas divina non reddit sanctam, et mater Dei, si in peccatum mortale caderet vel in eo moreretur, cultu digna non esset.

Resp. : Deus sibi debet ut non permittat matrem labi in peccatum mortale. At, *data hypothesi, nego consequentiam ;* nam mater Dei de se est cultu digna, at in casu non est ipsi reddendus propter obstaculum peccati.

Maternitas divina confert maximam dignitatem atque etiam quamdam sanctitatem seu consecrationem ad Deum ; insuper connaturaliter exigit, ut convenientissimum, statum gratiae ; quare de se exigit cultum. Dato autem peccato, divina maternitas semper de se manet titulus ad cultum sacrum, sed iste non redditur quia subiectum ponit obicem, scilicet peccatum quod impedit ne honor sacer ipsi tribuatur. Eodem modo ac opera supernaturalia ex gratia facta, dum quis gratiam amittit peccando, semper manent de se retributione digna ; at retributio non tribuitur propter obicem, quia opera sunt peccato mortificata. Immunitas scil. a peccato est *conditio* ut de facto matri Dei cultus hyperduliae, operibus retributio concedatur, quae iure ipsis debentur, non autem praecipua ratio et causa huius iuris.

224. Animadversiones.

1° *Cultus* Mariae non tantum oportet sit *interior,* scil. aestimationis et venerationis, sed etiam *exterior,* seu expressionis externae in voce et opere ; sicut decet cultum humanum. Nam,

ut notat S. Thomas de cultu divino, II-II, q. 84, a. 2 : « Quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scil. et sensibili » duplicem adorationem exhibemus, scil., « spiritualem, quae consistit in interiori mentis devotione ; et corporalem, quae consistit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus cultus, id quod est exterius refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius, ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem ; ut videlicet per signa humilitatis quae corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo (vel eius Sanctis), quia connaturale est nobis ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus », aut etiam, ut noster affectus exterius manifestetur « ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione » ut dicit q. 83, a. 12.

2° Sicut *cultus* hyperduliae *absolutus* B. Virgini debetur, ita et cultus hyperduliae *relativus* debetur eius nomini, imaginibus et reliquiis.

3° Cultus marianus, maxime externus et publicus, est secundum leges Ecclesiae ordinandus et iuxta usum in Ecclesia legitime receptum, a qua norma discedere nefas est. Ita, ut sit fidei conformis, et ab omni abstineat excessu, omnisque modus fictus et vanus, indecorus, et quidquid videatur minus opportunum, sedulo vitetur. Quare non omnes partes aut qualitates B. Virginis sunt specialiter colendae, nec omnes particulares erga eam devotiones laudandae, sed illae solum quae formali approbatione ecclesiasticae auctoritatis gaudent, aut usu legitimo et diuturno tempore consecrato sunt confirmatae.

225. Conclusio. — Quae cum ita de gloriosissima Dei Genitrice et dulcissima Matre probe constiterint, mirandum non est, si in illius honorem Ecclesia festa per universum celebranda instituerit, quotidie laudes eius cantaverit, et preces ad eam directas fuderit, atque varias particulares devotiones promoverit ; nam B. Virgini, ait S. Bonaventura, III Sent., d. 3, p. 1, a. 1, q. 1, ad 4, *nullus nimis potest esse devotus.* Unde et Summi Pontifices in extollendis praeconiis laudibusque Deiparae pie aemulati sunt, atque Leo XIII, praesertim, ac successores totam quasi theologiam marianam in suis encyclicis et actis excoluerunt ; fideles quoque, ut ad patrocinium recurrerent B. Virginis, fervide excitarunt, imprimis morem, ubique terrarum diffusum, Deiparam in fidei et Ecclesiae bonum per Rosarium deprecandi, instanter commendando, cuius excellentiam egregie extollere non cessant. B. Virgini nullus

nimis potest esse devotus, concludit S. Bonaventura, qui pergit : « Et ideo mirandum non est, si Spiritus sanctus inhabitans in cordibus fidelium, devotionem ipsorum magis erga Virginem inflammat quam erga alios Sanctos et Sanctas. Hac etiam de causa quotidie de Virgine gloriosa facimus officium speciale iuxta ordinem Romanae Ecclesiae... Quacumque igitur hora, quacumque die aliquis fidelium cum totis praecordiis et visceribus honoret Virginem, increpandus non est pertinaciter, ne ipsius animadversio incurratur, quae auxiliatrix et amatrix est omnium fidelium suorum laudatorum, sicut illi qui tales sunt, experimento multiplici cognoverunt ».

Finem imponamus, notissimis, Augustini nequaquam indignis, cui nonnumquam tribuuntur, verbis a nobis prolatis : « Dixi de his, etsi non quantum est, tamen quemadmodum me dicere debuisse credidi. Si ergo vera sunt quae scripsi : tibi gratias ago, Christe, quia de sancta Virgine, Matre tua, nisi quod pium est ac dignum visum sentire non potui. Si ergo dixi ut debui, approba, Christe, obsecro, tu et tui : sin autem ut non debui, ignosce, tu et tui. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen ».

ERRATA CORRIGENDA

PAGINA	LINEA	LOCO	LEGE
87	12 (not. 1)	ad immortalitatem	ab immortalitate
89	6	LXXXIII	LXXVIII
101	18	gratuita	gratuito
105	20	*sempiterna*	*sempiterne*
123	2	Resp.	Resp. a)
123	19	aliquam	aliquando
132	8	*conditionem*	*conditiones*
132	30	et	aut
136	7	omne excludit	omne a subiecto excludit
144	17	ad id quod	ad id ad quod
145	28	Maria	Mariam
147	39	distinguidur	distinguitur
152	31	peccati	peccati labe
161	25	gratias	gratiae
170	20	protest	potest
185	13	III, 33	III, 22
189	2	l. III	l. III, c. 2
205	17	*dignum*	*dictum*
226	31	hom. s.	hom. 2 s.
238	28	leviatus	leviratus
243	25	virginitas	virginitas in partu
275	4 (not. 1)	immiculato	immaculato
278	15	Mauritus	Mauritius
278	15	Hierosolymitanum	Hieronymitanum
278	2 (not. 1)	Baümker	Baümer
294	17	tuae	tua
294	39	ocurrit	occurrit
307	6	*dedit*	*dedit redemptionem*
318	3 (not. 1)	quandoque	quandoque habet
337	15	poteat	potest
368	6 (not. 1)	aut	est
370	4	physica	mere physica
375	2	ipsa	Maria
386	31-32	angelos	angeli
397	13	subiectum ad	ad subiectum
398	19	quidem	quidam
399	38	Antinicaena	Antenicaena

INDEX RERUM.

Art. II. De excellentia maternitatis divinae.

Q. III. MARIA EST MATER REDEMPTORIS AC ADIUTRIX.

B. DE MATRE DEI IN AETERNA DEI ELECTIONE ET PRAEDESTINATIONE.

Q. DE PRAEDESTINATIONE EMINENTI MATRIS DEI.

II^{a} PARS.

DE B. VIRGINE MARIA IN SEIPSA

SEU DE PRAEROGATIVIS MATRIS DEI.

A. DE B. VIRGINE IN ORDINE AD PERFECTIONEM ANIMAE

SEU DE SANCTITATE MATRIS DEI.

Caput I. De negativa Sanctitate Matris Dei.

Q. I. MATER DEI EST IMMUNIS A PECCATO ORIGINALI SEU IMMACULATE CONCEPTA.

Art. I. De veritate conceptionis immaculatae.

Art. II. De intrinseca ratione conceptionis immaculatae.

Q. II. MATER DEI EST IMMUNIS AD OMNI ETIAM MINIMO PECCATO ACTUALI.

Q. III. MATER DEI EST IMMUNIS A CONCUPISCENTIA.

Caput II. De positiva Sanctitate Matris Dei seu Plenitudine gratiae.

Q. I. MATER DEI PLENITUDINE GRATIAE EST DOTATA.

Art. I. De plenitudine gratiae secundum se.

Art. II. De plenitudine gratiae comparative ad gratiam aliorum.

Art. III. De plenitudine gratiae comparative ad gratiam universae creationis.

Q. II. MATER DEI EX PLENITUDINE GRATIAE SUPERNATURALITER EST OPERATA.

Art. I. De exercitio supernaturalium virtutum.

Art. II. De scientia virtutum directiva.

Art. III. De merito quod est effectus exercitii virtutum.

B. DE B. VIRGINE IN ORDINE AD PERFECTIONEM CORPORIS.

Caput I. De Perfectione corporis in hac vita seu de Virginitate Matris Dei.

Q. I. MATER DEI EST VIRGO ANTE PARTUM.

Q. II. MATER DEI EST VIRGO IN PARTU.

Q. III. MATER DEI EST POST PARTUM VIRGO PERPETUA.

Caput II. De Perfectione corporis post hanc vitam.

Q. DE GLORIOSA ASSUMPTIONE MATRIS DEI.

Art. I. De morte matris Dei.

Art. II. De assumptione matris Dei in coelum.

Art. III. De exaltatione matris Dei in coelis.

IIIa PARS.

DE B. VIRGINE IN ORDINE AD NOS

Q. I. MATER DEI EST MATER NOSTRA ADOPTIVA SPIRITUALIS.

Q. II. MATER DEI VERE EST MEDIATRIX NOSTRA.

Art. I. De mediatione matris Dei in generali.

Art. II. Dei mater mediatrix est primario ut adiutrix redemptionis.

Art. III. Dei mater quoque est mediatrix ut perpetua pro nobis apud Deum advocata.

Art. IV. De exercitio et efficacia mediationis matris Dei.

Art. V. De universali extensione mediationis matris Dei.

Q. III. MATER DEI EST REGINA CUNCTORUM ANGELORUM ET SANCTORUM, COELI ET TERRAE, ATQUE TOTIUS UNIVERSI.

IV^a PARS.

DE NOSTRA AD B. VIRGINEM HABITUDINE

SEU DE NOSTRIS ERGA MATREM DEI OFFICIIS.

Q. DE IPSO CULTU HYPERDULIAE.

Imprimé par Desclée, De Brouwer et Cie, Bruges (Belgique). — 13833/21.